

JOHANNIS HENRICI BOECLERI
INSTITUTIONES POLITICÆ.

Accesserunt

DISSERTATIONES POLITICÆ

Ad

SELECTA VETERUM HISTORICORUM LOCA,

Et

LIBELLUS MEMORIALIS ETHICUS.

EDITIO TERTIA.



ARGENTORATI,
Sumptibus ALBERTI SPOOR.

M DCC IV.

SERENISSIMO
AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
AVGVSTO
FRIDERICO
DVCI BRVNSVICENSI
ET LVNEBVRGENSI
&c. &c.
Domino nostro Clementissimo.

SERENISSIME AC CELSISSIME
PRINCEPS:

QUo tenue magis atque exiguum est, quod in hoc libello CEL-

 SITV-

SITUDINI TUÆ *munus consecratur; eo pleniore cum consecrantium fiducia gratiæ* TUÆ *se illud patitur insinuari. Nam nec ad fortunæ* TUÆ *& per tot Heroum seriem in* TE *continuatæ gloriæ fastigium assurgit: coram quo necesse est temerariæ ambitionis vanitate prostitui, quicquid in* TE *colendo splendorem affectat aut pompam: Et*

simpli-

ſimplicitate ingenuæ venerationis facilius ſperat conciliari poſſe cum generoſa illa auguſtæ indolis T V Æ *comitate, qua temperatam regnatoris atque heroici ſpiritus maieſtatem ſubinde Muſis Argentoratenſibus familiariter indulges. Neque parum conceptam admiſſionis propitiæ ſpem auget genius huius ſcripturæ & argumentum; curis ac meditationibus*

Principis Muſagetæ nec indignum penitus, nec alienum: Regias quippe artes & felicioris imperij præſidia complectitur: quorum in exemplo Tvo, Brunſuicenſium & Luneburgenſium annalium memoriæ grandia ſpecimina, gentium & ſeculorum admirationi commendabunt. Quid ſi & nos auderemus inter hæc confidere, Tvvm Clementissime Domi-

ne

NE animum gratiosam Beati Auctoris recordationem subituram? Cuius à longo tempore dicata Serenissimæ domui TVÆ, atque extremo conatu animæ cælo proximæ denuo TIBI priuatim deuota reuerentia, vt per nos publice innotesceret, inter debita beatis manibus vltimæ pietatis officia curandum nobis existimauimus. Nam illi quidem propagatam in-

de à DIVO AVGVSTO AVO TVO *benignissimæ voluntatis propensionem, supremo Diuinæ indulgentiæ munere, per* TE *vsurpasse, felicitatis complementum fuit: nobis serenioris fortunæ auspicium erit, si non auersatus fueris obsequia, cum quibus* CELSITVDINI TVÆ *subiectissima mentis humilitate se totos addicunt*

Bœcleriani nominis
Consortes,

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
VLRICVS OBRECHTVS
In Acad. Argent. Hist. Prof.

SI, vt maxime fas erat, vtque multorum desideriis pridem expetitum est, jussu atque arbitrio Auctoris in publicum prodiisſent, quæ hic consilio curaque nostra emittuntur monumentorum Bœclerianorum reliquiæ; vix erat futurum opus, vt prolixiori sermone hic labor publico fauori commendaretur: cui & à Scriptoris auctoritate satis auspicii, & ab emendationis vltimæque curæ diligentia satis pretii fuisset accessurum. Nunc cum ea semper fuerit B. Auctoris sententia, & perpetua quædam neque raro publice testata animi destinatio, vt satis constet, nun-

quam eum ſi viueret, pro ſuis in publico agniturum, quæ ipſe nihil aliud quam ad priuatæ inſtitutionis diſciplinam adornaſſet: atque fatorum inſuper acerbitas cum his alias eiuſdem generis curas intra conatum primarum ac rudiorum linearum coercuerit: Ego defenſionis parum validæ jeiunæque ſterilitatem pertæſus, interpretationem propoſiti mei benigno æqui æſtimatoris judicio permitto. In cuius opinor iniuriam tenderet, ſi deprecari operoſius inſtituerem, ne Viri publicæ diſcentium vtilitati per omnia vitæ ciuilis ac literariæ munia ſtudioſiſſime ſemper intenti, partam cæteris meritis operibuſque celebritatem, ex fœtu ſi non abortiuo, at poſtumo certe, neque ad plenam maturitatem perducto metiatur. Si de-

cus

cus inimitabilis facundiæ, ſi vaſtæ eruditionis copia, ſi profundiſſimi judicii acumen quæritur; non meo demùm indicio edoceri debet Germania noſtra, quibus eam monumentis Bœclerus vniuerſo literario orbi venerabilem effecerit. Quorum dignitati ſi non ſatis hæc opuſcula reſpondere aliis videbuntur; at non deerunt fortaſſe, qui cauſam quoque iſthic reperient, ob quam ſtudioſæ præſertim Juuentutis profectibus explanatæ faciliſque diſciplinæ felicitatem gratulentur. Cujus character ſicut in elogio viri docti magnam partem, ita docentis laudem fere omnem virtutemque complectitur. Neque quicquam ſane minus propoſitum ſibi habet, vt omnis reliquæ ſapientiæ, ita Ciuilis præſertim doctrinæ inſtitutio, quam

vt

vt reconditarum meditationum ſub-tilitate, vel elaboratæ dictionis ornatu in admirationem rapiantur auſcultantium animi. quorum vt quæ maxima eſſe poteſt attentio ſit, iniquus tamen admodum æſtimator humani ingenii fuerit, ſi quis velocitatem acute & cum affectatione præmeditatæ elegantiæ differentis promtitudine certæ & ad ſolidum manſurumque fructum valituræ comprehenſionis æquari poſſe arbitretur. Spernant itaque pro popularibus iſta, quos ſola in omni diſciplinæ genere præcipitia delectant: dummodo cogitent ne Stagiritem quidem Ariſtotelem totam ſummi doctoris gloriam ex acroamaticis ſcriptis tuliſſe. Ad cuius Politica equidem ſenſuum abditorum profunditate conciſæque grauitate dictio-

nis

nis contendi non affectant Bœclerianæ *Institutiones*: facilitate tamen planioris doctrinæ cum intellectu proficientium vſu expeditiori conciliabuntur. Neque tamen ſoliditas ſcientiæ, quæ Ariſtotelicum opus incomparabile reddit, merito in iis deſiderabitur. In quas ex illo fonte ſubinde ita ciuilium principiorum certitudo deriuatur, vt viciſſim haud raro robur illi mutuentur ac lumen. In illa præſertim Ciuilis Prudentiæ parte, quæ ſe patitur generalioribus & ſcientificis definiendi formulis concludi: Nam in cæteris, quæ ſingularis prudentiæ experimentis potius, quam certis definitiſque regulis deſcribi diſtinguique optant: cur parcius & veluti ſuſpenſa manu verſaretur Noſter; ſumma ipſi & alibi declarata ratio fuit. Niſi quod his quoque

paſſim,

passim, quas adiecimus, *Dissertationes* supplementum præstant. quarum sicut liberius institutum fuit: ita vt ad interiores ciuilium actuum negotiorumque recessus, & ipsa commodorum publicorum latentia veluti cubilia, terminus illarum proferretur, *Tacitus* præ ceteris vel ductum exhibuit, vel prætulit lucem: Occasione tamen argumenti & genio ferente vel exigente tam opportune selecta ex præcipuis Veterum Historicorum loca adhibentur in subsidium, vt non magis illa abstrusis Taciti sensibus illustrandis, quam illorum interpretationi dissertationes Tacito præcipue destinatæ censeri debeant inseruire. Vnde nobis occasio nata, vt sub indice *Dissertationum ad selecta veterum Historicorum loca* publicandum judicaremus

remus

:emus hunc libellum; qui *Collegij Historico Politici* titulo in manibus Studiosorum versatur. *Libellus memorialis Ethicus* ab Authore ipso hanc inscriptionem tulit; non inusitatam Veteribus; & vniuersum huius totius opusculi institutum egregie expressuram. Libelli enim certe memoriales hi sunt; Practicæ Philosophiæ non plenum neque integrum corpus, sed nihil aliud quam extremas lineas tradere professi: ea propositi disciplina, quam Præfatio Notitiæ Imperii præmissa exhibet. Vnde deriuatum in hunc locum exemplum, ne vel B. Authori vel cuiquam alii fraudi sit, accessura vtrinque supplementa efficient; vt primum me literarii Senatus authoritas magnis jamdum suffragiis mihi promulgata perpulerit, communi-

bus

bus diſcentium commodis priuatam verecundiam debitamque Optimo Socero pietatem poſthabere. Nam mea quidem ſponte nunquam huc deſcendam, vt domeſticæ & ſecretioris diſciplinæ myſteria, contra obſtrictam Præceptori fidem, in vulgus profundam: Sed cum aliqua tamen ex illo genere ſpecimina in quorundam manus dudum peruenerint, quis prædem dabit, non futuros, qui, vt nunc eſt ſeculum, inde laudem affectaturi ſint, ſi ſtrenue judicentur aliena jura muniaque inuolaſſe? Cum quibus vt mihi nullum vnquam induſtriæ vel ambitionis certamen erit; ita non temere permittam vel exiſtimationi Viri, non de me minus quam de literis præclare meriti, vel Tuo, Humane Lector, judicio illudi.



JOH. HENRICI BOECLERI INSTITVTIONES POLITICÆ.

PROOEMIVM.



Vi *ciuilis prudentiæ* institutionem editis in publicum monumentis professi sunt, è tribus viis aliquam institêre, vel duas, vel omnes denique ad vnum finem corriuatas adhibuêre. Sunt, inquam, *Decreta*, sunt *Præcepta*, sunt *Exempla*; quibus docetur disciturque, quicquid est hujus philosophiæ. *Illa* in vniuersum, & quasi in summam, vitæ ciuilis modum describunt: *ista* cuique personæ propria sunt, & ad singulos porriguntur: *hæc* & vsum & specimen vtriusque disciplinæ exhibent. Ita Veterum multi partiebantur: à quorum mente non abludunt, qui duas tantum vias ponunt, *Præcepta* & *Exempla*: sub Præceptis *Decreta* quoque complexi ac dogmata. Atque hæc loquendi ratio hodie ferè vsitatior est. Miscentur autem ista, & temperantur, pro amplissima scribendi libertate, vt cuique placuit.

De variis tradendi Politica modis.

Decretorum Præceptorumque origo, *vel* à priori, vt scholæ loqui amant, repetitur; *vel* à posteriori: quasi quis priore illo modo caussam; hoc posteriore, effectum respiceret indagaret-

Origo præceptorum & decretorũ ab vsu rectæ

rationis in ingenio practico repetitur.

garetque. *Ibi* occurrit *vsus rectæ rationis in ingenio practico*: *hic, ipsa exempla actionum,* nos vel de veritate vel de profunditate dogmatum admonent erudiuntque. Ita omnino sensit *Tacitus,* cum dixit: *pauci prudentia, honesta ab deterioribus,vtilia ab noxiis discernunt*; *plures aliorum euentis docentur.* quasi quis plenius diceret: Est quidem facultas discernendi ea, quæ vel ob honestatem vtilitatemque petenda, vel ob turpitudinem & detrimentum vitanda sunt, natura nobis insita; sed paucis nec nisi sapientiæ studio subactis ingeniis contingit, naturam in omnibus ducem sequi, ejusque dictatu gubernari: in plerisque enim non sufficiunt illa semina, illi igniculi, quos ad prudentiam duces natura inseuit: dum res parum scil. firma, prauitate consuetudinum, opinionum vanitate detorquetur, aut falsâ specie, sub qua sæpe latitant bona ac mala, decipitur: aut variabilitate negotiorum ac mutabili formâ distrahitur; aut præconcepta aliqua sententia occœcatur; vel dissidio rerum, quæ nisi concordes conjunctæque sint, nullæ sunt (honestatem dico & vtilitatem) abripitur. Hi ergò, postquam idoneum rationis vsum corrupére, non alia facilius, quàm exemplorum in obuia æstimatione positorum disciplinâ profecerint.

4. A. 33.

v. Tholos. de Rep. I, 3. 12. & seqq.

Cic. de Off. I, 10. III, 4.

Argumentum ciuilis prudentiæ summatim indicatū.

Monet nos ille Taciti locus, vt ciuilis prudentiæ argumentum, siue ejus argumenti amplitudinem attingamus. Nam, si ex mente veterum loqui debemus, duo sunt, quibus vniuersa prudentia ciuilis continetur, *primum* hone-

honestorum & turpium; *deinde* vtilium & noxiorum distinctio electioque.

Quamquam autem vtilitatis quæstionem nonnulli prudentiæ ciuili ita propriam fecerint, vt *H. Grotius in prolegomenis de Jure Belli & Pacis* Bodinum reprehendat, Aristotelem laudet, quod hic in politicis nihil admiscuerit quæstioni vtilitatis? ille insuper de jure inquisiuerit, non absurdis tamen nituntur rationibus, qui politicam institutionem satis perfectam & ad vsum ciuilis vitæ expeditam negant, nisi vtilium declarationi ratio honestorum, consilio jus, actioni decus adjiciatur. Sicut enim imperiti est, ista confundere; ita prudenter miscentur, quæ non nisi mutua ope & indiscretâ vnitate in sui operis efficaciam conualescunt. Ejus contextus & necessitudo connexionis.

(Quid ad *exemplum Aristotelis* responderi possit, declaratum est inter disserendum. 2. quid Honesti nomine hîc veniat, & quàm late pateat.)

Quæ sententia, sicut suo se robore tuetur, ita nobis insuper commendari debet experimentis sæculi, infeliciter ab hac philosophia degeneris. Ex quo enim *Machiauellus* vtilitatis quæstionem vnice attendendam politico proposuit, negligentius cognitum est de honestatis & juris cura: inualuitque exitiabilis error, quasi ad prudentiam parum pertineret, honestum respicere. Cœpit etiam vaga de rebus ciuilibus philosophandi siue potius sophisticandi ratio, quæ in hunc diem rerumpublicarum vitalia exedit & labefactat. Quam-

quam non nouum hoc morbi genus, à *Machiauello* reductum potius, quam inuentum. Nobis ergo consilium non confundendi libidine, sed conjungendi necessitate, non impetu erroris, sed proposito disciplinæ, in omni deinceps materia, non tantum, quid ex vsu sit, sed etiam, quid boni moris rectitudo, quid jus & æquitas postulet, exponere; adeoque jurisprudentiam illam vniuersalem, & rectæ rationis dictamen circa discrimen honestorum & turpium, justorum & iniquorum (opus vere philosophicum, quod nemo eruditus negauerit) cum regulis prudentiæ exemplisque sociare. Vt enim quidque ad genium ipsius vitæ actionumque accommodatius est, eo magis ciuili prudentiæ consentaneum haberi debet.

Propositū hujus tractationis.

Quæ res effecit, vt multi, dummodo quotidianum vitæ vsum respexisse viderentur, de prudentia ciuili populariter potius quam accurate loquerentur. Ita, cum *Carolus Paschalius* egregium de his studiis nomen meritus, scripsit; *Ciuilem scientiam tribus rebus censeri; cognitione juris, peritia historiarum, eloquentia*: omnes intelligunt, *eloquentiam* vt instrumentum ciuilis viri valde necessarium huc conduci, *cognitionem juris* vel vt partem nominari (si de j...e ciuili sermo sit, quam prudentiam ad judiciariam referunt *Interpretes Aristotelis ad 6. Ethic.* 8.) vel vt affinem disciplinam propinquaq; necessitudine conjunctam. neque minus ex ante dictis patet, quomodo illa vniuersalis jurisprudentia, *de jure belli & pacis*,

Quomodo alii securi⁹ loquantur de ciuilis doctrinæ institutione.

in Legato cap. 15.

pacis, vt *Cicero* vocat, siue *de jure naturæ & gentium*, sicut junior schola loquitur, huc pertineat. *Historiarum* autem *peritia*, quam sit propria huic studio, alibi declaratur: extatque de legenda ad hunc vsum historia illustris dissertatio *Casauboni*, *Polybio* præfixa; tum initio *commentarij in librum* 1. *Polyb.* seorsum impressi: ne de veterum Historiarum præfationibus dicam, à *Lipsio* non indiligenter laudatis. Princeps Historiæ commendatio, quod experientiam parit; siue experientiæ vera æstimatione æquatur. Experiendo autem discere, potentissimum discendi genus est. quod non male historiæ aptaveris: *quia facilius, quid imitandum & quid vitandum sit, docemur exemplo*, vt hoc verbis *Senecæ Patris* dicam. *Controu. IV, 25.*

Non desunt, qui ciuilem prudentiam à Politico Christiano in rep. Christianâ aptè exerceri non posse statuunt, nisi à Theologia subinde aliquid præsidii mutuetur. recte; dummodo absit confusio, quæ imperitis loco philosophiæ est. Non traditur equidem in S. literis noua doctrina ciuilis: sed ea, quam recta ratio, quæ ipsa vox & lex DEI in mentibus est, indicauit, ita explicatur, & ad negotia memorabilia adhibetur, vt nesciri ista sine incommodo nequeant ab erudito Politico. *cui à Theologia præsidium parandum.*

(Dictum hac occasione de *Augustino* & *opere de C. D.*)

Hæc, atque id genus alia non intempestiue monentur, cum de Studio ciuilis prudentiæ tractatio instituitur. confusioni autem

omnis præcidenda occasio est: quam non vitant, qui omnia in cumulum, ceu indigestam molem, conjiciunt.

Lydius lapis hujus institutionis, vsus & praxis vitæ.

Neque idoneos satis prudentiæ ciuilis magistros dixeris, qui disciplinam vitæ natam meris artificialibus formulis τεχνολογουμένοις concludunt; scholæque aptiorem, quam reipubl. concinnant, practica denique modo nimis theoretico pertractant; magis sæpe dediti subtilibus circa decreta quæstionibus, quam actionum ciuilium formis ac vsibus: quod ne veteres quidem vitarunt semper. Illustris est locus Ciceronis: *Nam veteres verbo tenus, acute illi quidem, sed non ad hunc vsum popularem atq́ ciuilem de rep. disserebant. Ab hac familia magis ista manarunt Platone Principe: post Aristoteles illustrauit omnem hunc ciuilem in disputando locum; Heraclidesq́, Ponticus profectus ab eodem Platone, Theophrastus vero institutus ab Aristotele [illegible] vit, vt scitis, in eo genere rerum; ab eodemq́, Aristotele doctus Dicæarchus, huic rationi studioq́, non defuit. Post à Theophrasto Phaleræus ille Demetrius, mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum otioque, non modo in solem atq́ puluerem, sed in ipsum discrimen aciemq́ produxit.*

de LL. III, 6.

Addi possunt, quæ sequuntur. ex quibus intelligitur duplex Politica tradendi modus; alter *vmbraticus* & scholis aptior; alter serius, grauis, solidus, splendidus, *vitæ, & negotiis accommodatus*. Qui judicio valent, non pauca ad hoc discrimen spectantia obseruauerint in *Epistolis Senecæ* 94. & 95. vbi de dogmatibus & præceptis disputatur; simulque *superuacaneum studium* seu

περιεργία Stoicorum circa ciuilem ſcientiam notatur.

(Dictum hac occaſione de ſyſtematibus & tabulis technologicis: de quæſtionariis: de diſputatoribus: de diſcurſuum ſcriptoribus.)

Quomodo autem ex vario genere auctorum ſcriptorumque diſciplina ciuilis prudentiæ haurienda ſit; quomodo antiquitas cum genio ſæculi noſtri comparanda aut conciliandа: quomodo vitæ denique potius, quàm ſcholæ aptanda ſtudia ſint; in re præſenti, & ſingularum tractatione materiarum rectius noſcetur.

Nunc duo tantum monemus: *primum*, ut amplitudinem ciuilis doctrinæ ſerio æſtimemus; *deinde* ut pignus & ſpecimen profectus fideli deſtinatione nobis conſtituamus. In *illa* parte ſolatium: in *hac* regulam commendamus. Solatium verba *Ciceronis* nobis exhibent, cum, quæ Oratori neceſſaria, executus, ita ſubdit: *Iſta diſcuntur facile, ſi & ſumas, quantum opus ſit, & habeas, qui docere fideliter poſſit, & ſcias etiam ipſe diſcere.* Regulam profectus *Seneca* exequitur: *Aliud eſt meminiſſe, aliud ſcire. Meminiſſe, eſt rem commiſſam memoriæ cuſtodire: at contra ſcire, eſt & ſua facere quæq;, nec ab exemplari pendere, & toties ad magiſtrum reſpicere.*

Monita præmittuntur.

de Orat. III. 23.

Ep. 33.

LIBER I. CAP. I.

De Ciuitate & Republ. in Politicis tractari. Aristotelis de origine ciuilis societatis sententia integra proponitur. Antiquorum nonnullorum sententia duplex de origine ciuitatis, partim refutatur, partim explicatur. Fundamentum omnis philosophiæ ciuilis ex prædicta Aristotelis sententia constituitur.

De Ciuitate & Rep. variorum scriptorũ instituta expendũtur & conciliantur.

QUid in Politicis tradatur, ipsum nomen, quod à *Ciuitate* deductum est, satis ostendit: putamusque, nimis otiose & scholastice lites agitari, scriptoribus se inuicem reprehendentibus, quod vel *Ciuitatem* hi, vel *Rempubl.* illi, vt argumentum doctrinæ ciuilis nominant. sicut enim *alterum* vocabulum de materia; *alterum* de forma, docendi caussa accipi, nihil vetat: ita totum hic quæri, non partem, abunde certum est. Neque existimari debet, *Aristotelem*, cum scientiam viri

viri ciuilis bene instituenda beneque administranda ciuitate definiuit, rude aliquod corpus ciuitatis, nullo animatum spiritu intellexisse; sed vel inprimis rationem habuisse illius ordinis, sine quo nec ciuitas dici mereatur, nec respubl. cogitari potest. Ex diverso nimis quam clarum est, cum veteres, & eorum imitatione quidam juniores, omnem hanc *tractationem* (πραγματείαν) de *Republica* inscribunt; & corpus societatis ciuilis, & ejus corporis ordinationem indicari. Cujus quæstionis occasione, statim & quasi in limine monendum est, splendore ciuilis disciplinæ indignum esse, vmbraticas captiunculas vocum, & verborum cavillationes sectari: præsertim, vbi de Scriptorum mente constat.

Qui Aristotelem intelligunt, non ignorant, initio grauissimi operis, hanc ejus de Ciuitate siue ciuili societate sententiam consignatam extare: *Homini natura inesse appetitum societatis; non vt aliis plerisq; animantibus, sed excellentem: neq; cujuscunq; societatis; sed rationi, quâ præcellit homo, convenientis, id est, bene compositæ rebusq; necessariis instructæ.* Quia enim solus, *ex animantibus, homo justum ab injusto, vtile noxio discernere, idq; discrimen oratione explicare potest; igitur ad defectum mutuæ indigentiæ, quam natura machinata est, collatis sociorum viribus officiisq; explendum, modumq; societati, quæ humana sit ac ciuilis, non belluina & rudis, imponendum, legibus ac jure, adeoq; certo imperandi parendiq; ordine opus esse animaduertit.* Id in singulis societatibus, *etiam primis ac minoribus, vsq; ad eam,*

De origine ciuilis societatis Aristotelis sententia *Polit. I, 1. & 2.*

Cic. de Offic. I, 16.

„ *quæ omnium princeps est, & Ciuitas dicitur, obti-*
„ *nere consentaneum est.* Videmus ergo conjungi naturam appetentem, indigentiam inuitantem, rationem ordinantem: vt euadat ciuitas instructa copiis, formata jure, non ad viuendũ modo, sed ab bene viuendum. Omnia, inquam, hæc sunt naturalia ex mente *Aristotelis*: appetitus ciuilis societatis, ordo societatis, jura & imperium ciuitatis, quâ talis.

(Dictum hac occasione, quomodo ex S. literis & Theologia origo societatis ciuilis proponenda sit: & quomodo Christiani explicare debeant vocem naturæ, quando cum philosophis loquuntur.)

Reliquorum Gentiliũ in hoc philosophandi genere errores:

Ethnicorum multis, duobus fere modis contingit in hoc philosophandi genere à vero elabi. Sunt enim, *qui indigentiam & necessitatem solam,* origini ciuitatum demonstrandæ adhibent: quasi primi homines, ferino ritu, sine jure, sine more victitantes, ipso talis vitæ damno tædioque compulsi, ad ciuilem societatem se traduci passi sint. Legi digna sunt, quæ de incondita & belluina primorum hominum vita *Diodorus Siculus* habet. *libr.* 1. vnde pleraque transcripsit in *Præparationem Euangelicam Eusebius lib.* 1. *cap.* 7. Neque disconueniunt *Vitruuio* annotata *lib.* 2. *cap.* 1. *Lucretius* quoque *libro V.* sui operis fuse de primis hominibus; qui

Volgiuago vitam tractabant more ferarum:

Nec commune bonum poterant spectare, neq; vllis
Moribus inter se sciibant, neq; legibus vti.

donec

donec auctores vitæ meliores extitere, *vitamque priorem*

Commutare nouis monſtrabant rebus.

Talia apud *Poëtas* paſſim. Euenerunt autem ſententiæ iſtæ non vnis de cauſſis, neque vno conſilio vſurpatæ ſunt. Primum enim *ignorantia primæua antiquitatis*, ſolis ſcilicet literis ſacris traditæ, hîc apparet; deinde *barbaries paucarum quarundam gentium*, in quadam ἀναρχίᾳ, certe incondita ſocietate, quæ ciuilis dici non mereatur, viuentium deſcribitur. Ita *Salluſtius Aborigines* deſignat *genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atq; ſolutum*: Et in *Jugurthâ*, priſcos *Getulos* ac *Libyas*; qui *aſperi incultiq;, neq; moribus, neq; lege aut imperio cujusquam regebantur, vagi, palantes.* In his natura conſuetudine, aut hebetudine impeditur, quo minus ſocietatem, quam tamen interim affectant, ad rationis humanitatem componant. Eſt & *tertio*, conſilium id philoſophantium, cum fingunt veluti per hypotheſin, imaginem vitæ, quando abeſſet intellectus ciuilis ſocietatis, & cuſtodia ejus ſocietatis intellectui humano conveniens, notitiaque honeſtatis ac vtilitatis inſtructa: vt beneficium eorum, qui naturam ſecuti, ciuitatum rudimenta, ipſaſque ciuitates condiderunt, amplius reddatur ac illuſtrius, neceſſitaſque talis inſtituti commendetur. Animaduertas non obſcure propoſitum id fuiſſe *Ciceroni*, in memorabili diſſertatione *de inuent.* I, 2. Idem ſcilicet voluerunt, quaſi quis cum *Colote Epicureo* apud *Plutarchum* diceret: *ſi quis leges*

de bell. Cat. c. 6.

cap. 18.

lib. 1. adverſ. Colot.

leges & ordinem ciuilis societatis tolleret, futurum vt vitam viueremus ferarum, & qui alium haberet obuium, ipsum tantum non deuoraret. Licet enim natura ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, ciuiles nos fecerit: tantam tamen esse corruptelam malæ consuetudinis nouimus; vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria, nisi disciplina & imperio in ordinem redigatur humana societas.

Vnde intelligitur, quid sentiendum sit, quando alii Ethnicorum, ratione prorsus diuersa, primis *hominibus tribuunt vitam compositam, societatisq; ciuilis custodia spontanea, absq; parendi necessitate & imperandi potestate præcel-*
III. A. 26. *lentem.* Notus est *Taciti locus*: *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoq; sine pœna ac coërcitionibus agebant.* & quæ sequuntur. *Seneca* quoque supra verum extollit antiquos *mortales, quiq; ex his ge-*
Epist. 90. *niti erant, quod naturam incorrupti secuti sint, eandemq; habuerint & ducem & legem.* De inscitia primorum temporum in Ethnicis jam diximus. Quidquid interim in his boni verique est, comparationem potius temporum, quam descriptionem antiquitatis habere, putandum est. Ita plerique de suis ciuibus ac populis conqueruntur, ex prisca probitate & boni moris sinceritate degeneratum esse. Scilicet hæ vices semper voluuntur, & in orbem
Exordio Histor. redeunt. *Liuius* antiquos mores virosque Romanorum, paulatim labente disciplina, obsoleuisse,

leuisse, & pro bonis exemplis, libidinem pereundi perdendique omnia, successisse ostendit. *Florus* antiqua rei Romanorum tempora vocat *Sancta* : posterioribus annis cruentam fœditatem exprobrat. Et in omnium ore est *Horatij* carmen: *lib. 3. carm. od. 6.*

Ætas parentum pejor auis, tulit
Nos nequiores; mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ita quando Poëtæ *de aureo Saturni sæculo* fabulantur,

——— ——— *quod vindice nullo*
Sponte sua, sine lege, fidem rectumq; colebat: *Ovid. metam. 1, 3.*

doctrinam periodicam, ex *Platonis* schola proditam, respiciunt; quasi perpetua rerum vicissitudine se inuicem exciperent, sæculum, τὸ ἡγεμονικὸν, quasi dicas imperatorium aut rectorium; τὸ ἐπιθυμητικὸν, in quo concupiscentia seu cupido habendi dominaretur; τὸ θυμικὸν, quod vi & impetu iracundiæ, magnisque ac heroicis motibus administraretur. Primum illud, est aurea ætas sub Diuino imperio: reliqua, Fortunæ & Dæmonum arbitrio subjiciunt, atque vt laboriosiora, ita infeliciora credunt. Egit egregie de hac re *Virgilius in Ecloga IV. Pollionis nomine inscripta.* simplicissima explicatio est: *Auream & bene compositam facilemq; vitam esse, quotiens homines omnia reponunt in diuina prouidentia: Quotiens autem suam cupiditatem ducem sequuntur: suisq; viribus, suo impetu omnia confici posse decernunt, deterius difficiliusq; viui.* Ex quo apparet. Poëticam fabulam, si recte exponatur, ad originem ciuitatum, *vid. Heins. in Hesiod. ἔργα καὶ ἡμέρας.*

uitatum, proprie non ſpectare. Nam quantum ad illam materiam attinet, etiamſi concedatur, paucos forte & ſingulari heroicoque ingenio præditos, ſponte ac ſolo naturæ ductu regi potuiſſe: de multitudine certe id affirmare aut ſuſpicari ſaltem, non eſt prudentis. *Ariſtoteles* non oblitus eſt monere, cum *lib.* 10. *Eth. Nicomach. cap.* 9. ita loquitur: *Multitudo non apta* (ſeu *nata*) *eſt, pudore, ſed metu regi: neq; abſtinere rebus malis, propter turpitudinem, ſed propter pœnas.*

Fundamẽtum ciuilis Prudentiæ ex ſententia veterũ.

Sicut autem vſus rectæ rationis in conſtituenda regendaque ciuitate, non minus circa honeſtatem, quam circa vtilitatem verſatur: ita conſtans fuit *Ariſtotelis, Platonis,* & optimi cujusque veterum ſententia, *vtilitatem ab honeſtate non eſſe diuellendam*: ſeu, nihil vtile habendum, niſi quod idem honeſtum eſſet: adeoque (vt ſemel complectamur) nihil ſociale ac ciuile, aut vita prudentiaque ſociali ac ciuili dignum eſſe, niſi quod ab honeſtate profectum, ad vtilitatem ſingulorum ac vniuerſorum contenderet. Recte enim *Socrates* apud *Ciceronem execrari eum ſolebat, qui primus vtilitatem à natura ſejunxiſſet. id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium.* Qua de re ille ipſe, quem laudaui, *Cicero in officiis* accurate & copioſe diſputat. Valetque hæc ratio non in ciuitate tantum, ſed in minoribus etiam & primis ſocietatibus, quatenus ſcilicet naturæ rationalis proles ſunt. Merebatur hoc, tanquam dogma præcipuum, hoc loco diligentius commendari, non diſſimulata laude *Juſti Lipſii,*

de LL. I, 12. & de off. II, 3.

lib. 3. pleraque parte

Lipsii, qui præ ceteris, omnem ciuilis vitæ rationem, *honestate & virtute*, tanquam fundamento construxit. Honestate autem, id quod justum & æquum esse natura dictitat, contineri, etiam ante dictum est. Qui hanc rationem de Ciuitate philosophandi deserunt, calliditatem potius quam prudentiam sectantur.

(De mixtura honestorum & vtilium, *Tacito* laudatâ (*Agric.* 8.) in *exercit. Plinianis* egimus; eritque locus infra.)

Sed nos, cum Principe Philosophorum, antequam de Ciuitate agamus, ad illas societates prævertemur, ex quibus denique Ciuitas oritur.

CAP. II.

De Societate Conjugali.

DOmus ex iis est. Facit autem partes domesticæ societatis tres *Aristoteles* (*Polit. I*, 3. & 8.) *Conjugalem*, *Patriam*, & *Herilem Societatem*. de quarum singulis agit. Inseruire autem domesticæ societati, ait, *artem acquirendi*. de qua itidem hac occasione eximie tractat, *Polit. I*, 4.5.6.7.

Domestica societas è tribus: *v. omnin. Cic. 1. off.* 17.

Conjugum prima est *societas*: de qua nunc agendum. Aliter eam Philosophi describunt; aliter Theologi Christiani, qui aliqua Ethnicis ignorata addunt. Juris s. legum ciuilium conditores formulis constringunt ex vsu temporis & Reip. ornant ritibus connubia; in quo genere maxima industria Juris Romani elucescit. Nullam è tribus disciplinam potest negli-

quarum prima conjugalis scilicet.

negligere, qui ſocietatem conjugalem ex vſu hodiernæ Reip. cognitam habere cupit.

deſcribitur. Deſcriptionem Philoſophia hanc ſuggerit, quod *Conjugium* ſeu ſocietas conjugalis ſit *legitima & indiſſolubilis vnius viri & vnius fœminæ conjunctio, diuinitus, ad liberorum procreationem, & mutui auxilij ergo, inſtituta.*

Theologia addit comparationem & ſimilitudinem deſponſationis Chriſti cum Eccleſia; tùm cuſtodiam caſtimoniæ ſiue vitationem ſcortationis; qui finis ex labe corruptionis humanæ naturæ acceſſit.

à natura repetitur. Originem hujus ſocietatis à natura repetit *Philoſophus*: non eo ſenſu, ſicut cetera quoque animalia ſibi ſimile generare concupiſcunt; ſed à dictato rectæ rationis, ſiue appetitu ordinatiore, & intelligentia mutui ſubſidii: quatenus ſcilicet homo intelligit, quomodo à Diuino Numine viri fœminæque natura ad communionem mutuam facta ſit: juxta locum notabilem 1. *Oeconom.* 3.

ad remp. accommodatur. Intereſſe autem Ciuitatis & Reip. vt hæc ſocietas, ab ipſo DEO inſtituta (quod Chriſtiani jam melius intelligunt) recte ſe habeat, ſeu bene contrahatur, bene colatur, tum cognatio partis cum toto, adeoque res ipſa ſatis euincit; tum omnium Legislatorum in formanda ciuitate occupatorum perpetua cura oſtendit: Quæ omiſſa remp. funditus trahit.

3. Carm. 6. vt vera omnino ac prudens ſit *Horatij* de Ciuitatis Romanæ deprauatione obſeruatio:

Fœcunda culpæ ſæcula, nuptias
Primum inquinauere, & genus & domos:

Hoc fonte deriuata clades,
In patriam populumq; fluxit.

Meminisse debemus, Prudentiam ciuilem nos tractare: cuius munia semper eo pertinent, vt, quid liceat, deceat, oporteat; tum, quid conducat, aut minus noceat facere, spectemus. Tenebimus hanc viam per singulas partes: ac primo, quibus rebus effici coniugalis societas debeat, considerabimus. Acceditur ad efficientia coniugii.

Postquam ergo à Deo, matrimonii omnis legitimi auctore, discesserimus, ante omnia nobis occurrit, vt, qui coniugalem societatem contrahunt, libere & deliberato consilio id faciant: si enim vsquam, certe in matrimonio libertas necessaria est. Consentiant ergo oportet, siue disertis verbis, siue ita, vt intelligi consensus possit, tum ii, qui matrimonio jungi debent; tum ii, quorum in potestate sunt; vt parentes, quique loco parentum sunt. vbi occurrit consensus jungẽdorum;

Nam horum quoque consensum requiri verum est, jure naturæ (quod *Justinianus Imperator* asserit: & rationibus probat *Gerhardus de Conjug.* §. 64. licet *Grotius de I. B. II, 5, 10.* ad officii regulam, & reuerentiam liberis præceptam potius, quam ad juris dictamen referre malit) Jure diuino (inculcante & institutionem matrimonii & auctoritatem parentum in coniugiis vel institutis vel impeditis, imo etiam circa vota liberorum) denique jure ciuili; quod quidem matris consensum non ita stricte requirit: nisi quod nonnulli Doctores etiam hunc postulant. Circa *ordinem* consen- Itemque Parentum.

 titur;

titur: in conflictu, patris consensum antehaberi; tum, matris voluntatem præferri tutori; & si qua eius generis huc pertinent. Neque deest *temperamentum* à prudentia, voluntates parentum ad æquum & bonum reuocante, vitia ipsorum coërcente, dolorem mitigante, veniæ rationes, si subnascuntur, ostendente; neque facile rescissionem contractorum matrimoniorum approbante. Huc consistoria Ecclesiastica, huc ciuilis judex, consilia & auctoritatem adhibent.

Consensum vitiant, Error; Abesse ergo debet *Error*. non quidem *nominis*, quod Canonistæ tradunt; nisi secum trahat errorem corporis siue personæ: nam *is* impedit matrimonium & sponsalia facit irrita. *Error quoq; circa bona fortunæ* non impedit sacrum vinculum. e. g. *circa diuitias* (nisi tamen accesserit dolus) *circa nobilitatem* (nisi tamen lege ciuili seu prouinciali aliter constitutum sit) *circa statum seruitutis*, quæ hodie nulla est fere inter Christianos: olim tamen lege Rom. non erat coñubium libero cum serua &c. *circa statum peregrinitatis*: à ciuili enim lege, non à natura est illa exceptio, qua vtitur ille apud *Senecam*: *promisi tibi filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum externo connubium*. (de benefic. IV, 35.) Hæc enim vera sunt matrimonia, licet lex ciuilis possit & licentiam eorum adstringere, & effectus quosdam impedire. Neque *circa animi bona* error admissus contrahentes à nexu liberat, sed exprobratione imprudentiæ suggillat. Nimis autē liberales sunt Juris Canonici doctores, qui etiam *virginita-*

tis ementitæ dolum condonant: non adſentientibus Theologis & JCtis aliis; niſi quod ſuſpicionibus minime indulgendum, experimentis vulgo jactatis non fidendum, mature ſuum jus vrgendum, aut, poſt conniuentiam, tacendum; aliaque eiusmodi conſilia ſuggerunt: in re certa autem jure ſuo cedere nolentibus importuni non ſunt.

Abeſſe deinde in omni matrimonio contrahendo *dolus* debet: qui non tantum LL. ciuilibus contractum irritum reddit, ſed juri quoque & æquitati naturali repugnat, facultatemque judicandi in hoc negotio prorſus interuertit. **Dolus;**

Ebrietas quoque, ſi grauior fuerit, nec actio poſt diſcuſſas mentis nebulas à ſobrio firmitatem acceperit, conſenſum vitiat. Si quis tamen compertus eſt adſumſiſſe ebrietatis laruam ſæpius, & ſubdole ad eludendas matrimonii pollicitatione fœminas, judicem experiri dignus eſt ſeueriorem, quique nec ſibi nec matrimoniis illudi patiatur. **Ebrietas;**

Fatuis quoque & *Furioſis* (ſi quidem & iſti vere tales ſint ac plene; & ſi nulla lucida ſui furoris interualla habeant) facultas contrahendi matrimonii non competit: tum defectu conſenſus (neque enim judicio vti integro poſſunt) tum, quia tales perſonæ non ſunt idonea matrimonii materia. Qua occaſione graui conſilio *Gerhardus* eos reprehendit, qui moriones matrimonio coniungunt. 2. Furioſis licite pharmaca reſtinguendæ libidini deſtinata adhiberi putat. 3. Prohibendas in **Fatuitas & Furor;** *Loc. de Coniug. §. 228.*

Christiana rep. personas sanæ mentis, quæ furiosis jungi volunt, pronuntiat.

Minæ; justus metus vis s. violentia coactio.

Neque illis consensus verus & plena voluntatis libertas competit, qui minis, metu, vi ad contrahendum matrimonium adiguntur. sicut enim priora judicii integritati; ita hæc voluntatis libertati, vt dictum est, intercedunt. Lex est enim non scripta tantum, sed nata, *vt per vim metumq; gesta ne sint rata*. apud *Senecam Patrem*: vbi simul tractatur, *qua vis sit*; deinde, *si in re vis & necessitas sit, an illa tamen rescindantur, qua per vim & necessitatem gesta sunt, si vis & necessitas à paciscente adhibita non est*? Nam in hac quoque materia, justus metus verusque, isque ab homine illatus contrahenti, non à fatali quodam casu, quæritur. Igitur huc pertinent illa: *Vis est & necessitas, vbi velim nolim, succumbendum est.* Et: *Non est vis, vbi aliquid expediendæ rei causa patiendum est, sed ratio.* Et: *Non est admouere vim, aliquid cum certa conditione promittere.*

Controu. IV, 26.

Cernitur autem vis maxime in *Raptu*; quando fœmina, nolens siue volens, è custodia suorum eripitur, libidinis caussa. Cum hac etiamsi matrimonium postea ineatur, irritum erit, si rapta aut parentes eius voluerint. Quanquam plerumque hodie pœna, quæ capitalis jure Justinianeo constituta est, dirimit, quod male cœperat coniungi. Apud *Senecam Patrem* Lex extat: *Rapta raptoris mortem aut indotatas nuptias optet. Controu. I,5. III.23. Exc.VII,8.* Et alia: *Raptor nisi suum, & rapta patrem intra trigesimam diem exorauerit, pereat. Controu. II,11.*

Exc.

Exc. II, 3. Justa hinc belli caussa, aduersus eos, qui judicio non possunt conueniri, plerisque visa: quamquam prudentius aliquando omitti debuerunt bella. vid. quæ apud *Herodotum* habentur *lib. 1. pr.* Raptum tamen Sabinarum à Romulo factum (quem *Augustinus de C. D. II, 17.* iniuriam vocat) quomodo excuset *Grotius*, vide de *I. B. II, 2, 21.* verba Augustini ista sunt: *Nam si iniq; Sabini facerent negare postulatas, quanto fuit iniquius, rapere non datas? Aliquo enim fortasse jure belli iniuste negatas, juste victor auferret. Nullo autem jure Pacis non datas rapuit, & iniustum bellum cum earum parentibus juste succensentibus gessit.*

Sicut autem recte constitutum est, vt fœminæ in eligendo matrimonio alienum potius, quam suum arbitrium sequerentur (pudori enim muliebri conuenientius hoc fuerit) ita Parentes & Tutores admoneri debent, ne hoc jure suo vel nimis rigide vtantur, obtrudendo inconsultis fœminis maritos, quod asperum & imite habetur; vel suis vtilitatibus, lucris, consiliis, veluti victimas consecrent miserarum sponsarum nuptias. Raro enim felicia sunt eiusmodi matrimonia: Quanquam in Principum Regumque familiis nihil frequentius. Ibi enim plerumque *ratio Status* (vt hodie loquuntur) Junonis & Lucinæ auspicia supplet: tædasque nonnunquam lugubres potius quam nuptiales accendit. Vidit sæculum ab hoc proximum grande exemplum in pace Polonica, quam Sigismundus cum Moscho fecerat, inter alias hac conditione, vt

Catharina filia sua, Sigismundi Augusti soror, Moscho nuberet. At illa tale aspernata matrimonium, Johanni Duci Finlandiæ, postea Sueciæ Regi, collocata est: vnde bellum à Moscho Suecis illatum, quod Johannes III. & Stephanus Polonus debellarunt. *Gregor. Tholosan. de Rep. XI, 1, 8. ex panegyrico Erici Faletz.* v. *omnino Thuan. 1569. lib. 43. p. 526.*

anno 1582.

De consensu spōsalitio.

Multo magis hoc accidit in *consensu sponsalitio,* vbi plus sibi parentes, quam in nuptiali permittunt: quamquam reuera non proficere debent sponsalia in nuptias, nisi personæ jungendæ consenserint. Itaque in immaturis impuberum desponsationibus tempus legitimi consensus expectandum, vt conualescant. Periculum talium sponsaliorum diligenter ostendit *Arnisæus commentario politico de jure connubiorum cap. 2. §. 9. & seqq.* vnde nota Augusti seueritas, in hoc negotio, memorata *Suetonio Aug. 34. Dioni lib. 54.* explicata *Lipsio ad 3. Annal. Tac.* Cæterum de *sponsalibus* diligenter egēre *Cypræus de Spons.* & *Gerhardus de coniug.* Nobis enim non est opus, his immorari, cum ex ipsa de matrimonio tractatione pleraque satis diiudicentur. Potius ergo accedemus ad considerationem *Personarum,* quæ matrimonio coniungi debent ac possunt.

Transitus ad materiam coniugii, sc. personas, quarum spectatur numerus binarius;

Marem ac fœminam, non autem vnius sexus personas matrimonio jungi, ex iis, quæ ab initio dicta sunt, clarum est. *De vno autem mare, deq; vna fœmina,* hoc capi debet. *Jure Diuino* res clara ex *Gen. 1, 24. Matth. 19, 4. 1. Cor. 7, 2.* vbi duo in carnem vnam junguntur: nec in N. T.

vbi

vbi de coniugio sermo est, vnquam plurium mentio fit. Nec de *jure ciuili* dubitatio superest. *Philosophorum* quoque præcipui damnarunt Polygamiam, id est, vnius viri cum pluribus mulieribus coniugium. nam multorum virorum cum vna fœmina matrimonii exempla vix inuenias in consuetudinem perducta: nisi quod *Æneas Syluius* veterum Lituanorum nobilibus fœminis hanc consuetudinem tribuit, quasi licuerit illis *matrimonij adiutores* suis maritis adsciscere. Hanc barbariem pridem extinctam, non sunt, qui hodie vsurpent. At illam alteram polygamiam, plerisque olim gentibus, (exceptis Germanis) vsitatam, nec hodie omittunt Muhammedistæ, & barbarorum multi in Americano orbe. Quare *Grotius* juri naturæ non aduersari hanc polygamiam statuit, *Scholasticos* eâ in re secutus. Sed verius est, corruptæ rationi siue deprauationi luminis naturalis illam gentium consuetudinem tribuendam: nisi quis verbo conetur fallere, & jus naturæ arctioribus, quam fas est, includere limitibus. Congessit non indiligenter, quæ ad hunc locum pertinent, *Arnisæus de jure connub. cap. 4. sect. 2. & 3.*

exclusa polygamia.

descript. Europ. 26

Tac. Germ. 18.

de I.B. & P. II, 5, 9.

Id tamen, quod *Grotium,* anteque ipsum alios in hanc sententiam induxit, est *Polygamia Patrum in Veteri Testamento.* Hanc dum in oculis habet, repetit *Rabbinorum & Bernhardi Ochini* argumenta *Grotius*, ac in N. demum Testamento non ex primæuo jure, siue ex eo, quod simpliciter justum bonumque esset, sed ex eo, quod melius justiusque videretur, quæsitam

nouæ legislationi materiam, qua Polygamia prohiberetur, asserit: cum debuisset meminisse ejus, quod copiose *Isidorus Pelusiota* demonstrat, ὅτι καινότητα δογμάτων οὐδεμίαν τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς ἐπεισήγαγε. *quod Filius DEI nullam omnino nouitatem dogmatum lege & prophetis superinduxit. Lib.* 1. *Epist.* 107. De Hebræorum sententia fuse actum *Seldeno in Vxore Hebraica*, & *de I. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum, lib.* 5. *cap.* 6. Ardua sane de Patribus V. T. quæstio: in qua explananda, aliqui ad dispensationem diuinam, conjectura tamen magis, quam argumentis ducti, confugiunt; alii næuum & peccatum in illa Polygamia agnoscunt, toleratum Deo, non probatum; quæ sententia, quia regulam in judicando ordinariam sequitur, carpi non potest. Nonnulli denique, vt in re scitu decisuque non plane necessaria, malunt se eruditæ ignorantiæ symbolo tueri, *Non liquet*.

Gerh. V. It. Meisn. in phil. sobr.

(Dictum de Luthero defenso circa licentiam Polygamiæ.)

Sicut autem polygamia non rationi tantum matrimonii repugnat, sed seueris etiam hodie pœnis coërcetur: (id quod circa pellices quoque & concubinas obseruatur) ita soluto matrimonio per mortem, aut etiam sententia judicis, quantum ad partem innocentem attinet, iterari matrimonium potest, & ad altera pacta transiri. Habent sane secundæ nuptiæ suos osores extra & intra Ecclesiam. Apud Germanos veteres nonnullæ ciuitates,

tates, laudante illud institutum *Tacito*, non permittebant secundas nuptias: *in quibus ciuitatibus tantum virgines nubebant, & cum spe votoq; vxoris semel transigebatur. Sic vnum accipiunt maritum* (hunc colorem addit *Historicus*) *quo modo vnum corpus, vnamq; vitam, nec vlla cogitatio vltra, nec longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament.* E Patribus *Tertulliani liber de monogamia* notus est: ne de *Hieronymo*, secundis nuptiis valde iniquo, aliisque dicam. Hinc *Conciliorum aliqui Canones* & *Pontificiorum quorundam disputationes* durius audent pronuntiare. Nam de *Hæreticis nonnullis* non est mirum. sed clara sunt loca *juris diuini Rom.* 7, 2. 1. *Cor.* 7, 9. & 39. 1. *Tim.* 5, 14. addantur *Deut.* 25, 5. *Ezech.* 44, 22. *Matth.* 22, 29. *Joh.* 4, 18.

Definit autem partim naturalis ratio, partim Lex, qui mares quibus fœminis jungi possint. Si enim natiuitas, aut infortunium inhabiles fecit ad consuetudinem coniugalem, suam solitudinem ferant oportet, neque nuptias affectent, aut affectare sinantur. *Ætas* quoque justa requiritur, quam pubertate; pubertatem autem in puellis anno ætatis 12. in maribus 14. definit jus Justinianeum, multis non probantibus. (v. *Arnisæus de jure connub. cap.* 2. *sect.* 3.) Merito certe male audiunt nuptiæ adolescentiorum, siue ipsos coniuges spectemus, siue Reip. vtilitatem, cui societas coniugalis inseruire debet. Digna est quæ legatur *Platonis* dissertatio *lib. IV. de LL.* & *lib. VI.* vbi mares ab anno ætatis 25. aut 30.

Conditio & qualitas respectu corporis & ætatis;

vſque ad 35. matrimoniis contrahendis de-
Pol. VII, 16. ſtinat. Neque juniorum nuptiis fauet *Ariſtoteles*,qui annum idoneæ ætatis adſignat fœminis 18. Viris 37. quaſi tempus pleni vigoris in vtroque ſexu: eaque de re leges ferri vult; vt & de vitandis matrimoniis nimium inæqualibus ratione ætatis.e.g. ſi vetulæ juuenibus,aut decrepiti ſenes puellis jungantur. quæ, vt prohiberi hodie ſemper nequeunt, ita diſſuadentur ſemper à prudentibus, ipſoque euentu il-
Ergy. II, 69. &c. lætabili coarguuntur. *Heſiodus virum, cum vxorem ducturus eſt, neq; multum infra neq; multum ſupra triginta annos vult proceſſiſſe: fœmina autem quinto demum poſt initium pubertatis anno permittit nubere*: ratione vſus, vt apparet, qua *Plato* & *Ariſtoteles*. Cur in Hiſpania defecerit copia hominum, inter alias cauſſas, immaturitatem nuptiarum Hiſtorici memorant. (vid. *Merula in Hiſpan.*) ne dicam de aliis calamitatibus, quibus proiectiſſimum ad libidinem populum Deus publice vltus eſt.

reſp. ſtatus. Quæ ſtatum ſpectant perſonarum in cauſſis matrimonii, fere juris ciuilis inuenta ſunt, e. g. de ſeruis & liberis, de peregrinis, de Senatoribus, de tutoribus & curatoribus. Jure enim diuino & naturali nihil prohibet (ſeruitute præſertim inter Chriſtianos ſublata) diuerſæ conditionis perſonas jungi. Quin ipſum jus ciuile laxauit libertatem, cum nobilibus permiſit ignobiles vxores ducere, citra præiudicium liberorum ex tali coniugio natorum, tum in aliis honoribus, tum in feudis (niſi tamen pacto ſpeciali aliter conuenerit)

rit) ſicut poſt alios docent *Sinolt. Schütz in Colleg. I. P. part* 1. *diſp.* 9. *th.* 2. *&* 8. & *Theodorus Reinking. de regim. ſæc. & eccl. lib.* 1. *claſſe* 5. *cap.* 11. §. 23. *&* 24. Cur autem diuerſa ſit ratio nobilis fœminæ ignobili viro nubentis, eaque ratione nobilitatem amittentis, ex juris in coniugio communicatione, ejusque forma ſeu ordine, oriri patet: ſicut poſt dicetur. Jure Canonico Clericis ſeu Eccleſiaſticis perſonis interdicitur matrimonio; qui error ſatis eſt à noſtris refutatus. Extat etiam integer commentarius *G. Calixti de Coniugio Clericorum.*

Quantum ad diuerſam religionem attinet, Theologi noſtri ægre, & paucis caſibus, permittunt tale matrimonium contrahi; ſed contractum non dirimunt. Pontificii etiam contracta matrimonia reſcindunt. contra quos diſputantem, cautelasque in hoc negotio definientem videre eſt *Gerhardum de coniug.* §. 387. *& ſeqq.* — resp. religionis.

Maxima conſideratio eſt ratione propinquitatis, id eſt, cognationis affinitatiſque. Non quidem hic cognatio ſpiritualis inter ſuſceptorem e.g. & perſonam è baptiſmo ſuſceptam, eiusque parentes & ſuſceptoris filios, ſicut Pontificii ſtatuunt, impedimentum creare matrimonio poteſt (v. *Gerh. de coni.* §. 365. *&* 374. vbi etiam de legali agnatione per adoptionem diſputat) ſed conſanguinitas & adfinitas attenditur. vbi, quantum attinet ad *jus diuinum*, ſedes huius materiæ habetur *Leuit. XVIII.* Quæ autem habentur ibi definitiones de gradibus prohibitis, etiam ſunt *juris naturalis*, — resp. propinquitatis, exceptis primis inter Adami liberos.

quod

quod Theologi, & res ipsa, satis ostendunt. Hebræorum hac de re sententiam nemo accuratius exequitur *Seldeno de I. N. & G. libro V.* Quæ à *Grotio* (*de I. B. II, 5, 12.*) & aliis ab animantibus brutis petuntur declarationes, & imagines siue inuitamenta naturalis juris,

1, 5. idem *Seldenus* erudite impugnat. *Graduum supputatio* alia est jure Canonico (quam plerumque hodie Consistoria sequuntur, licet auctoritatem & proposita aulæ Papalis interim dedignentur. v. *Gerh.* §. 253.) alia jure ciuili, cuius regulas multi tradunt, summatim etiam *Dn. Biccius in Aur. Sect. 1. §. 15. & seqq.* Fit etiam, vt jus ciuile seu prouinciale aliquibus in locis peculiariter prohibeat gradum non prohibitum de cetero. De qualibus quæstionibus, totiusque argumenti nodis videantur, qui in hanc curam proprie ingenium intenderunt.

Forma coniugalis societatis; Nobis enim ad ipsa coniunctionis illius legitimæ & indissolubilis jura, vimque matrimonii præcipuam progrediendum est. Arctissima est hæc & indissolubilis societas; cum colligatione mutua ac perpetua, ad beneuolentiam & amorem, ad omnium rerum communicationem; non sine ordine tamen: quem Deus instituit, natura amat, virtus perficit.

ex qua oritur imperiũ maris in vxorem. Ciuile scilicet. Præstantior est maris natura. itaque ei imperium datum est in vxorem omni jure: sed imperium ciuile, non herile aut tyrannicum. Agnovit ipse *Aristoteles*, barbarum esse, si nihil discriminis constituatur inter seruum & vxorem. Ciuilitas huius imperii non excludit honorem ab Apostolo quoque commendatum

datum (1. *Petr.* 3, 7.) honorem, qualem amor & moderatio gignit: honorem, quem vxoris obsequia quodamodo merentur. *Vxori* enim *sufficit obsequij gloria*; ex mente *Panegyrista* (*Plin. Paneg.* 82.) imo ex mente *Apostoli* (1. *Petr.* 3, 1.) Non tamen impedit hoc obsequium, quo minus in partem consiliorum vocetur de re familiari. an etiam in publicæ rei conscientiam admittenda vxor à Principe? Fecit non inutiliter Augustus sagacissimam vxorem nactus: sed ea re inuidiam sibi, inuidiam Liuiæ suæ creavit. Vxor priuatum nomen est. Miseri sunt, qui disquirunt, an vxorem verberare liceat? miseri, inquam, si caussam habent disquirendi. Ridiculi ex diuerso, qui eo delapsi sunt, vt inquirerent, an maritus etiam ad hoc teneatur, vt vxorem vocet *Dominam* (vid. *Limn. de I. P.* 4, 6, 65.) quod tituli blandimentum ab amatoribus natum, recte notat *Simplicius ad Epictetum*. Neque abnuerim, Catoniana seueritate alicubi opus esse, *vt in sua quisq; matrefamilias jus & majestatem viri retineat*, sicut apud *Liuium* in suadenda lege Oppia disseritur. Ceterum imperio in vxorem non intercedit parentum auctoritas. (v. *Arnis. & Bodin. de Rep.* I, 3.) Quin etiam in vota vxoris extendebatur & juramenta, *Num*, 30, 7. *& seqq.* (v. *Grot. de I. B.* 2, 13, 20.) Lex Romilia etiam vitæ necisque potestate manum mariti armauit in vxorem ap. *Dionys. Halic.* II. præsertim in caussa adulterii (v. *Senecam Patrem Controu.* 4, 24. *Exc.* 9, 1.) id quod Romanis commune cum Græcis fuit. de Gallis *Cæsar lib.* 6. *de bello Gall.* c. 19. *Viri*

Dio 56. ad de *Limn. I. P.* 2, 14, 4. *& seqq.* *Arnis. de iure connub. cap.* 7. *sect.* 4.

adde Bodin. de rep. 1, 3.

XXXIV. 2.

& repressa nimia potestate.

in vxores, sicut in liberos, vitæ necisq́; potestatem habent. De *Longobardis* idem ex *Baldo Bodinus* refert. sed hæc seueritas merito est à Christianis legislatoribus repressa: vt & *diuortiorum & repudiorum licentia.*

ac diuortiorum licentia.

Licebat apud Athenienses vxorem repudiare, si caussa judicibus probata esset: veteres Romani nullam caussam adferebant in repudianda vxore quæ displicuerat: (quam licentiam reductam vellet *Bodinus de Rep.* 1, 3.) sed restricta est facultas repudiorum, etiam ante postremam legislatorum moderationem. Hinc est apud *Quintilianum* (*instit. orat.* VII, 4.) *actio iniusti repudij, sub qua lege, controuersiæ illud proprium habent, quòd à parte accusantis defensio est, & defendentis accusatio.* Apud Hebræos quoque magna temerariorum diuortiorum licentia: quorum sententiam sequitur *Grotius*, & cum Rabbinis putat, Lege Mosaica id concessum fuisse. additque in N. T. demum, noua Christi lege, inhibitionem factam. sed quam male id sequatur, ex disputatione Christi cum Pharisæis, & præsertim ex loco Mosaico *Deut.* 24. ℣. 1. *& seqq.* erudite & accurate ostendit *Buxtorffius in dissert. de Sponsalibus & diuortiis, part.* 2. *p.* 107. *& seqq.* confer *Malach.* 2. 16. locum itidem *Buxtorffio* explicatum. Sedes huius quæstionis in S. literis est *Matth.* 5. *&* 19. *item* 1. *Cor.* 7, 10. *& seqq.* vbi videndi *Theologi commentatores*, quorum plerique statuunt, divortii vnicam caussam jure diuino constitui *adulterium*: si quæratur scilicet de diuortio à parte innocente justa ex caussa faciendo, non

de I. B. II, 5, 9.

de

de desertione seu diuortio à parte nocente temerarie & iniuste facto, de quo pronuntiat *Apostolus*; neque etiam de separatione eorum, inter quos nunquam fuit verum & ratum matrimoniũ. Disputant etiam, *an magistratui ciuili liceat alias caussas addere*? quod negat *Gerhardus de coniug.* §. 605. *& seqq.* & è Politicis *Arnisæus de jur. connub. cap. 6. sect.* 10. modum etiam diuortiorum apud certum judicem e.g. ciuiles magistratus & ecclesiasticas personas faciendorum describunt. Longe ab hac quæstione juris factorum licentia sequestranda est. Extat *in formulis Marculfi Monachi lib.* 2. *c.* 30. libellus repudii: ex quo intelligitur, illo tempore, id est, sæculo post C.N. VII. per Gallias inter ipsos Christianos in vsu fuisse consensu coniugum facta diuortia, quod, cum olim licuisset: *L. si constante.* 9. *Cod. de repudiis*, atque etiam bona gratia matrimonium dissolui potuisse tradat *Hermogenianus in l.* 62. *D. de donat. inter vir. & vxor.* tamen id euangelio aduersum, conciliorum decretis reprobatum, & à *Justiniano* quoque *Nou.* 117. *Hieronymus Bignonius* annotat. Quanquam, inquam, hoc factum sit, inualuerat tamen antiqua licentia, sicut *formula Marculfi* ostendit. Confer alium libellum repudii, in *Formulis veteribus* secundum legem Romanam, in *eodem opere*. In eo etiam sæpe peccatum est, quod matrimonia ob prætextum aut suspicionem adulterii soluta sunt: præsertim apud Principes. Licet enim verissimum sit, si recte accommodetur illud *Plinij, quod multis illustribus dedecori fuit*, *Paneg.* 83.

fuit, aut inconsultius vxor assumta, aut retenta patientius: in tanti tamen momenti negotio nihil ex suspicione statuendum. cuius reum agit historia *Carolum III. cogn. Crassum*, qui Richardam seu Richardim vxorem repudiauit. (v. *Reginon. lib. 2. ad A.* 887. *& fragmentum Anonymi*, quod Alberti Argentinensis Chronico præfixum est.) Magnam ex diuerso infamiam subiere ex turpi patientia *Claudius*, qui Messallinam; & *Antoninus*, qui Faustinam, adulteras non dubias, pertulere. Tyrannicum & sceleratum *Neronis* cum Octauia diuortium, variis criminibus in innoxiam structum; neque aliam ob caussam, quam vt pellicis Poppææ amore Princeps potiretur, patratum. vide *Tacitum* 14. *A*. 60. *& seqq.* & confer factum Lotharii Regis, vxorem Thietbergam seu Thiebirgam, vt Waldradam pellicem sibi matrimonio jungeret, repudiantis, apud *Othonem Frising. lib. 6. cap.* 3. quo loco præteriri non debet Pontificum quorundam Romanorum impudentia: qui, sicut alias diuortia, etiam ex justa, id est, adulterii caussa, licita esse negarunt; ita, dispensationibus, quas vocant, Apostolicis, etiam iniqua & temeraria probarunt. si quæras, quo consilio? respondendum est: eodem, quo incestas & inutiles nuptias interdum concesserunt. nempe, vt dominationis suæ infinitam libertatem, quando jure non poterant, seruiendo potentium cupiditatibus, sancirent atque stabilirent.

Fides conjugalis. Quod autem de vnica legitimi diuortii caussa, adulterio scilicet, dictum est, reuocare nobis

nobis in mentem debet ſanctitatem fidei coniugalis à neutro coniugum violandam: tum adulterii turpitudinem, ſeueris apud pleraſque gentes pœnis damnatam: adeo vt maritus (imo & alius) adulterum aut adulteram, aut vtrumque impune poſſet occidere. Nota lex ap. *Senecam controu.* 1,4. *Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum vtrumq; corpus interficiat, ſine fraude ſit.* Et altera: *Liceat adulterium in matre & filio vindicare.* Hodie in Germania multis in locis pœna adulterii eſt capitalis: ſuadentque Theologi, vt in omnibus rebuſp. id obſeruetur. Ceterum de re tota videatur *Arniſæus de jur. connub. cap.* 5. *ſect.* 8.

Mutua in corpus poteſtas, inter coniuges, diſertis ſcripturæ verbis ſancitur 1. *Cor.* 7,3. & 4. & 5. obſeruatis ſcilicet regulis temperantiæ bonique moris, quas non Lex Diuina modo præſcribit, ſed philoſophia ſanior diligenter inculcat. Quod Canoniſtæ nuptiarum ſiue neceſſitudinis nuptialis vix vllam rationem habent, niſi corporum mutua coniunctio acceſſerit, idque multarum gentium moribus probatum dicit *Bodinus*; ad quosdam effectus conſuetudine aut inſtituto ciuili accommodatum intelligi debet. vim autem ipſam matrimonii animorum mutua obligatio explere poteſt: vt ad vſum potius matrimonii copula coniugalis pertineat. mutua in corpus poteſtas. *de Rep. I, 3.*

Naſcitur porro ex hoc tam arcto vinculo *conſortium rerum ſecundarum adverſarumq; (Tac.* 3. *A.*34,8.) *Aſſumitur enim coniunx proſperis dubiisq; ſocia.* Id quod jure diuino ac naturali ex ſuperio- Cōmunicatio rerū externarū ſ. cōmunitas omnium rerum. *Tac.* 12. *A.* 5,5.

perioribus vltro ſequitur. Jure ciuili æquiſſimum eſſe *Bodinus* ait, *vt vxor conditionem, patriam, familiam, domicilium, originem deniq; mariti ſequatur.* Ac de facultatibus quidem & bonis, præter ea, quæ jure Romano conſtituta ſunt, quod fœminis non ſine ratione fauet, aliqua etiam ſpeciali ciuitatum ac locorum lege ſanciri, ſatis conſtat. Occaſione honorum & dignitatum, quas à maritis participant fœminæ, diſputatum eſt, *an etiam Auguſta*, cui Imperator dicitur tribuiſſe omnia priuilegia, quæ ipſe habet, *fuerit legibus ſoluta?* Negantium ſententiam, tum expreſſa juris auctoritas, tum rationes validæ tuentur. (vid. *Sinolt. Schutz. Colleg. I. P. volum. 1. diſp. 3. th. 32. Limnæ. I. P. 2, 14.*) Non fauet affirmanti ſententiæ locus *Taciti 2. A. 34, 3.* Adde *Jac. Gothofr. in Oratione, cui titulus, Vlpianus. Clapmar. Arcan. 1, 12.*

Finis matrimonii duplex: ſobolis procreatio,

Properandum eſt ad *finem matrimonij*; qui ex ipſa rerum natura duplex: *ſobolis procreatio, & mutuum auxilium.* Ex ipſa matrimonii inſtitutione & natura hæc dixi repetenda eſſe. Licet enim *vitatio ſcortationis* tertius finis acceſſerit, id tamen ad naturam corruptam pertinere, qualis poſt lapſum Protoplaſtorum eſt, ſatis intelligitur: neque conuenerit, nude hunc ſpectari, ſine iis, quos prædiximus.

Procreatio liberorum ſeruit reip. in qua id ſpectandum eſt, vt ſemper ſuccreſcant ciues, qui Deo, in Eccleſia; Patriæ in publicis muneribus, ac oneribus; ſibi mutuo in conuictu, amicitia, neceſſitatibus operam dent.

& mutuum auxilium.

Mutuum auxilium in matrimonio late patet.

vxori

vxori Principis omnem rei domesticæ curam tribuit ille apud *Tacitum*: *Grauissimos Principis labores, quis orbem terræ capessat, egere adminiculis, vt domestica cura vacuus, in commune consulat.* Mox nominatim *intimas vxori cogitationes, & parvos liberos tradi* asserit. Sed nimirum *mariti hoc opus* esse debet, *qui ita imbuit, ita instituit*; vt de Principe itidem Romano æqualis *Taciti Plinius* obseruat. Non erit certe, vt bona vxor, otio ac delitiis, labores mariti onerare potius, quam subleuare velit. Sed nec marito decorum erit, si asperitate nimia, seruilem in modum, sexum & valetudinem vxoris grauare sustineat. Antiqui, neque ciuilis moris est, quod bellorum quoque operibus & oneribus non liberabatur imbellis sexus apud Germanos veteres. *Tac.Germ.*7.& 8. vbi *Cl. Berneggeri quæstiones* vid. Ita Zauecum in Libya fœminæ, viris è curru præliantibus, aurigarum officia præstabant apud *Herodotum in Melpomene c.*193. Absurda quoque ap. *eundem (in Euterpe c.*35.) Ægyptiorum consuetudo refertur, qui fœminis virilia, viris muliebria munia partiebantur. Apud Attigouautanos in Noua Francia Americæ fœminarum iniquissima conditio est: nam non tantum agros colunt, & ligna congerunt, & messem cogunt, omniaque domestica munia obeunt; verum etiam maritos ad bellum egredientes comitantur & necessaria omnia mularum instar baiulant. *Jo. Laet. desc. Ind. Occid.* 2,13. Idem fit apud Cannanes in Peruuia ap. *Laet. lib.* 10. *c.* 10.

12. A. 5, 4.

Paneg. 83.

Repugnāt matrimonio communio Platonica vxorum & liberorū; Plane autem euertunt rationem legitimi matrimonii 1. *Communio Platonica vxorum & liberorum.* 2. *Cælibatus impurus & callidus.*

De *Platonica* illa confusione verius, quam communione, actum *Aristoteli* (2. *Pol.* 1, & 2.) atque exinde certatim obiectus error *Platoni* à Theologis ac Philosophis veteribus. Neque defuerunt aliqui, qui Platonem excusatum irent. horum duo potissima argumenta annotauit *Petrus Gassendus in philos. moral. pag.* 1463. & 1464. scilicet quod *Plato* ipse (*lib. de rep.* 5.) fateatur, talem remp. fingi potius quam dari; deinde, quod (*lib.* 4.6.7. *de ll.*) ferat bonas leges de matrimonio, jure dotium, diuortio, educatione liberorum &c. sublata penitus illa communione. Vnde nonnemo existimat, Platonem voluisse vxores & liberos communes, non confusione libidinis, sed caritate. Nos, in medium relinquentes illam quæstionem, hoc putamus ab initio definiri oportere, quid de illo Socratico Platonis ζητητικῷ seu ratione disquirendi (de qua multa per hypothesin adferuntur neque explicantur) sentiendum sit.

Cælibatus. Cælibatus, qui ab hominibus dono continentiæ præditis liberâ voluntate colitur, neque matrimonio, neque S. literis aduersatur: quanquam hyperbolicis laudibus in contemtū coniugii non sit euehendus, quod *Hieronymo* & *Ambrosio* familiare. quibus *Augustini* moderatio opponenda. Pontificii enim inconsulte arrepta illa elogia in tyrannidem verterunt.

Impu-

Impure autem & callide agunt, qui, molestias matrimonii subterfugientes, interim vagis libidinibus operantur: ideoque seueram coërcitionem pœnamque merentur. Augusti in hac re diligens cura (ap. *Tacit. 3. A. 35.*) & oratio in cælibes grauissima (ap. *Dion. 56. non longe à princ.*) vnde peti suadeam, quæ huc pertinent.

Alterius & specialioris quæstionis est, quod Epicurus (apud *Diog. Laërt.*) ait: *sapientem* (studio scilicet intentius philosophandi incensum) *non ducturum vxorem, non generaturum liberos, nisi circumstantia quapiam exigente.* de quo vid. *Gassend. Phil. moral. p.* 1204. *& seq.* Transtulit *Heinsius* hanc quæstionem à seriis ad jocos, *in Epistola faceta ad Primerium, an & qualis erudito sit ducenda vxor?*

Summa prudentiæ circa hoc negotium vniuerse subiici debet. Cum matrimonium ex eo genere rerum sit, quibus bene aut male, feliciter aut secus vti homo potest, Deus ante omnia exorandus est, vt auspicium & tesseram prosperi euentus suo numine largiatur: cum præsertim humana solertia non possint omnia satis prouideri, caueri, deliberari. Deinde, nihil temere, aut impetu agendum est. prima honestatis in eligenda vitæ socia, ac virtutis ratio habeatur, ne diuitiæ, forma, nobilitas, (quæ in lucro sunt, si accedant) noxia sint, si non recte neque ordine affectentur. Hanc eligendi prudentiam excipit amor sanctus, stabilis, serius, mutuum amorem mereri dignus & potens. Hic facibus nuptiali-

Summa prudentiæ coniugalis.

Tac. Agr. 6, 1.

bus lumen & decus sufficit: hunc fouent aluntque Gratiæ humanitatis atque comitatis. quam non tollit, sed temperat grauitas maritalis & auctoritas imperii. Ita sentiet vxor, se non potuisse in virum meliorem atque commodiorem incidere: neque prauo consilio aut affectu ad insolentiam se abduci patietur. amabit, etiam vt maritum: venerabitur, vt rectorem: vtroque nomine sibi donatum diuinitus, conciliatum bono omine, coniunctum sacratis legibus. Gaudebit à viro doceri, quæ grata ipsius ingenio, quæ vtilia domui, quæ decora sibi. Ita leuamentum laboris ab vxore maritus, præsidium suæ infirmitatis à marito vxor mutuabitur. Magna & rara laus, quam
Agr. 6, 2. *Tacitus* de *Agricolæ* matrimonio annotat: *Vixerunt*, inquit, *mira concordia, per mutuam caritatem, & inuicem se anteponendo.* Fructus ille mutuæ caritatis: dum quodam quasi certamine, vterque suam vtilitatem alterius vtilitati posthabere; alter alterum testimoniis & pignoribus officiorum studet præuenire. vxor suos affectus ex mariti affectibus temperabit: vt quasi speculũ sit, in quo resplendeant mores mariti. Hilaris erit sine lasciuia; verecunda sine morositate; humana & comis sine assentatione. Optimus virtutis coniugalis in-
1. Cor. 7, 34. terpres vxoris studium in eo versari scripsit, *vt placeat viro*; non viris. ita enim placere alter coniux alteri debet, ne displiceat Deo: magis autem placebit Deo, quæ religione matrimonii mota, vt vni & suo placeat, vel omni-
Controu. 2, 15. bus cupiet displicere. *Matrona*, inquit *Seneca*, *ferat*

ferat iacentes in terram oculos: aduersus officiosum salutatorem inhumana potius, quam inuerecunda sit: etiam in necessariam resalutandi visem multo rubore confusa. Prodeat in tantum ornata, ne immunda sit: optimum probæ ornamentum rata, pulcros mores & caritatem. Neque tamen maritus nimis morosus sit in exigendis omnibus omnium virtutum numeris. si fidem & pudorem seruet (quæ prima dos est) si familiam curet, in aliis censura rigidiore non vtendum. Voluit hoc *Tacitus* monere, cum Germanici Cæsaris vxorem Agrippinam ita describit: *ipsa Agrippina paulo commotior; nisi quod castitate, & mariti amore, quamuis indomitum animum in bonum vertebat.* Recte. quis enim non indulgeat quibusdam incommodis moribus vxoris, si præcipua virtus salua sit? Quotusquisque denique ex maritis omnes boni moris numeros implet? atqui hoc magis virum decebat: cuius exempla vxorem emendare aut deprauare solent. Stultum virum, qualem describit *Herodotus* Candaulem, nihil attinet erudire. Et quid faciemus eo, qui malam mulierem nactus est? Væ illi! neque verbum amplius addimus. Hoc vnum dixisse sufficiat: essent haud dubie multa matrimonia feliciora, si magis pie, magis prudenter contraherentur & haberentur.

1. A. 33, 5.

lib. 1. cap. 8 & seqq.

Quantum autem ad hanc virtutem & prudentiam coniugalem attinet, egregia sunt, quæ antiqui tradiderunt: *Plutarchus in præceptis coniugalibus* (nam *Aristoteles*, etiam cum non nominatur, intelligitur. vid. præsertim *1. œcon.*

Annotatio nonnullorum scriptorum.

4.) *Stobæus in locis communibus de Nuptiis & Vxore. Theognis in ſententiis.* addatur *Ioannis Pediaſimi πόθος ſeu deſiderium. Poetæ* quoque *Comici & Tragici*, Græci ac Latini, in hoc argumento diligentes ſunt. Inter juniores, *Albertus de Eybe de re vxoria*, & *Antonius Bonfinius, de pudicitia coniugali*, celebrantur.

Totam de coniugio philoſophiam tradidere Theologi, JCti, Philoſophi, vt ab initio dictum eſt: ſed in Pontificiis Canoniſtæ in jure diuino interpretando, ſupplendo, addam, & negligendo, audaciores: Scholaſtici, nonnunquam improbè curioſi, nec ſine ſcandalo; ſicut ex *Sanchezij lib. 9. de matrim.* apparet. Ex quibus vitiis, quin aliquid irrepat in eorum libros JCtorum, qui his auctoribus niti conſuerunt, nemo negauerit.

Intolerabile eſt, quod conuitia, ſatyræ, calumniæ, non in flagitia modo coniugatorum (in libidines, adulteria, luxum, quæ non immerito flagellantur) ſed in ipſum matrimonium, ac præſertim in ſexum fœmineum, paſſim vibrari videas: ſicut, ex diuerſo, non deſunt ineptiæ otioſorum aut effœminatorum hominum, ordinem naturæ impugnantium, virisque mulieres præferentium. Quæ omnia abſunt ab animo ſobrio, caſto, graui, prudente: qualem negotia matrimonii, vt tractentur vtiliter, requirunt.

Nos, præter eos, qui laudati ſunt, paucos adiiciemus, quorum diligentia in hoc argumento eminet. Præter *Lutheri libr. de matrim. Bidembachius de cauſſis matrimonialibus, Beza de* repu-

repudiis & diuortiis; *Albericus Gentilis, & Tiraquellus de nuptiis* egerunt. Nam Theologi commentatores, tum dogmatici seu Theologiæ Positivæ tractatores, ad loca solennia S. Scr. & in articulo de coniugio, plurimi nominari possent.

(De IC. comment. consiliis, respons.)

Si quis huius loci seriem studiosius partiri amat, posset seorsum νομοθεσίας seu *legislationes* veterum recentiumque circa hanc materiam colligere, e. g. *capita legis Papiæ Poppææ*, quæ in ordinem redegit *Jac. Gothofredus*; & disquisiuit *Lipsius ad 3. A. Tac. 25. Leg. Juliani de adulteriis*, in quam extat memorabilis *commentarius Barnabæ Brissonij* [leges enim *Platonis* 4. & 6. *de ll.* supra nominatæ sunt.]

Possent etiam seorsum annotari *varij ritus, in sponsalibus, nuptiis, diuortiis adhibiti apud varias gentes.* Quo pertinet *Brissonij liber de rit. nupt.* ne de *Rosino* & *Alexandro Neapolitano* dicam. Extat etiam *disputatio Dn. Dillherri de ritu nuptiarum seu myrtus venerea: quæ est in tomo I. XXV.* Extant & plurima in *Scriptoribus Antiquitatum, Lectionum, Obseruationum &c.* Adde Historias præsertim in matrimoniis Regum Principumque. [qua occasione commendabantur *le Theatre d'honneur, & le Ceremonial de France.*]

Eorum, qui studia sua nunquam otiosa volunt, industria vtiliter occupari potest in istiusmodi fere circa hanc materiam ingenii stilique exercitationibus. Exempla ingenio styloque exercendo idonea.

E. G.

I. Sit ſcribendum ſpecimen Legum de ſocietate coniugali, vel ſine proœmio ac ratione, vel cum proœmio. (de quo diſcrimine egregius locus eſt in *Platonis* 4. *de LL.* non procul à fine.)

II. Sit ſuadendum aut diſſuadendum matrimonium aliquod, non in theſi (vt cum vidua, cum peregrina, cum diuerſæ religioni addicta) ſed, quod vtilius eſt, in hypotheſi, matrimonium Ludouici XIII. Gall. R. cum Anna Hiſpaniarum infante; & inuicem Philippi IV. Hiſpan. R. cum Elizaabetha Gall. R. ſorore. vbi præſertim *Principum Gallorum confœderatorum ſcripturæ* & *Condæi libellus*, materiam judicandi, & diſſerendi ſuggerit apud *Gramond. lib.* 1. *Hiſt.* Nobiles extant etiam deliberationes de matrimonio Henrici VII. Angl. R. ap. *Bacon. de Verulamio.*

III. Sit gratulandum de ſponſalibus aut matrimonio: hic extat *Oratio Anonymi ap. Freher. tom.* 2. *rerum Germ. p.* 15. *& ſeqq.* quæ *Alfonſo Luſitaniæ Regi gratulatur de ſponſalibus Leonoræ filiæ eius cum Friderico III. Cæſare.* Adde ap. *eundem p.* 222. *& ſeqq.* orationem *Joannis Mayni ad Maximilianum R. Rom. in nuptiis eius.*

Cap. III.
De
Societate Parentum & Liberorum.

Liberorum quærendorum ergo coniugalem societatem contrahi, dictum est. Hinc ergo *Parentum & Liberorum* altera *societas* oritur: quam, à digniori persona, πατρικὴν seu patriam *Aristoteles*, inter alia nomina, appellauit. Est autem hæc *Societas inæqualis inter parentes & liberos, mutuis officiis & juribus ad familiæ vtilitatem & ciuilem honestatem definita.* Societas paterna describitur:

Simplicissima & optima de hac societate agendi ratio est, si 1. *agatur de Parentum officiis, & jure.* 2. *de liberorum officiis & jure.* eius tractatio diuiditur.

Primum Parentum officium est, *cura in generando adhibita*: de qua *Plutarchus in præc. coniug. & de lib. educ. Plato de LL. 6. Arist. 7. Polit. 16.* Curiosam nonnullorum circa siderum posituram superstitionem merito & salse ridet *Barclaius Argen. lib.* 2. Matris præsertim grauidæ, quoad corpus, quoad animum, quoad diætam, quæ sint officia, studiose præcipitur. Aureum est, si paganismi errorem demas, *Aristotelis* præceptum *loco dicto*: *Legislatorem præcipere debere, vt fœminæ, dum sunt grauidæ, singulis diebus templa adeant, diisq; qui generationi præesse creduntur, sacra faciant.* Addit, *hoc eo etiam profecturum esse, vt corpus motu vegetetur.* Quod nos, vt in secundis & accessoriis ponendum reputantes, ad Deum & matrimonii & Inter Parentum officia primum generatio;

fœdun-

fœcunditatis coniugalis auctorem, legem talem referimus: Pontificiorumque quorundam superstitiosa magis, quàm pia præcepta, grauidis dari solita, ad paganorum περιεργίαν relegamus. Eximie alias meretur commendari in cura circa generationem & primam educationem infantum describenda, *Scæuolæ Sammarthani Pædotrophia*.

Cæterum naturæ defectum, quod ad liberos procreandos attinet, suppleuit lex ciuilis, *adoptione & arrogatione*. vid. *Gell*. *V*, 19.

2. nutritio; 1. *Polit*. 7. Succedit generationi *nutritio*. A natura recte hoc deducit *Aristoteles*: *cui proprium est, non generare tantum, sed & victum necessarium præbere generato: cum quod superest post generationem, alimentum generato præstet*. vt in mulieribus *lac*: maxime idoneum alimentum. Vt omnino peccent, quæ emtis nutricibus potius infantes lactandos tradunt, nisi valetudine adactæ hoc faciant. Grauissima est Dissertatio *Fauorini Philosophi, qua suasit nobili fœminæ, vt liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret*. apud *Gell*. *XII*, 1. Quid apud *eundem* de cibo somnoq; puerorum im-
IV, 19. puberum tradatur, operæ pretium est videre. *Alimentorum* autem nomine quid intelligatur, quousque ea liberis debeantur, tum naturali æstimatione, tum legislatione ciuili, late tractatum est ab *Arnisæo Relectionis politicæ lib*. 1. *cap*. 4. *sect*. 4. Hinc etiam deducitur hæreditas, quam liberi vt sibi debitam exspectant: tum, quæ de legitima disputantur. Sed de hæreditate quidem dici poterit, cum de jure libero-

rum

rum agetur: exhæredatio autem, quæ hac occaſione tractari ſolet, ad poteſtatem ſiue jus patrium reſeruari poteſt. vide interim *Grot. de I. B.* II, 5, 4. Nutritioni autem repugnat *Expoſitio infantum*. in qua indulgentiores fuerunt è paganis plurimi (vid. *Ariſtot.* 7. *Polit.* 16. & *Dionyſ. Halicar.* 2.) legendus omnino *Tholoſanus de Rep.* XIV, 3, 6. *& ſqq. &* XV, 1, 16.

Tertium Parentum officium, eſt *inſtitutio Liberorum*. Quæ ab ipſa ſermonis recte formandi diſciplina inchoatur: eaque continet, quibus mores, ſtudia, artes, vitæ ſuſtentationi & honeſtati, tum ſocietati ciuili vtiles traduntur diſcunturque. Illa partienda ſunt ætatis vicibus, comparanda ordine, gubernanda ingenio educantium ac docentium. Loco exempli, quantum ad domeſticam educationem attinet, commendari poteſt diſciplina Romanorum, deſcripta *Fabio Quintiliano*, *dial. de orat. cap.* 28. *&* 29. An placet, *Bonnæum* adire, *de diſcentia*? Sed, quæ in ciuitate conueniat doceri & diſci, itemque de ſcholis & palæſtris, tum de inſtitutione Principum, & ſimilibus, ſuo loco docebitur. Nunc ſatis habebimus, admonuiſſe Parentes, vt curam educationis ſerio & conſtanter ſuſcipiant, nulli operæ, nulli ſumtui parcentes: ſi quidem familiæ ſuæ honeſtam ſucceſſionem, ciuitatis ac patriæ vtilitatem (cui non nos modo, ſed noſtros præſtare debemus) præcipue autem auctoritatem Dei, inſitis naturæ, ac ſancitis legum ſtimulis ad munia Parentum ſtimulantis, amant atque reuerentur. Prudenter ſe gerant, aliorumque 3. Inſtitutio.

etiam

etiam consilio vtantur, vbi suum non satis expediunt, in destinandis liberis ad certum genus vitæ: diligenti habita ratione indolis, corporis, aliarumque rerum. Nec male præcipiunt, qui suadent Parentibus: *vt sua cum liberis consilia mature communicent, vt norint, quâ res suæ se habeant, aut habituræ sint deinceps; ne si parentum mors præoccupet, illi rerum suarum ignari supersint, ac impares, non sine damno, negotiis domus sustinendis relinquantur.* Eget tamen hæc res cautela. ne quid temere, ne quid intempestiue fiat, quod in liberorum & domus detrimentum redundet. Non enim amici modo sunt parentes liberorum; sed rectores etiam.

Gassend. phil. mor. p. 1457.

Jura Parentum. Imperium in liberos;

Est enim Parentibus attributum in liberos *imperium*, ac potestas natura, lege diuina, lege ciuili. Vtrique, inquam, Parenti; quanquam si contendunt inter se imperia, Pater præfertur; cuius regium imperium *Aristoteles* nominat. Quomodo hæc potestas ex *mero jure naturæ* interpretanda sit, per vices ætatis liberorum, aggressus est ostendere *Grotius de I.B. II, 5. 2. & seqq. Lege ciuili* non vnius gentis, olim etiam in vitam liberorum jus concessum parentibus. Hinc vt passim obuios juris Justinianei textus prætercam, illa interrogatio apud *M. Sen. Excerpt. Controu. III, 3: Quomodo fieri potest, vt tibi potestas vitæ necisq; aut in fratrem sit, aut in filium non sit?* sed mitigauit illum rigorem dies, & consuetudo humanior, præsertim sub Imperatoribus, qui illam acerbitatem damnarunt; *& in pietate, non in atrocitate patriam*

1, Polit. 8.

Grot. I. B. II, 5, 7.

triam potestatem consistere debere definiuerunt. *Iure* diuino parentibus potestas erat etiam in vota liberorum, quamdiu pars erant domus paternæ, *Num. XX,4. & seqq.* An etiam in vitã? Ita putat *Bodinus* ex *Deut. XXI,18. & seqq.* Vnde tamen potius contrarium sequitur, nempe præter coërcitionem modicam Parentibus nil licere in liberos: quin potius à magistratu coërcendos capitali supplicio, si meruerunt, non à patre. Extat etiam temperamentum imperii Patrii memorabile in N. T. *Coloss. III, 21.* Incautus ergo est *Bodinus*, cum optat reduci illam antiquam seueritatem quarundam gentium: propter impietatem liberorum & ingratum erga Parentes animum: non enim esse metuendum, ne Patres illa potestate abutantur, propter stimulum naturalem amoris, arcem scilicet in Parentum pectoribus. Sed præterquam, quod, *quæ apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos sunt*: etiam Reip. rationibus repugnat, si pœnarum capitalium potestas aliunde quam ab imperantibus dependet. Rectius igitur sentient, qui suaserint, auctoritatem Parentum, & obedientiam liberorum, bonis legibus & sub tutela summæ potestatis sanciri atque stabiliri.

de Rep. I,4.

Tac. 1. A. 55.

Auctoritas Parentum.

Dum de *potestate* parentum sermo est, satis patet, *auctoritatem* subintelligi: quanquam alias differt à potestate, quod hac legitime soluta, illa perpetua est. Nullum enim est tempus, quo expirare debeat parentum apud liberos auctoritas. Etiam si filii summo magistra-

giſtratu præditi ſint, imo regno præſint. Nota eſt *Regis Salomonis,* maternam auctoritatem multo cultu agnoſcentis, hiſtoria *I. Reg II, 19.* In conſpectu matris ſedere, niſi ipſa juſſerit, ne Reges quidem Perſarum ſolebant; ſicut colligas ex ſermone Alexandri apud *Curtium V, 2, 22.*

Quomodo patria poteſtas ſoluatur.

Recte: quantum ad auctoritatem: nam poteſtas Parentis tollitur magiſtratu ac publico filii munere: & quodammodo etiam auctoritas, quod ad ipſas publicas functiones attinet: quibus nulla priuata nomina poſſunt aut debent intercedere. Hinc impotentiam matris Liuiæ, non Tiberius modo, ſed Reſp. grauabatur apud *Tac.* 1. *A.* 4, 5. 4. *A.* 57, 4. 5. *A.* 1, 5. Agrippinam autem Neronis matrem, Principatus muneribus ſe immiſcentem, primo arte deludunt interiores aulici. deinde apertius cupiunt infringi potentiam eius, incautius tamen, & parum memores, immanem Neronis animum freno potius, quam calcaribus indigere, ad exuenda matris imperia: queꝫ nefarius homo deniq; parricidio diſſoluit.

v. Differt. Tauri apud Gell. 2, 2.

Tac. A. XIII, 5, 3. A. XIV, 1, 5.

(Dictum de *Cardani* & *Clapmarij* imprudenti facilitate.)

Ludovicus XIII. exilio matris ſuam auctoritatem in regno ſtabilire contendit. vid. *Gramondus lib.* 2. *p.* 163. *& ſqq.*

Soluitur & *morte* Patria poteſtas: aliisque modis, de quibus JCti. vid. *Dn. Bicc. Aur. ſect.* 1. *th.* 26. *&* 27.

Abdicatio & exhæredatio.

Jure patrio continebatur olim *jus abdicandi liberos.* ſed abdicationi in deſuetudinem adductæ

ductæ (vide de ea *Sen. Controu. I, 1. & II, 9.*) successit sola *exhæredatio*: quæ & ipsa apud antiquos in vsu. Cumque exhæredatio genus pœnæ sit, neque nisi titulo pœnali fieri possit, satis clarum est, ex jure ciuili hodie pendere totum hoc negotium: cum omnis pœnarum exigendarum ratio (si de maioribus pœnis sermo est) publicæ vtilitatis caussa ad summam potestatem referatur; illiusque ciuili constitutione dispensetur. Qui omnes exhæredandi caussas ad *ingratitudinem* referunt, figura interpretandi potius, quam definiendi perspicuitate vtuntur. (vid. *Arnisæ. relect. polit. lib. 1. cap. 4. sect. 4.*) Non occurrit autem hodie facile casus, qui lege descriptus non sit: quæ parentibus licentiam exhæredandi non laxat sed restringit. Qui ad naturalem æquitatem malunt respicere hic, vsurpant illud *M. Senecæ Contron. II, 9.* Et *quod jure fit, verum est: & quod sine jure quoq; rationem habet, recte fit*: si modo ratio sit idonea, quæque prudenti viro possit approbari.

Quoniam autem exhæredatio priuato parentum jure continetur, non abs re dubitatum est, possit ne ad publicas caussas porrigi? e. g. an filius à patre ita possit exhæredari, ne in regnum succedat? vid. *Grot. de I.B.* II, 7, 25.

(Dictum de ratione *Aristotelis 8. Eth. ult.* quæ coloris potius, quam veri argumenti nomine censenda est.)

Sequitur, vt de Liberorum tum officio, tum jure agatur. Inter *officia Liberorum* primum ponitur *gratus animus, seu studium referen-* De Liberorum officiis: quorũ 1. Grat⁹ ani.

mus seu studium referendæ gratiæ.

dæ gratiæ. Seneca de benef. IV,19. ad Epicurum *Deum vis videri colere, non aliter quam parentem: grato, vt opinor, animo.* Huius gratitudinis inprimis elegans extat declaratio apud *Hieroclem in aurea Pythag. carm.* qui ab ipsa natura hoc officium cum ceteris Philosophis deducens, eleganter vocat ad *explendum quod natura imperat officium, pro virili parte amorem operam conferre.* Τὸν τ͂ς φύσεως ἀποδιδόναι ἔρανον. Inter ea, quibus par gratia nequit referri, Parentum

Eth. VIII, 1. beneficia *Aristoteles* ponit. *Seneca* disputat: *an aliquando liberi maiora beneficia dare parentibus suis possint, quam acceperint? 3. de benef. 29. & seqq.* (Dictum, quid in vtramque partem sentiendum sit.)

Hoc gratiæ referendæ officio continetur nominatim etiam *mutuam alimentorum & sustentationis vicem parentibus exhibere.* τὸ ἀντιπελαργεῖν. Hebræi lege diuina id contineri (4to sc. præcepto decalogi) contendebant, *vt cibum & potum parenti subministret filius, vt & vestitum: ex eo scilicet quod patris est, seu ex bonis paternis: quibus si careret, cogendus erat filius, si ipsi bona essent, vt vtrumq; aleret parentem, in quantum posset:* derogauit tamen huic sancto officio jurique diuino respondenti glossa Pharisaica, in quam inuehitur Christus *Marc. VII, 11. Matth. XV, 5.* (vid. *Selden. de I. N.* VII, 2. *Dillherri disp. tom. 2. disp. 3. q. 5.*) Solonis lege,

Laert. in Solon.

qui non alerent parentes, infamia notati. Neque Romanis deest Lex apud *Senecam Controu. I, 1. & 7. it. III, 4. Liberi parentes alant, aut vinciantur. Hierocles pecuniarum promtissimam suppedi-*

peditationem χρημάτων χορηγίαν ὡς μάλιστα προθυμοτάτω parentibus deberi asserit.

Alterum in Parentes officium, quo liberi obligantur, *honore & reverentia constat*. Et *honoris* quidem vocabulo decalogus etiam gratum animum, de quo præcessit, & obsequium, de quo sequetur, comprehendit: sicut & Pythagoreum carmen, *honora parentes*, τοὺς τε γονεῖς τιμα, eodem sententiarum complexu fœcundum est. Ad hunc honorem & reuerentiam etiam pertinet *timor* ille, quem Aristoteles liberis tribuit. 1. *œcon. vlt.* Hebræi ita describunt: *vt ex reuerentia filius non stet in loco patris, seu locum ei assuetum stando occupet, nec in loco ei assueto sedeat, nec sententiæ eius refragetur, nec eam refutet, nec eum nomine suo appellet siue superstitem siue mortuum, sed ad hunc modum loquatur, Abba seu pater Dominus meus.* It. *Non dicendum erat ei; Abba transgrederis verba legis: sed dicendum erat ei, scriptum est in lege sic vel sic, idq; perinde ac si ea de re consuleret.* (vid. *Selden. de I.N.* 2,2.) Bonis auctoribus *pietas* dicitur hic affectus in parentes: quæ etiam vultu lædi potest. 2. Honor.

Hinc illa jure ciuili constituta: ne filius in ius vocare possit parentem sine venia. de quo *Arnisæus relect. polit. lib.* 1. *cap.* 4. *sect.* 5. §. 29. ne eædem caussæ sufficiant ad exhæreditationem Parentum, quibus exhæredantur liberi (Idem §. 9.) Et quæ similia præcipiuntur.

Tertium filiorum munus in *obsequio* & obedientia consistit. *Filij* (inquit *Apostolus Coloss.* III, 20.) *obedite parentibus per omnia*: scilicet quæ non repugnant diuinæ voluntati & juri atque hone- 3. Obsequium.

honeſtati. Eximia ſunt, quæ in hunc locum diſſerunt *Hierocles, Gellius II, 7. Hugo Grotius de I.B. II, 26, 3. & ſeq.*

Cum ergo conſtet, gratitudinem, reuerentiam, obedientiam ſummam deberi parentibus; ſatis intelligitur, quantum in vitiis contrariis turpitudinis ſit. Sicut enim officia liberorum jus diuinum peculiari & emphatica præmiorum pollicitatione ſanciuit: *Exod. XX, 12. Epheſ. VI, 1. & ſeqq.* ita horribilis pœna denunciatur, filiis immorigeris, contumacibus, illuſoribus, *Prou. XXX, 17. Syrac. III, 11. &* tum in exemplo Chami *Gen. IX, 25.* Hinc etiam humanarum ſeueritas legum in delicta liberorum. Apud *M. Sen. Excerpt. Controu. IX, 4.* Lex: *Qui patrem pulſauerit, manus ei præcidatur.* Romanorum in parricidas ſeueritas nota eſt, de qua *Cicero in oratione pro Sex. Roſc. Amerino* grauiter.

v. et. Tac. 3. Hiſt. 25. adde *Cic. 3. off.*

(Dictum, quid *Bodinus*, quid alii ſtatuant, in cauſa filii aduerſus patrem perduellem inſurgentis. Item: an mater adultera à filio juſſu patris licite occidatur?)

Jura Liberorum.

Inter jura Liberorum eſt *ſucceſſio in bona parentum*, ſeu hæreditas, ad quam liberi jure naturæ, diuino, ciuili vocantur (niſi delicto exciderint vel ſuo, vel parentum, vt in crimine maieſtatis, vid. *Grot. de I.B. II, 21, 13. & 16.*) Jus diuinum tum alibi tum *Gal. IV, 1. 2. Cor. XII, 14* proponitur. Jure naturæ hæc ſucceſſio liberorum in primore gradu conſtituitur: quatenus parentes liberis alimenta debent, adeoque præfertur ſucceſſioni Parentum in bona libe-

liberorum, quæ tamen ipsa quoque ex natura fluit: Atque huc pertinet locus de successionibus ab intestato. (vid. *Grot. II,7,3. & seqq.*) vel autem in successione æqualia debentur æqualibus.

(Dictum de memorabili lege apud *Sen. Controu. VI, 3. maior frater diuidat patrimonium, minor eligat.*)

vel inæqualitas constituitur, tum ratione sexus, tum ratione ordinis nascendi, vnde Jus *primogenituræ*; præsertim in Principatibus, quod quum publicum est, fuse apud Juris Publici scriptores tractatur. *Grot.* 2, 7. *Reinking. lib.* 1. *class.* 4. *cap.* 17. *Sinolt. Schütz. I. P. colleg. tom.* 1. *disp.* 7. *th.* 10. *& seqq. Limnæus I. P.* 4, 8, 112. *& seqq.*

Quod ad statum libertatis attinet, partus sequitur conditionem matris jure ciuili: In aliis autem, quod ad liberos ex nuptiis jure ciuili justis procreatos attinet, partus sequitur conditionem patris, inprimis in juribus ciuitatis, familiæ, item in dignitatibus. (*Arnis. relect. polit. lib.* 1. *cap.* 5. *sect.* 10. §. 4. *& seqq.* add. *Aur. Dn. Bicciÿ sect.* 1. *th.* 6.) *v. Grot. II, 5, 29. & 2, 8, 18.*

Nituntur autem & officia & jura parentum liberorumque *mutuo illo pietatis naturalis affectu*, quem natura animis omnium inseuit: & cuius quædam imitamenta in brutis quoque obseruare licet. *Si feræ partus suos diligunt*, (inquit *Cicero de orator. II*, 40.) *qua nos in liberos indulgentia esse debemus*? Liberi post Patriæ caritatem, in qua & Parentes sunt, naturali stimulo ad amandos parentes concitantur, στοργὴ mutua inter parentes & liberos.

itidem à ciconiis ſumto exemplo: de quo naturæ conſulti paſſim. *Triclinius ad Sophoclis Electram* inſtanter: πάντων τῶν νομίμων καὶ δικαίων τοῦθ' ἓν κρεῖττον καὶ μέγιστον παρὰ πάντων ἀνακηρύττεται, φροντίδα ποιεῖσθαι πατρός. ὁ θεὸς ἀποδέχεται, καὶ εὐσεβὲς λογίζεται. *Inter omnia quæ jure & legibus præcipiuntur, optimum maximumq; habetur ab omnibus, curam agere Parentis. Quod & Deo gratum eſt, & pium reputatur.* Secundum naturam eſt, vt nos amemus ipſi: quidni ergo naturale ſit amare eos, qui nos produxerunt, ſeu, qui effecerunt, vt nos amare poſſimus? ſecundum naturam eſt, vt quis amantem redamet: quidni ergo amandi ſint parentes, quorum maximus in liberos amor eſt? Hinc deducit *Ariſtoteles* (*Eth. IX, 2.*) & *Hierocles* (*ad Carm. Pyth.*) debere liberos pulcrius ducere, ſi ſuis parentibus quàm ſi ſibimet opitulentur. Fit tamen, vt parentum in liberos amor longe ſit ardentior, quàm liberorum in parentes. qua de re obuia paſſim apud Scriptores mentio: & ſupra philoſophorum diſputationes, efficax experientiæ teſtimonium.

Vices Parentũ qui gerant.

Loquimur hactenus de Parentibus & Liberis proprie ſic dictis. quod ſi Parentes defecerint, ad auum & auiam, id officium, ea neceſſitudo ſpectabit, non natura tantum, ſed lege. (vid. *Grot. I.B.* II, 7, 6.) ex regula caritatis; ſi hæc quoque nomina deſint, ad proxima cuiusque neceſſitudines: aut Tutores, quos præſertim in locum parentum ſubrogat primum quidem ipſa naturalis ratio; deinde ſub certa formula jus ciuile. de qua re JCti agunt.

Qui

Qui locis communibus dant operam, *Stobæum* rursus adeant, & *Valer. Max. V*, 4. Item *Comicos Tragicosq;*. e. g. in *Terentij Adelphis* multa Poëtæ arte *Demea* & *Mitio*, Patres diuerso plane ingenio, virique sui nominis, ille vt nimium durus, hic vt justo lenior describuntur. apud *Senecam*, *Hippolytus*, pii filii, *Oedipus*, impii; piæ matris *Andromache*, impiæ *Medea* specimen gerit. è Theologis *commentatores* hoc egere in crebra loca & exempla S. Scripturæ, de officio parentum & liberorum. *Scholastici*, cum de justitia & jure agunt, hunc quoque locum tractant. è JCtis, præter commentatores & Systematicos, *Ærodius de patrio jure* scripsit. *Berlichius, de jure nouercarum.* *Enenckelius de priuilegiis Parentum & liberorum.* Añotatio.

CAP. IV.

De Societate Herili.

CEterum vt domus bene atque commode administretur, *Seruorum* opera requiritur. neque enim paterfamilias in omnia sufficit: neque decorum fuerit, aut humanum, vxori omnia seruilia opera imponere. liberorum, propter moras ætatis paulatim adolescentis, tarda ministeria, neque in ampliore domo satis idonea aut sufficientia. Jumentorum quoque adminiculo, quæ Seruorum loco apud pauperes erant, non possunt omnia geri. Sane quorum tenuis fortuna, & Seruitute opus habet domestica societas:

ies accisæ sunt, quomodo possunt, non quomodo volunt, sicut necesse, non sicut commodum est, rem domesticam administrant. Sed nobis agendum est de Domestica Societate non pessime constituta.

Sed quali? Constat ergo, famulares operas, & seruorum adminicula requiri. sed qualis seruitus tum domi optanda, tum in Rep. instituenda sit, in disquisitionem venit.

Distinctiones seruorum. *Aristoteles* duo seruorum genera facit, & copiose de illis disputat (*in Polit. præsertim lib.* 1. *c.* 3. *&* 4.) Quosdam enim *natura seruos* nasci, quosdam *lege fieri* ait.

παράδοξον Stoicum: omnes sapientes liberos, omnes stultos seruos. *Cicero parad.* 5.

De *seruitute naturali* duo quæri merentur: 1. an vera sit Aristotelis, & qui eum sequuntur, Sententia Philosophorum, dari aliquam seruitutem secundum naturam; an potius JCti audiendi sint, qui seruitutem contra naturam asseruerunt? Post *Arnisæum*, qui fuse ista disputat (*relect. polit. lib.* 1. *cap.* 3. *sect.* 3.) vide *Dan. Heinsii eruditam ad Richterum ICtum epistolam, orationibus eius subiunctam.* 2. an recte statuat *Aristoteles, in natura seruos i.e. barbaros licite bellum sumi ex hac ipsa causa, quod tales sint*: de quo vid. *Grot. de I.B. II,* 20. 40. *& II.* 22, 12. *Adam. Contzen. Polit. lib.* 10. *cap.* 8. §. 2.

Lege serui sunt Aristoteli, e. g. qui bello capti libertatem perdunt, aut venundati à victoribus. Clarius *Lege Seruos* vocabimus, quicunque non respectu naturalis aptitudinis ad seruiendum, sed ex facto humano instituto que in seruitutem venerunt: siue ipsi se vendiderint, siue ab aliis libertate exuti sint; quod

quod solet fieri bello, & pœna. Quorum nihil, si modus & ratio adhibeatur, plane iniquum est. vid. *Grot. de I.B. II, 5. 27.* & *32.* & *lib. 3. cap. 7.*

Alii explicant seruitutem, *vel vt est juris diuini* (vid. *Selden. de I.N. lib. 6. cap. 7.* & *8.*) *vel vt est juris gentium, vel vt est juris ciuilis*: de quo JCti.

Bodinus quinque genera seruorum facit. *de Rep. I, 5.* 1. Seruos natos, ex seruis aut serua. 2. captos bello. 3. seruos pœnæ. 4. qui se mancipatunt aut vendiderunt. 5. qui ab aliis, à latronibus aut piratis venditi bona fide ab emtoribus possidentur. Hi omnes sunt *lege serui*, si Aristotelica phrasi loquimur.

Seruorum autem miserrima apud veteres conditio erat: *jusq; impunitatis* (quod improprie jus dicitur) domino in infinitum concedebatur, cum tamen justitia interna jus vitæ & necis non posset dominis competere. vid. *Grot. de I. B. II, 5, 28.* Itaque inspectione curaque magistratuum paulatim mitigatum & ad æquitatem naturalem reductum. (de qua iterum *Grot. lib. 3. cap. 14.*) Sub Christianis Imperatoribus denique sæculo (vt *Bodinus* putat) post C. N. tertiodecimo plane euanuit. An ex vsu Reip. sit, talem seruitutem vigere, contrarias disputationes operæ pretium est videre apud *Bodin. 1. de rep. 5.* & *Ad. Contzenium Pol. lib. 8. cap. 15. §. 2.* Seruitus veterum abrogata,

(Dictum hac occasione de Senatusconsulto Silaniano ad loc. *Tac. 14. A. 42.* & *seqq.*)

quatenus tamen vtiliter hodieque cognoscatur.

Historiam seruorum, ad intelligendos Scriptores Veteres, vtile fuerit ex *Ausonio Popma de operis seruorum*: & ex *Laurentio Pignorio*, cuius eximius *de seruis* commentarius extat, repetere.

Tum autem, quæ Philosophi disputant, de temperamento præsertim juris herilis, (quod in suo rigore acceptum jam olim summa iniuria habebatur) cum pondere & incremento applicationis transferri possunt ad hodiernos seruos seu famulos, qui in plerisque communione juris cum dominis coniunguntur. Quam enim pulcra sunt, quæ *Seneca* præcipit *Epist.* 47. *lib.* 3. *de benef. a cap.* 17. *vsq. ad* 30. Adde, quomodo se Augustus erga seruos gesserit *apud Suet. Aug.* 67.

Simulacra antiquæ seruitutis.

Præter *simulacra* autem *priscæ seruituris*, (in asscriptitiis glebæ, hominibus propriis, & quos Galli manus mortuas vocant; *imperfectos seruos* dixeris) apud cultiores gentes, & Christianos populos nihil antiquæ seruitutis superest, vt diximus.

Societas herilis describitur;

Societas ergo herilis nihil est aliud hodie, quam *societas inæqualis inter dominos & famulos, ad vtilitatem præcipue dominorum, pactione operarum & mercedis, constituta.*

& per munia domini ac serui declaratur.

Debet autem dominus seruis 1. alimenta & mercedem. 2. defensionem & tutelam. 3. humanitatem & caritatem: Seruus domino 1. fidem. 2. obsequium. 3. reuerentiam & timorem: ita vt obsequio, labores & industria; reuerentiæ officio, patientia herilis imperii ingeniique, contineantur. quæ omnia

jure

iure diuino & Sobriæ philoſophiæ placitis comprehendi manifeſtum eſt.

Prudentiæ herilis munia ſunt: ſeruos bene legere; iis operas prudenter & pro cuiusque facultate partiri: diſciplina nec laxa, nec nimis adſtricta eos regere: promiſſa illis præmia ſoluere; neceſſitates & incommoda eorum non negligere; adeoque non metu tantum, ſed amore herilis imperii illos imbuere. Prudentiæ herilis ſumma.

De famulis ſtudioſorum videatur *Limnæus* l. I. VIII, 10, 19. De *officio famulorum* vniuerſe ſcripſit *Gilbertus Cognatus* & *Jo. Dinckelius*. Añotatio.

Poſſet hæc tota materia tractari, conductis quæ in antiquitate hiſtorica habentur, & politice examinatis, hoc titulo: *Helotes.* vel: *Peneſtia Theſſalica.* vide multis *Ariſt.* 2. *polit.* 7.

CAP. V.

De Societate Domeſtica.

Dictum eſt ante ex *Ariſtotele, Domeſticam Societatem* ſeu domum aut familiam conſtare ex *tribus* ſocietatibus primis; *coniugali, paterna, herili*: quibus jam expoſitis, ſatis conſtat, quid ſit familia ſiue domus: ad quam tres minimum perſonæ, & duæ ſocietates præcipuè, coniugalis & herilis requiruntur. Præter *hominem* autem ad conſtituendam domum etiam *res poſſeſſa* ſiue *poſſeſſio* requiritur: vnde *pecoris* mentio (quanquam & *ſerui* in poſſeſſionis parte habiti Antiquis) & cuiusdam quaſi domeſtici inſtrumenti in illa ipſa Domus ſeu familia quibus rebus conſtituatur?

ipſa rudi ſimplicitate, quam deſcribunt Au-
ctores; & à qua ad illam perſonarum copiam
ac varietatem, quam in opulentorum &
Principum domibus obſeruare licet, perue-
tum eſt. Vt autem integritas domus, ſi-
gradus, ſua incrementa habet: ita inuen-
domos aliquas ſine vxore, aliquas ſine liberis
aliquas ſine ſeruis famuliſque, ſine pro-
poſſeſſione nullas: quamuis id jactent m-
chorum inſtituta & cœnobiorum amp-
Scilicet vna domus magis accedit ad perfe-
ctionem domeſticæ ſocietatis, alia ma-
de recedit. Manet interim, quod reſpectu
omnium & perſonarum & rerum is, qui
eſt familiæ, ſit vel Maritus, vel Pater, vel He-
rus, vel Poſſeſſor ſiue Dominus.

Sub vno capite ſeu patrefamilias.

Cuius (Patrisfamilias) quæ ſint officia,
ſuperioribus attigimus: niſi quod de pru-
tia poſſeſſoria, atque adeo de jure poſſe-
ſeu dominio rerum nihil dictum eſt. A-
ergo forte debuerint aliqua in gratiam *Ari-
telis*, qui hac occaſione (vt ſupra expreſſ-
κτητικὴν & χρηματιστικὴν, ſiue rationem acqu-
rendi poſſidendique non perfunctorie -
cutus, oſtendit: hanc ſcientiam patrifamili-
qui aut habere poſſeſſionem, ac nece-
aut parare debet, plurimum inſeruire;
quantum attinet ad naturales acquirendi m-
dos (quos limitibus indigentiæ & neceſſi-
tis metitur) & ad eos qui à natura reced-
cupiditatique & voluptati vt plurimum -
uiunt. Atque hic attigit varia *venati-*
genera (ad quam olim latrocinium & mili-

Cuius prudentia poſſeſſoria ſummatim notatur;

etiam referebatur) *Piscationem, Aucupium, Agriculturam*: itemque *Cauponationem, Permutationem*, (ne hanc quidem vnius generis) *Mercaturam, Vsuram.*

Neque sane alienum fuerit, hoc loco: Patrem familias admoneri, vt prouide diligenterque familiæ necessaria procuret: vt impensarum modum redituum modo metiatur: vt tamen rem familiarem ipse norit, suaque cura (de aliena industria nunquam satis securus) complectatur: vt non parta tantum tueatur, sed pro re nata, citra auaritiæ studium, sciat rem familiarem augere. Sed quia hæc in ea ciuilis scientiæ parte, quæ œconomica dicitur, amplius tractantur; [quanquam *Bodinus Aristotelem* & *Xenophontem* hoc nomine reprehendit 1. *de rep.* 2.] & infra suis locis attingenda erunt, quatenus ratio acquirendi non domui tantum sed etiam reip. inseruit; itaque nunc tantum *de Origine Dominij* pauca annotabimus.

H. Grotius (II,2.2.) in explananda dominii origine non semel labitur. 1. enim in historia fallitur, quasi vllum vnquam tempus fuerit, post lapsum Protoplastorum, quo omnium rerum communio vigeret. 2. neque possibilis est talis communio ex magna simplicitate, & eximia caritate. Nihil enim tale post lapsum cogitari posse, experientia docet. 3. Fallit ergo exempla de Americæ populis, de Essenis, de primis Christianis. Apud quos omnes non defuit dominium & proprietas; sed partim confusa nec bene ordinata dominii ratio

Et de origine possessionis siue dominii quædam annotantur.

ratio obtinuit: partim imago communionis, non communio (quatenus ſcilicet proprietas excluditur) obſeruata eſt. E. g. quam ſit abſurdus, qui propter ea, quæ familiares in vna familia communiter participant, nullum eſſe in familia dominium inferat? de qua re *Theologi* amplius agunt, cum aſceticorum hodiernorum ineptias rident, quando nihil à ſe poſſideri, nulla dominii jura aut diſcrimina obſeruari jactant: id quod nimis facile eis credidit *Grotius*. Sicut & hypotheſes gentilium (ex *Tac.* 3. *A.* 26, 1. *Virg. Georg.* I. *&c.*) falſas, & ex ignorantia primæui temporis natas incaute pro veris arripuit.

De qua re amplius dictum.)

4. Jam quod de antiquorum hominum vita, de cibo ſponte nato, de antris loco ædium, de nuditate corporum, de veſtitu incondito memorat, ſi de genere humano accipiantur, ἀνιστορησία mera eſt; ſi de paucis barbaris, & incultis gentibus, qualibus nunquam orbis caruit, aut caret, aliena ſunt ab argumento quod tractauit: in quo juris rationem habet aut probationem non vnius alteriusque populi inconditus mos, ſed plurium & cultiorum gentium, i. e. recte vtentium ratione, inſtituta conſuetudinem faciunt. 5. Denique quod ait, *Vniuerſalis juris vſum, vice proprietatis fuiſſe, &, quod quisq; ſic arripuerit, id ei eripere alterum niſi per iniuriam non potuiſſe*: ſatis clare proprietatem occupantibus conſtituit, communionemque omnimodam, & talem, quæ proprietatem excludit, nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe, oſtendit.

De

(De nuditate Protoplastorum quam dilute loquatur, dictum.)

Quia enim ex primæuo jure naturæ nihil est meum potius quam tuum, vt vulgo concipitur (& vice versa) hinc fieret, vt omnia essent omnium, nihilque ita vnius haberetur, quin alius idem præripere, suo jure scilicet vtens, posset: hinc & iniuriæ perpetuæ & rixæ emergerent. Ob eam ergo rem ab initio statim secundum naturam fuit, vt quisque haberet aliquid proprium ac suum, in quod alteri jus non esset. Aliter enim incolumitas socialis vitæ [vid. quæ contra communionem bonorum Platon. disputat *Bodinus 1. de rep. 2.*] quam natura tuetur, inter continuas lites nulla fuisset. Atque hæc origo Dominii, sicut rectæ rationi consentanea est, ita historiæ sacræ profanæque, primisque rerum originibus congruit.

(Dictum, quomodo distinctio dominiorum sit Juris Diuini.)

Quatenus autem *Domus est societas ex herili & nuptiali potissimum composita (quanquam & patria accedat ad integritatem) sub vnius capitis quasi regio imperio, quotidiani vsus caussa, instituta, rebusq; necessariis sc. ad quotidianum illum vsum instructa*: non differt familia à domo, sed plane idem significat; siue de maioribus Principum, siue de minoribus priuatorum familiis sermo sit. — Familia & domus quatenus idem: — *Aristot. 1. polit. 1.* — Aliter quomodo familia vsurpetur.

Alia est significatio *Familiæ*, de qua *Sextus Pompeius* ait: ita vocari priuatum hominum paucorum cœtum, qui liberis hominibus constet, — *vid. l. 195. §. 1. D. de V. S.*

ſtet, quorum dux & princeps generis Pate
vel Mater familiæ vocari conſueuerit. Si
excluduntur ſerui & famuli.

Atque ita hodie fere loquimur de Princi-pum *familiis*, & aliorum, quatenus ex vno ca-pite progrediuntur. Et quando quidem vni viuunt, atque ab vno illo originis Principe reguntur, *familia* manet arctius ſic dicta, & à *Genere* ſiue *Gente* diſtinguitur. Gens enim e-dem *Sexto Pompeio* auctore pluribus familiis conſtat: quando ſcilicet multitudo homi-num ex vna ſtirpe in plures familias propa-gatur: ſæpe tamen *Familiam* pro *Gente* vſur-pari videas.

Pacta illu-ſtrium fa-miliarum.

Habent autem illuſtres familiæ quædam inter ſe pacta, varia in variis gentibus, circa ſucceſſiones præſertim: ſic pacto confrater-nitatis, quod vocant, inter illuſtres quaſdam Germaniæ familias conuenit, vt altera ſtirpe extincta, ad alteram ditiones illius & bona perueniant. vid. *Limn. I. P. lib. 4. cap. 8. Simon Schütz. Colleg. I. P. tom. 1. diſp. 6. th. 29.* vniuerſe *de pactis illuſtrium familiarum* nobilem tracta-tum edidit *Berſius*.

Pagus ceu colonia domus. *Pol. I, 1.*

A Domo ita progreditur *Ariſtoteles* ad Ci-uitatem, vt *Pagum* ſeu *Vicum* interponat, & ex pluribus familiis componat: hac quoque dif-ferentia adiecta, quod *domus* ſit κοινωνία εἰς πᾶ-σαν ἡμέραν συνεστηκυῖα *ſocietas quotidianum in vſum inſtituta*; *Pagus* autem (κώμη) χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου *vſus non quotidiani gratia*.

Latini Scriptores *pagum* modo *pro ciuitate & gente*, modo *pro regione*, item *pro parte regio-nis*,

nis, prouincia seu vicinitate accipiunt. Distinguuntur & vrbes ciuitatesque *vicatim*: sed ibi de vrbe constituta vox exauditur: hic rudimenta ciuitatis constituendæ per gradus definiuntur.

In Jure Romano *Vici* non vnius generis sunt, sicut ex *Codicis Theodosiani constitutionibus de Patrociniis vicorum*, & *Libanij oratione de Patrociniis* intelligitur. Vel enim *ad vnum dominum* spectabant, e. g. virum illustrem; qui *Minores Vici* possunt appellari; si cum iis comparentur, qui *plurium dominorum erant, Vici Maiores*, qui & *Metrocomia* dicuntur; *Vici Principes, Vici publici*. (vid. *Jacob. Gothofr. ad orat. Liban. notæ*.)

CAP. VI.

De
Ciuitate.

PEruenimus jam à primis illis societatibus, vnde domus construebatur, per coloniam domus, ad *Ciuitatem*, quam prius intendit natura, secundum *Aristotelem*: licet posterius producat; sicut totum natura prius censetur suis partibus, licet non nisi partibus constitutis totum conficiatur. **Transitus ad Ciuitatem.** *Pol. I, 2.*

Et *Ciuitatis* quidem vocabulo varie vtuntur. Potissimum tamen, *vel* totam gentem seu populum, scilicet ciuili vinculo seu juris communione cohærentem notat (sicut dicimus, ciuitas Heluetiorum &c.) *vel* vrbis certæ spatio comprehensam ciuium multitudinem: *vel* jus ciuitatis: *vel* denique jure ciuitatis **Eius vocabulum:**

vnius seu Reip. vnius fruentes, citra respectum loci aut domicilii, aut nationis.

Descriptio ap. veteres varia. *de Rep. I.* *Cicero* notanter: *omnis populus, qui est cœtus talis multitudinis, qualem exposui, ciuitas est: & omnis ciuitas, quæ est constitutio populi, respubl.* Qualem autem multitudinem intelligat, *alibi* *de Rep. III.* exposuit: *Populus est non omnis cœtus multitudinis, sed cœtus juris consensu & vtilitatis communione sociatus.* Præcesserat autem: *Respubl. est res populi, populus autem &c.* Congruit locus alter *cap. 3.* in *Somnio Scipionis*: *Concilia, cœtusq; hominum jure sociati, quæ ciuitates appellantur.* Hanc societatem seu concordiam juris & vtilitatis vinculo colligatam intellexit *de Ciu. Dei I, 15.* *Augustinus*, cum *aliud ciuitatem non esse* ait, *quam concordem hominum multitudinem.* Et *lib. 15. cap. 8.* *Ciuitas nihil aliud est, quam hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata.* Hæc est, inquam, illa concordia, quam *Cicero harmoniæ* vocabulò interpretatur. In *Platonicis definitionibus* πόλις seu ciuitas describitur οἴκησις πλήθους ἀνθρώπων κοινοῖς δόγμασι χρωμένων *habitatio multitudinis hominum communi jure seu communibus decretis vtentium*: siue πλῆθος ἀνθρώπων ὑπὸ νόμον τὸν αὐτὸν ὄντων *multitudo hominum, qui sub vna lege sunt.* πολιτεία autem seu *Respublica* describitur κοινωνία πλήθους ἀνθρώπων, αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν *communio multitudinis hominum, sibi sufficiens ad felicitatem*: seu κοινωνία πλήθους ἔννομος *communio* seu *societas multitudinis lege descripta.*

Ad descriptiones illas annotatio. Ita fere veteres plerique, modo, vt apparet, concisius & simplicius, modo plenius de ciui-

ciuitate & Rep. loquuntur. Quorum descriptiones scholasticis contentionibus vellicandas non putamus: propter legem disciplinæ politicæ ab initio à nobis commendatam. adde loc. *Gell. I, 25.*

Patet autem ex his, distingui quidem *Ciuitatem* & *Remp.* πόλιν & πολιτείαν, vt *ciuitas* ipsum cœtum juris fruendi caussa sociatum, *respubl.* illius cœtus ordinem legibus descriptum notet: quæ in scholis materiæ & formæ vocabulis distinguuntur. Illud interim certum manet, vix vnquam de ciuitate sermonem suscipi, quin de toto cogitetur, neque de populo tantum, sed populi ciuili constitutione simul agatur. Consideretur ipsius Aristotelis exemplum, qui ciuem, vt mox dicetur, magistratus & judiciorum participatione descripsit: id est nominibus Reipubl. debitis. Quæ res satis ostendit, non satis prudenter ciuilia præcepta tractare, qui in examinandis aliorum descriptionibus ita versantur, vt tandem non possint non incidere in id, quod in aliis reprehendunt.

Cæterum non abludit à dictis *Aristoteles*: cui *ciuitas* modo definitur οἰκιῶν πλῆθος καὶ χώρας καὶ κτημάτων αὐταρκες πρὸς τὸ εὖ ζῆν. *familiarum seu domuum tum regionis & possessionum seu opum copia per se sufficiens ad bene viuendum.* modo ἡ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος, ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, ὡς ἔπος εἰπεῖν· γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν. *communitas è pluribus vicis perfecta, quæ jam ad culmen abundantiæ rerum necessariarum euecta, se ipsa*

Aristotelicæ descriptiones. Oecon. I, 1.

Pol. 1, 2.

contenta esse potest: instituta quidem viuendi caussa, sed existens tamen bene viuendi ergo. modò, Pol. III, 1. πολιτῶν πλῆθος ἱκανὸν πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν. *Ciuium multitudo, cui ad necessarios vitæ vsus nihil desit, summatim loquendo.* conferenda est duplex descriptio ciuitatis *lib.* 7. *polit.* 8.

(Dictum, cur plures ex Aristotele descriptiones allatæ.)

Caussæ efficientes ciuitatem. De *origine* autem *ciuitatis* seu ciuilis societatis *capite primo* satis actum est. A natura enim, adeoque à Deo principia rei inter homines pulcherrimæ deduximus. Quod, sicut *Theologia* abunde interpretatur, ita ne gentilis quidem *Philosophia* dubitauit. Celebris est locus *Cic. in Somnio Scipionis cap.* 3. *Nihil est illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusq́; hominum, jure sociati, quæ ciuitates appellantur.* Adde *Contzen.* 1. *polit.* 5. *& seqq.*

Vt vero consociatio ista composite feliciterque fiat, *Politici* opus est, siue *Oratorem*, siue *Legislatorem*, siue *Philosophum* & *Sapientem*, quæ nomina Auctores huic negotio subinde accommodant, appellare libeat. Politicę prudentiæ esse, non tantum bene administrare ciuitatem, sed bene constituere, *Oecon. lib.* 1. *c.* 1. *Aristoteles* dixit: *& lib.* 3. *polit. c.* 1. τοῦ δὲ πολιτικοῦ καὶ τοῦ νομοθέτου πᾶσαν ὁρῶμεν τὴν πραγματείαν οὖσαν περὶ πόλιν. *Omnem operam Politici & Legislatoris videmus circa ciuitatem occupari.* sc. non minus constituendam, quàm constitutam. Apud *Cic.* 1. *de oratore* 19. cum *Menedemus diceret, esse,*

quan-

quandam prudentiam quæ versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum & regendarum rerumpublicarum: Carneades omnes partes illius ipsius prudentiæ petendas esse à philosophia docebat: neq; ea quæ statuerentur in rep. de diis immortalibus, de disciplina juuentutis, de justitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraq;, sine quibus ciuitates aut esse, aut bene moratæ esse non possent, alibi inueniri, scilicet, tanquam in propria sede. Inter *Heroica opera, & beneficia*, quorum vsus in genus humanum redundat, ciuitates constitutæ passim memorantur.

Constat autem Ciuitas ex *Ciuibus*, de quorum descriptione *Aristoteles* prolixe disputat 3. *pol.* 1. *&* 2. Neque tamen ita defungitur hoc officio, vt nihil difficultatis relinquat. Illud certum est, *Ciuem* definiendum esse communione juris, quo ciuitas vtitur. Illud jus non beneficia tantum, sed & onera comprehendit: quæ vtilitatis nomen & rationem induunt, quando ad societatis ciuilis seu consociationis finem referuntur: Porro, neque hoc neq; illud genus juris, quod ciuem facit, cogitari aut intelligi potest, citra respectum legis, quæ ciuitatem describit ac continet. sicut in corpore humano, nullum membrum, vel officiũ vel beneficium in toto sibi assignatum obire ac adipisci potest, nisi anima & spiritu efficiatur, vt sit, quod esse debet. Itaque licet *Subditus* à *Ciue* distingui possit (vid. *Arnis. relect. polit. lib.* 1. *cap.* 5. *sect.* 5. §. 4.) non insectandi tamen sunt, qui in definiendo ciue legis ac imperii mentionem faciunt, adeoque ordinis il-

Materia Ciuitatis, Ciues; quorum definitio indagatur;

lius, qui ciuitatis corpori pro anima est. non enim statim sequitur, toties variandam descriptionem ciuis, quoties forma ciuitatis variatur. Quanquam id ad mentem *Aristotelis* nihil esset absurdum. Qui certe *Ciuem*, vt ipse fatetur, non alium, quam *popularis reip.* definiuit, *participatione magistratuum & judiciorum*: adeoque exemplum potius ciuis, si dicendum quod res est, quam definitionem posuit. Fuit enim aliquid adferendum, quo omnes omnino ciues definirentur: quod non potest esse aliud, *quam participatio juris in ea ciuitate, cuius ciuis est aliquis: siue illa populari, siue regali, siue alio imperio contineatur: juxta cuiusq; ciuitatis descriptionem & formulam seu legem, qua constituitur, quaq; ciuibus sua jura definiuntur.*

Varietas ostenditur. Ceterum, quia illa formula in ciuitatibus singulis, & olim & hodie, varia fuit: id melius jam ab *Aristotele* monitum est, ciuem secundum *magis & minus* dici: neque ad omnes in vna ciuitate æqualiter omnia, multo minus ad omnes diuersæ ciuitatis, accommodari posse, quæ de singulis ciuium juribus dicuntur. de quibus scilicet alii plura, alii pauciora, tum minora, omnes tamen aliqua, & præsertim quantum ad imperium attinet ciuitatis, (quod qui non agnoscit, ciuis non est) participant.

Ita *Aristoteles, pueros & seruos emeritos,* seu ciuilibus muneribus jam solutos, *imperfectos Ciues* vocat: de *exulibus* quoque & *ignominia notatis* quæstionem mouet. Cuius generis plura collegit *Bodinus de Rep. I, 6.*

Alii

Alii *Romanæ Ciuitatis* maxime exemplo vtuntur: vbi plenum jus Ciuitatis, ejus scilicet, qui optimo jure ciuis esset, definiebatur, *domicilio, tribu, honorum communione seu petendorum honorum facultate.* Alia *Municipiorum* jura; alia *Coloniarum*: alia *Latinitatis*: alia *Prouinciarum*; alia *Præfecturarum*. de quibus præcipuus est, qui egit *Carolus Sigonius* in nobili opere, de *antiquo jure ciuium Romanorum, & adiunctis opusculis.* De *libertis & libertinis* disputat *Arnisæus relect. polit. lib. 1. c. 5. sect. 9. §. 14. & seqq.* Hanc varietatem ciuium respiciens *Bodinus* non præter rem affirmat: *nusquam gentium vllam esse aut antea fuisse ciuitatem seu Remp. quantumuis popularem, seu veram, seu hominum opinione fictam, in qua ciues omnes omnino jure ciuitatis exæquarentur.*

Exemplo Romanæ Ciuitatis.

de Rep. I. 6.

(Dictum, quomodo accipiendum, cum omnes ciues æqualitate juris apud Auctores describuntur.)

Sicut ex diuerso verissimum manet, nullum dari aut fingi posse ciuem, qui non juribus suæ ciuitatis (secundum magis & minus) gaudeat atque obligetur. Nam quantum ad *Honorarios ciues* attinet, illi nomine non re tales sunt.

Simul etiam apparet, *cur, proprie loquendo, nemo possit duarum ciuitatum* ciuis esse, de qua re prolixe *Arnisæus relect. polit. lib. 1. c. 5. sect. 7. tota.* si nimirum loquamur de Ciue pleno, & accurate sic dicto: Deinde, nisi inter fœderatos, socios, amicos, aliosue populos aliter lege statutum sit. Ita: *Duarum ciuitatum ciuis esse Romano jure ciuili nemo potest* (inquit *Cicero pro*

An Ciuis aliquis duarum ciuitatum possit esse?

Balbo c.11.) non esse huius ciuitatis (addit) *ciuis, qui se alij dicarit, potest.* confer eundem *pro Cæcin.* 34. Apud alios concessum erat. *Itaq;* (ait iterum *Cicero pro Balbo c.12.) in Græcis ciuitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedæmonios, ceteros vndiq; adscribi, multarumq; esse eosdem homines ciuitatum.* Hoc more vtebantur iidem Athenienses, cum *Atticum ciuem facere studerent (apud Cornel. Nepot. Attic. c.3.) quo tamen beneficio ille vti noluit,* satis scilicet peritus Romani juris, gnarusque *amitti ciuitatem Romanam alia ascita. Peritus enim* (inquit *Cicero pro Balbo* 12.) *nostri juris ac moris nemo vnquam, qui hanc ciuitatem retinere vellet, in aliam ciuitatem se dicauit.* Scilicet Romani vtebantur hac ratione, sicut iterum docemur à *Cicerone*: *Dissimilitudo enim ciuitatum varietatem juris habeat necesse est.*

Cap. XIII.

(Declarata est hæc ratio ex descriptionibus ciuitatis ante allatis: quas non infirmant, quæ à nonnullis disputantur *apud Arnis. rel. pol. lib.1. c.5. sect. 3. §. 4.*)

Fœderati autem populi, præsertim fœdere inæquali, facile patiebantur suos ciues Romana ciuitate donari, nisi fœdere id exceptum esset. de qualibus exemplis *Cicero* consulendus *oratione pro Balbo c.* 14. At Romani maiestatis suæ custodiendæ studio nolebant suis ciuibus alibi quam domi beneficiorum quærendorum occasionem esse, cum præsertim munus Romanæ ciuitatis inter amplissima & vtilissima nomina cuperent præcellere (digna sunt legi, quæ in *selectis antiquitatibus* annotauit *Brissonius I,* 13.) dareque beneficia, quam accipere magnificentius ducerent.

Fiunt

Fiunt autem ciues, non *loco* aut *domicilio*: potest enim fieri, vt ciuis huius ciuitatis sit, qui alibi habitat; aut, vt ciuis non sit, qui in hac ciuitate habitat, qui *inquilinus* dicitur; itemque serui, qui in ciuitate sunt, ciues tamen non erant: aut, vt versetur quidem ad tempus in ciuitate, domicilium tamen non habens, vt peregrini: *neq; communione fori aut cuiuscunq; juris*: potest enim aliquid tale ex pacto inter fœderatos fieri, vt *Aristoteles* recte monet: sed 1. *natiuitate*. 2. olim etiam *manumissione*. 3. *cooptatione in ciuitatem*, seu *donatione ciuitatis*. Nam *adoptionis* in hanc rem vsus euanuit. Quibus modis ciuitas obtineatur. *Polit. III, 1.*

In *natiuitate* quidem alicubi vterque parentum ciuis requirebatur: sed hodie vbique *patris* conditionem sequuntur liberi legitimi.

In *manumissione*, quæ sit libertorum seu potius fuerit conditio, juris ciuilis interpretes tractant, & *Arnisæus loco præcedenti pagina laudato*.

In *allectione*, & *donatione ciuitatis*, quæ prudentia locum habeat, nemo melius exposuerit *Cicerone orat. pro Balbo c.*13. & Claudio Imperatore apud *Tacitum* 11. *A.* 24. Tangit etiam Mæcenas in oratione sua apud *Dionem lib.* 52. Adhibenda tamen moderatio, quam in Augusto laudat *Suetonius Aug.* 40. ne fiat, quod metuit *Aristoteles* 5. *polit.* 3.

(Explicatus ille locus est.)

Claudii autem speciosam orationem facti intemperantia dedecuisse visa est, notante Sa-

tyra (*Sen.* in ἀποκολοκυντώσει) Pertinet huc disceptatio de caussis belli socialis ap. *Vellei.* 2,15.

Sicut autem peregrinos à ciuibus differre manifestum est; ita vsurpantes ciuitatem, siue gerentes se pro ciuibus, qui non sunt ciues, grauiter coërcitos constat. Ille ipse peregrinorum cooptator *Claudius Ciuitatem Romanam vsurpantes securi percussit.* apud *Sueton. Cl.* 25. Idem *peregrinæ conditionis homines vetuit vsurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia. Moris* enim *fuit* (vt illa *Suetonij* verba *Asconius Pedianus in proœm. in Verr.* nobis interpretetur) *vt cum aliquis ciuis Romanus ostendendus esset, significaretur aut à pranomine suo, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à tribu, in qua censeretur, aut à curia, aut à censu, vt si erat Senator Equesue Romanus.* Habitos præterea peregrinos subinde deteriore conditione, quam ciues, nihil mirum est. sed quod Romæ difficili annonæ remedio plane expulsi sunt vrbe ab Augusto (*Sueton. Aug.* 42.) durius est, notante etiam *Ambrosio in officiis*: quod testamenti faciendi licentia illis denegata est, itidem merito apud cultiores populos exoleuit, laudante *Grotio de I. B. II*, 6, 14. nisi quod Turca, & qui ad eam barbariem propius accedunt, fiscum vnicum peregrinorum hæredem faciunt; perinde vt in Gallia, fatente *Bodino* 1. *de rep.* 6. *in qua tamen peregrinis hoc datum* ait, *vt si extra Galliam moriantur, testamentum condere ac filios in Gallia susceptos ab vxore, quæ modo ciuis sit, hæredes scribere possint*: quod C. Papii tribuni plebis lege plane prohibiti sunt vrbe (vid. *Dion. lib.* 37. &

Anton.

Anton. Augustin. de legib. & SCtis) merito judicat male factum *Cicero 3. de offic.*

(Plura de peregrinis vid. *apud Bodin. l. c.*)

Veniendum est *ad jus mutandæ ciuitatis*: de quo *vel* vniuerse quæritur; *vel* cuiusque ciuitatis lege definitur. Prioris generis est quæstio; *an ciuibus de ciuitate abscedere liceat venia non impetrata?* non indiligenter tractata *Grotio de I. B. II, 5,24.* Huic affine est: *quid in eum, qui inuita ciuitate abest, liceat*? de quo prolixe *Arnisæus rel. polit. lib. 1. cap. 5. sect. 8.* add. *Bodin. 1, 6.* quibus modis mutetur.

De Romano jure diligenter agit *Cicero oratione pro Balbo*; quæ, non præter rationem, nobis in hoc argumento sæpius laudanda est. Primum illud ponit, juris esse Romani, *ne quis inuitus ciuitate mutetur; neue in ciuitate maneat inuitus. hæc enim esse firmissima fundamenta libertatis ciuium, sui quemq; juris & retinendi & dimittendi esse dominum.* (*cap. 11. & 13.*) Deinde jus mutandæ ciuitatis definit 1. *exilio* (non simpliciter, sed *tum deniq;, cum is, qui profugit, receptus est in exilium. h. e. in aliam ciuitatem,* sicut ipse *Cicero* alibi explicat *orat. pro Cæcin. 34.*) 2. *postliminio* (v. *Grot. de I. B. III, 9,3.*) 3. *reiectione ciuitatis.* Ita habet oratio *pro Balbo c. 12.* de deditis nec receptis vid. *Cic. orat. pro Cæcin. c. 33.* & *34.* & *Grotius de I. B. II, 21,4.* sed ista, quibus legibus apud singulas ciuitates definiantur, ex historia colligendum est, eo fere instituto, quod *Bodinus* tum hoc in argumento, tùm alias, non indiligenter tenet.

Dictum est, qua re incipiat, aut desinat esse Ciuis. Adiiciendum erat *de diuersis Ciuium ordi-*

ordinibus, quatenus gradu & officio, seu dignitate conditionis & vtilitate operis distinguuntur. sed quia Finis Ciuitatis ista discrimina parit: de eo prius agendum. Erit enim locus, cum, natura ciuitatis perspecta, paulatim ad singula deuenietur, sine quibus ciuitates esse non possunt.

Forma Ciuitatis: resp. stricte sic dicta, seu ordo imperandi parendique; *Polit. III, 4.*

Nunc de *Forma Ciuitatis* explicandum est. Quæ non alia est, quam *Resp.* specialiter sic dicta; seu *ordo imperandi parendiq;*; seu concisius, *imperium*. Græcæ *Aristoteles* πολιτείαν vocat, describitque *ordinem ciuitatis circa magistratuum potestatem.* eo, quod summa potestas vicaria magistratuum potestate pleraque administret. Vtut autem magistratuum auctoritas in oculos abunde incurrat, non aliunde tamen administratio ciuitatis adeoque Resp. æstimari debet quam à sum̃a potestate: quam τὸ κύριον *Philosophus* vocat.

hic merito considerari debet,

Satis scio, Aristotelica ciuitatis definitione formam non contineri: sed seorsum eam considerari. sed quia nec finis ille, quem ciuitati dedit, sine Rep. vllo modo obtineri: neque adeo ciuitas sine hac sua anima bene concipi potest: itaque jam ante dixi, ciuitatem ordinatam, id est, totam, à nobis hic spectari. cuius definitio postea subiicietur.

Inprimis autem operæ pretium fuerit reip. seu illius ordinis, qui ciuitatem animat, adeoque imperii primordia paulo diligentius speculari.

origo imperii altius repetita.

Monuimus supra, si ex primæuo quodam jure nullum dominium, nulla proprietas sit, siue,

siue, si nihil Tuum potius quam Meum sit, & vice versa, sed quilibet in omnia sibi jus esse prætendat, futuram fuisse vitam ferinam potius quam humanam, & quasi perpetuo bello, inter contentiones & rixas, infestam confusamque. Quod quia rationi naturali aduersatur, quæ ad societatem ducit, adeoque ad concordiam pacemque, sine qua societas nulla est: necesse fuit, vt societas constitueretur, vnumquemque de jure illo suo, quod hypothesis rerum communium modo prætendebat, cedere, donec dominiorum jurium que distinctio emergeret. quam ad rem opus erat consensu seu conspiratione singulorum. Hactenus supra explicauimus ex mente ethnicorum. nunc pergendum est. Finge ergo, omnes consensisse, se velle naturæ leges ad colendam societatem conseruare; finge, pactum quoq; in eam rem factum esse: nondum securitati singulorum, aut firmitati concordiæ ciuilis consultum est, quamdiu nihil est, quod violatores naturæ & pacti vindicet ac vi coërceat. Vt enim justitia fiat à singulis, legesq; naturæ sponte obseruentur, nemo suspicari potest, qui deprauatam hominum naturam intelligit. Opus ergo fuit vi cogente seu potestate coërcente, in qua resideret publica & communis justitia, tanquam custos & vindex juris cuiusque singulorum: cui se propterea singulos subiecisse apparet, vt societatis maiore ac communi bono, & suo quisq; jure perfruerentur; viuerentque adeo & securius & affluentius: libertatemque illam ferinam tot periculis ob-

noxiam

noxiam ac prorſus inſociabilem, cum vera libertate, quæ ſine poteſtate cogente ſeu imperio eſſe nequit, commutarent. itaque multitudinis poteſtati, ſingulos, qui in ſocietatem coiuerunt, ſiue corporis arbitrio partes ſe ſubieciſſe conſentaneum eſt. *Habent enim omnes conſociationes* (vt recte *Grotius de I.B. II,5. 17.*) *hoc commune, quod in iis rebus, ob quas conſociatio quæq; instituta eſt, vniuerſitas, & eius pars maior nomine vniuerſitatis, obligat ſingulos, qui ſunt in ſocietate.* Ab hoc iure maioris partis (de quo non tantum hoc loc. *Grotius*; ſed etiam in *Apologetico ſuo* eleganter egit) omnis imperandi parendique ratio profluxit. ſed, quia non omnibus ſatis commodum viſum fuerit, ad aliquod negotium expediendum aut decernendum, totam multitudinem congregari, & vel ſingillatim, vel per tribus ſententiam dicere: igitur fieri potuit, & factum eſſe apparet, vt ipſa multitudo hanc ſuam poteſtatem vel vni, vel paucis traderet iisque obediret. Sicut autem antea, qui ſe cœtui aggregauerant, in ſe ac ſua poteſtatem, quatenus ſocietatis conſeruatio & commune bonum poſtularet, vniuerſitati ſeu maiori parti reſignaſſe intelligendi ſunt: ita, qui homini vel hominibus ex cauſſa dicta ſe ſubiecerunt, aut expreſſe promiſiſſe, aut ex natura negotii tacite ſe obligaſſe putari debent, ſecuturos ſe id quod hi, quibus delata poteſtas eſt, ſtatuiſſent. Ita ſocietas, ac in ſocietate imperium conſtitui cœpit, interdum eo appetitu naturali beatioris vitæ, de quo dictum eſt: interdum

vi

vi ac dolo potestatem in corpus ciuitatis vnus aut plures arripuere. Quem modum (violentum scilicet) *Bodinus* cum aliis nonnullis, vt solum, non recte agnoscit. Sola enim non sunt, quæ frequentia, non tamen perpetua sunt.

(Dictum de *Thoma Hobbes*, (qui elementa de ciue scripsit.) It. quomodo hoc genus Philosophandi ex Theologia perficiendum & emendandum sit.)

Ad hunc modum igitur constituta ciuitate, imperium tanquam potentia actiua in aliquid agat, necesse est: nempe in eos, qui parent, seu quibus obsequii gloria & vtilitas & necessitas, ex ipsa socialis necessitudinis, quomodocunque constitutæ, natura conuenit. Hinc nata apud juniores *subditorum* appellatio, qui *imperantibus* responderent. Veteres enim *Ciuis* voce contenti erant: eaque modo latius, vt Imperantes Parentesque comprehenderet; modo adstrictius de parendi conditione vtebantur: idque ex appositis aut orationis serie volebant intelligi. Imperantium & parentium necessitudo.

Imperium quoque siue summam potestatem cœperunt *Maiestatis* vocabulo insignire, quod priscis dignitatem fere notabat frequentius, quam potestatem. Hinc *jura Maiestatis*, quæ veteribus *jura imperij*: sicut postea amplius declarabitur. Maiestas,

Cum autem *Aristoteles* monuit, ordinem Ciuitatis *respectu magistratuum, sed præsertim respectu summæ potestatis, definiri* oportere: nihil potius voluisse putandus est, quam summa non vno modo habetur & dispensatur;

potesta-

potestate, accurate & proprie loquendo, remp. describi; sed illius actionem non vno modo, veluti Spiritum, in corpus ciuitatis dispensari: plerumq; autem magistratuum opera indigere, qui vices summæ potestatis referant. è quibus magistratibus, si qui ipsa summæ potestatis jura participent, non jam proprie magistratus sunt (nisi quod Græca vox ἀρχὴ latius valere potest, quàm Latina) sed imperantes seu imperii & maiestatis socii. Qua de re infra latius erit dicendum. Igitur illa distinctio subditorum in *priuatos tantum*, & *non tantum priuatos*, vulgaris est, non accurata: nam consules, prætores, &c. (his enim exemplis subditos *non ut tantum priuatos* describunt) magistratus, adeoque priuati sunt: respectu summæ potestatis, cuius vnius intuitu accurate agendo & *subditus & priuatus* intelligitur. Forte, nec *mediati* ac *immediati subditi* in vna ciuitate, nisi populariter loquamur, designari debent. qui enim magistratui paret, non magistratus, sed imperantis imperium in magistratu reueretur. Nam quę exempla de Imperio Romano-Germanico afferuntur, quomodo explicanda sint, suo loco dicitur. Qui *sponte subditos* à *coacte subditis* distinguunt, nihil dicunt, quod ad subditos, qua tales, attineat. Multo minus *nobilitas & ignobilitas*, in subdito, qua tali, discrimen constituunt. Jam *peregrini*, & *incolæ*, quamdiu in ciuitate morantur, naturaliter plane eodem modo *subditi* sunt quo indigenę, licet non eodem modo *ciues* sint: si cum recentioribus illa distinctione vtendum judicamus.

quid de subditorum differentia, qua talium, sentiendum:

Sin

Sin *ciuis* vno vocabulo rem expedire placet, æque illi ciuili imperio obligantur (quamdiu in ciuitate agunt) non æque ciuili beneficio fruuntur. Dico, *naturaliter*: nam instituta & pacta varie rem possunt immutare. Meliori ratione nituntur, quæ de *ciuibus non plenis* (e.g. vbi respectu bonorum tantummodo huius ciuitatis ciuis alteri obligatur) & de *Vasallis* adferuntur. sunt enim *Vasalli*, qui perfecte simul subditi sunt: alii, non item. Denique quod de ciuium varietate supra dictum est, id quodammodo de subditis etiam dici potest: quorum alii astrictius parent; alii laxius & maiore libertatis vmbra reguntur: *pro formula imperij ac regiminis*. sicut suo loco amplius declarabitur: eademque opera *id, quod in maiestate ac imperio diuinum est*, è Theologia designabitur: *ciuiumq; ac subditorum officia* proponentur.

Sequitur *Finis Ciuitatis*, quem *Aristoteles* exprimit, cum ciuitates demonstrat constitutas esse *bene viuendi caussa*; quamquam hîc propositum vitæ socialis ac ciuilis non consistat, sed beatam præsertim vitam spectet. *εὐδαιμονίαν*, *εὐπραξίαν*, *εὐπραγίαν*, seu *Felicitatem* vocat *idem Philosophus*. Sicut enim & domum & vicum vsus cuiusdam tum quotidiani, tum vlterioris gratia constituit: ita ciuitas talem vsum ciuibus promittit, qui ad beate commodeque viuendum sufficiat, seu ad beatam in ciuitate vitam perficiendam pertineat. Felicitatem autem illam, qui recte ad mentem *Aristotelis* cupiet cognoscere, ei ante omnia ad Ethica

Finis ciuitatis beata vita: *3. polit. 4.*

eiusdem redeundum eſt: vbi non priuatum hominem, vt multi putant, ſed ad ciuitatem inſtruxit; felicitatemque non aliam, quam quæ vniuerſitati ciuium non minus conueniret, quam ſingulis, tractauit. Hinc eſt, quod toties *in Politicis* repetit, ciuitatem & ſingulos, eodem modo felicitate, & eadem vti potirique. videantur notabilia loca 3. *polit.* 4. 4. *polit.* 11. 7. *polit.* 2. & 3. & 13. Hinc eſt etiam, quod felicitas ciuitatis non minus honeſtate, quam vſu & commoditate ſiue ſufficientia rerum neceſſariarum definitur à philoſopho æſtimaturque.

quem Plato ex ciuitatis origine complementoque deducit oſtenditque.

Hic finis ergo obtineri non poſſe intelligitur, niſi & perſonæ & res ad ciuitatem conſtituendam atque adminiſtrandam ſe recte habeant. Quo factum eſt, vt hanc (notandum de methodo ſermonem eſſe, non de materia totius tractationis) methodum *Plato* ſibi propoſuerit obſeruandam, quæ non poteſt non laudari. Primo enim, quibus & qualibus perſonis opus ſit; deinde, quibus copiis rerum; denique, quo in rerum hominumque communione ordine; qua diſpoſitione ac lege ad neceſſitates & vtilitates vitæ ſocialis explendas, id eſt, ad bene beateque viuendum. Oſtendit nimirum, in præcipuo & maxime neceſſario vſu poni debere victus ſeu alimentorum comparationem, ſine quibus ne viui quidem poteſt: deinde, locum & habitationem requirit: tertio loco, veſtitum & alia neceſſaria eius generis conſtituit. ad has parandas res, artificiis & opificiis, ſeu artifici-

bus

bus & opificibus opus est, tum foris (quo mercatores pertinent) tum domi: vt agat vnusquisque, ad quæ natura aptior est ac propensior. neque vnus ad multa, sed potius ad certum genus operum applicet animum; omniaque ad Reip. totiusque ciuitatis vsum conferat: cui rei forum & nummus inseruiunt, beneque ordinata in vendendo emendoque commerciorum ratio. neque enim quidquam feliciter institui gerique potest sine bona dispositione ac ordine: quem iustitia præscriptis legibus describit, seu maiestas legislatrix constituit. Hæc fere *Plato lib. II. de rep.* consentanea iis, quæ alibi tradunt, tum ipse, tum alii veterum.

Nam & ex Aristotelis mente felicitas ciuitatis, seu beata vita, vt ante dictum est, honestate & commoditate viuendi definitur: Ita vt commoditas seu vtilitas ciuitatis, personarum, rerum, actionum, eam requirat copiam, quæ sibi ipsa sufficiat, vitæque necessitatibus & opportunitatibus satisfaciat; honestas autem agendi vtendique per omnia normam adhibeat, beatæque vitæ modum virtutis regula metiatur. Consequitur hæc ciuitas, præsertim imperii & Reip. auspicio: sine quo confusio rerum hominumque, & actionum, non beatam reddit societatem ciuilem, sed infelicem planeque dissociabilem. Græcorum mentem diserte expressit *Cicero*, quando imperantes jubet ad verum Ciuitatis finem respicere, qui est, *beata ciuium vita, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit,* siue

Constat ille commoditate & honestate viuendi.

Epist. ad Attic. lib. 8. ep. 11.

siue *vt beata & honesta ciuitas sit*, sicut breuius effert.

Lips. 1. polit. 1. Danaus polit. l. 2. cap. 5. nisi quod nonnunquam aberratur.

(Vnde intelligi datur, quid sentiendum de illa quæstione; *An ciuis bonus & vir bonus differant?* de qua *Arist. 3. polit. c. 3.* melius tamen infra definietur.)

Atque hic quidem finis omni ciuitati propositus esse debet. Sed sicut in singulis hominibus fit, vt felicitatem suam errore sæpius quam veritate æstiment; & alii quidem *voluptuarij* ἀπολαυστικοὶ in voluptate corporis; alii in diuitiis (genus sc. *quæstuarium* χρηματιστικὸν,) alii, in honoribus (qui *ciuiles* πολιτικοὶ haberi volunt) tanquam in supremo fine acquiescant. nam genus θεωρητικὸν, cur minus in considerationem veniat, apparet: (*Aristot. Eth. Nicom. I, 5.*) Ita multæ ciuitates, vel ab initio statim, vel postea aberrant aut degenerant à vera felicitate, eamque in opibus, in honore & gloria, in voluptatum affluentia tantum quærunt. Fit illud, tum singulorum vitio ciuium, tum præsertim forma ciuitatis non legitime constituta, aut in prauum demutata. Imo quamuis *perfectissima* ciuitas communem omnium felicitatem intendat: multæ sunt ciuitates, quæ tantum ad imperantis commodum referuntur. videndum ergo, ne cum *Althusio* hoc principio quis abutatur. Vnde *Aristoteles* Reip. nomen non de laudabili modo forma ciuitatis, sed etiam de vitiosa vsurpari monuit. Plane vt ciuitatis (sua sc. republica instructæ, vt nos hactenus accipimus) vocabulo accidit.

Polit. III, 1.

Non

Non enim desinit esse ciuitas, quæ iniusta agit, quia manet id, cuius caussa coiuit ciuitas, juris fruendi caussa scilicet, licet delicta intercedant. vid. *Grot. de I. B. III, 3, 2.* Quapropter non recte videntur dicere, qui Turcarum imperium ciuitatem aut remp. esse negant. (vid. *Ad. Contzen. polit. I, 3, 4.*) Tyrannidem esse, facilius dici posset, & per argumenta, quæ afferunt, probari: sed Tyrannis non tollit omnem ciuitatem, sed justum ciuitatis regimen destruit.

manet tamen ciuitas, etsi iniusta agat?

v. Cic. paradox. 4.

Aliter sentiendum de cœtu latronum & piratarum, qui ciuitas non sunt, nisi tandem fiant ciuitas, de qua re alibi, *vid. Grot. l. c.* De Philippi Macedonis πονηρόπολει seu malorum ciuitate, frustra puto ex *Suida* exemplum huc adferri. quin enim illa ciuitas sub Philippi imperio fuerit, nulla est dubitandi ratio. Ciuitas autem hic non dicitur nobis, nisi quæ imperium proprium habet.

exceptis latronibus.

Arnisæ. relect. polit. lib. 2. cap. 1. sect. 2. §. 16.

Deduxit nos hic locus ad illam quæstionem, ab *Aristotele* motam, nec satis explicatam (3. *polit.* 1. & 3.) *quando eadem sit dicenda ciuitas, aut quando desinat esse ciuitas?* item, *quando ciuitas censenda sit aliquid egisse?* quæ quæstio à priori pendet. vid. *Arnisæ. relect. polit. lib. 1. cap. 5. sect. 3. & 4.* cuius §. 5. & 6. σὺν ὀρθῶς ὁδεῖ. (Aristotelis exemplis, quid respondendum, dictum.) Egit diligenter hac de re *Grotius de I. B. 2, 9. per tot.* Vbi tamen §. 11. de imperio Romano ea ponit, quæ defendi non possunt, sicut in tempore declarabitur. Plura diximus in *Dissertatione, de eo, quod ciuitas egit.*

quando desinat esse ciuitas?

Describitur plenius.

Ex his omnibus clarum est, quid sit ciuitas, nimirum *societas hominum perfecta, rebus necessariis instructa, certoq́ imperandi ac parendi ordine constituta, ad bene beateq́ viuendum.*

& ab vrbe distinguitur.

Aliud ergo est *Vrbs*, aliud *Ciuitas*: quanquam hodie plerumque illa confunduntur, & consuetudine pro vnis habentur. cum tamen *Vrbs* ad locum præcipue pertineat. *Ciuitas* ad societatem & cœtum. *Vrbs* enim ab eadem origine, unde & *Orbis*. *Vrbare* enim siue *orbare*, est circulo circumscribere. Gallis est *cerner*, quasi circinare. Ita *Josephus Scaliger in etymologiis Varronianis.*

Ambitus enim vrbis aratro designabatur in orbem: sicut *Seruius ad* 4. *Æn.* notat: siue polenta, vt apud Macedones, referente *Curtio IV*, 8, 6.

Qui hoc discrimen inter *Vrbem* & *Ciuitatem* explicant, plerique afferunt exemplum Romanorum, qui cum promisissent Carthaginensibus, saluam eorum ciuitatem fore & jura, postea emigrare jussis ciuibus, excisaque vrbe, ciuitatem non in tectis & mœnibus, sed in ciuibus esse, caussati sunt. sicut auctor est *Appianus in Libycis.* sicut autem verum est, ciuitates *non domibus & tectis & congestu lapidum stare* (*Tac.* 1. *Hist.* 84, 7. *Justin.* 2, 12, 14. *Liu.* 9, 4. *Thucyd.* 7. *Aristot. polit.* 3, 1.) ita nimis faciles Romanæ cauillationi aures præbent, qui excusant factum. vid. *Arnis. relect. polit. lib.* 1. *cap.* 5. *sect.* 2. Melioris & grauioris philosophiæ auctorem se præbet *Grotius de I.B. II*, 16, 15.

Tacitus vrbis vocab. pro ciuitate vtitur.

Antiquissima sane in Latina lingua fuit per-

permutatio horum vocabulorum, *Vrbis, Ciuitatis, Reipubl.* Quis enim fere *Republica* ita vtitur, vt hodie solent, pro forma tantum ciuitatis, exclusa materia? Certe Respublica Romana, non imperium modo, sed ciuitatem quoque Romanorum notat. *Ciuitates* autem pro Vrbibus poni, non heri demum aut hodie vsitatum; sicut vicissim, *Vrbes* pro ciuitatibus poni videas. Ciuitas ergo *modo* totum corpus imperii notat, siue magnum illud sit siue paruum; siue pluribus siue paucioribus constet vrbibus; atque hoc sensu nos hactenus loquimur: *modo* Vrbem significat, siue mœnibus inclusam, siue mœnibus carentem. Quo fit, vt qui subtiles videri volunt in distinguendo, tamen non caueant sibi satis à confusione. Exemplum memorabile demus, quæstionem *de magnitudine Ciuitatis*: quam non potuit tractare *Arnisæus (relect. polit. l. 1. c. 5. sect. 6.)* quin confunderet *vrbes & imperia seu ciuitates excellenter sic dictas.* itaque modo de consilio Augusti ad coërcendum intra terminos imperium spectante, modo de Babylone i.e. de vrbe non de ciuitate agit. In quam quæstionem quia obiter incidimus, summatim dicendum est: *Modum & in Ciuitatibus & in Vrbibus optimum esse: illum autem modum non vbiq; eodem pacto æstimandum; & in ciuitatibus præcipue, non tam numero hominum aut spatiis locorum magnitudinem metiendam, sed facultate & viribus verorum ciuium ceteraq; potentia & sufficientia rerum omnium: αὐτάρκεια: temporis quoq;, in optanda magnitudine ciuitatis, non minimam rationem*

De magnitudine vrbis & ciuitatis.

habendam esse. qualia pleraque *Aristoteli* obseruata 7.*Pol*.4. Quantum ad vrbes siue ciuitates loco definitas attinet, præter ea, quæ ex dictis huc faciunt, pericula nimiæ magnitudinis, exemplo Lutetiæ Parisiorum inculcat *Barthol. Gramondus hist. lib*. 2. *p*. 127. & 128. *edit. Amstelodam*. Quid in Anglia statutum sit circa Londini nimium excrescentis magnitudinem, videas licet apud *Thuanum fine lib*. 70.

Et quæ alia hic tractari soleant.

Possent in hunc locum conduci etiam reliqua, quæ ad Vrbes pertinent: quatenus sunt aut fiunt vel situ opportunæ, vel copia rerum abundantes, vel ædificiis commodæ, vel robore munitæ, vel gloria amplæ: estque inprimis jucundum intueri in illud diuinæ prouidentiæ theatrum; vbi aliæ vrbes modo ex cineribus & ruderibus nascuntur; modo è nobili quasi propagine proseminantur; alię adolescunt, aliæ senescunt, minuuntur, languent, moriuntur; in quibus omnibus miscentur ratio, consilium, fortuna. si tamen hoc agendum sit, non deerit locus in sequentibus. Commendamus interim Historiam nobiliorum vrbium, cum obseruatione politica conducendam: sicut e. g. de initiis vrbium cœpit facere *Machiauellus disput. de rep. lib*. 1. *cap*. 1. de incrementis vrbium & augmentis *Borerus*: ex quo descripsit *Althusius cap*. 5. §. 70. & *seqq*. de vrbibus Germanicis Cl. *Hermannus Conringius*, præmittendus iis, quæ de vrbibus Imperii Germanici tradidere Scriptores Juris Publici. *Limnæus I. P. VII. I. Reinking*. I, 4, 20. *Sinolt. Schütz. Colleg. I. P. volum*. 1. *disp*. 8. *th*. 21. & *seqq*.

Bodi-

Bodinus hac occaſione de *Patrocinio & Clientela* diſputat, vt oſtendat nimirum, quid cliens à ciue differat (1. *de rep.* 7.) ſed nos vtilem materiam in alium locum differemus.

LIBER II.

CAP. I.

De Maieſtate.

QUid ſit Ciuitas, & vnde oriatur, quomodo conſtituatur, & quid ſibi propoſitum habeat, dictum eſt. Quæ doctrina ſcilicet totius Politicæ ſummam in ſe comprehendit. Nunc ad ſingula eorum, quæ comprehenduntur, progrediendum eſt. Tranſitus.

Et quoniam ipſa Ciuitatis anima in imperio eſt, vt ante poſuimus; igitur, quæ eo ſpectant, ſtatim cognoſcenda ſunt. Agemus ergo hoc libro de Maieſtate, & quæ jura eius feruntur. Inſequenti libro, penes quem maieſtas reſideat, in diuerſis ciuitatis formis, explicabimus: atque ita ad declarationem eorum, quæ ciuitatem inſtruunt, ſeruant, augent; tum etiam deſtruunt, corrumpunt, minuunt, procedemus.

Maieſtatis vocabulum non habet in aliis linguis aliquid ſimile, ſicut recte *Caſaubonus* obſeruat: Græca quoque, vtut copioſiſſima hic deficit. Vulgares linguæ pæne omnes retinent Latinam vocem. ad declarationem accuratiorem Maieſtatis: cuius ſignificationes inquiruntur.

Significat autem ſæpe dignitatem, ſed cum augmen-

augmento & pondere loquendi, vt *maiestas matronalis* apud *Liuium*: item *maiestas viri* apud *Eundem*: *maiestas tribunitia*, apud *Asconium in argum. orat. pro C. Corn.* & similia.

Lipsius, quæ in priuato *auctoritas* est, in Principe maiestatem definit, eoque nomine explicat 2. *polit.* 16. & *Tholosanus de rep. lib.* 8. *cap.* 3.

Ciceronis eximia sunt loca: in *partit. orat.* 30. *Maiestas est in imperij atq; in omni populi Romani dignitate.* 2. *de inuent.* 17. per *dignitatem, amplitudinem, potestatem populi Rom.* describit. 2. *de orat.* 39. *Maiestas est amplitudo ac dignitas ciuitatis. Auctor librorum ad Herenn.* II, 12. maiestatem describit per *ea, ex quibus ciuitatis amplitudo constat.* additque: *quæ sunt ea? quæ capiunt suffragia populi, & magistratus consilia. Idem IV, 25. Maiestas reip. est, in qua continetur dignitas & amplitudo ciuitatis.* coniungitur itaque aliquando in descriptione maiestatis *imperium* atque *dignitas*: sicut ex maioribus illis scriptoribus minores retinuerunt. Ille ipse *Cicero*, cum explicat veterem formulam, darent magistratus operam, ne quid resp. detrimenti caperet, ita substituit: *darent operam, vt imperium populi Romani maiestasq; conseruaretur. orat. pro Rabirio c.* 7. de *Manlio idem* inquit 1. *de fin.* 7. *quod ipsi naturæ patrioq; amori prætulerit jus maiestatis atq; imperij.*

Constat ergo ex his, etiam Romanis non solam dignitatem, sed & potestatem, imperii, maiestatis vocabulo notari consueuisse. cuius rei consideratio paulo interior in *dissertatione de auspicio regio* est à nobis proposita.

At

At Iuniores plerique Maiestatis vocabulo *summam potestatem* notant. quæ priscis, modo *imperium*, modo, *jus imperij*, *summum rerum arbitrium*, *summum rerum judicium*, denique hoc ipso vocabulo, *potestas* dicebatur.

Describitur.

Adhanc ergo mentem *Maiestas* nihil fuerit aliud, quam *summa in ciuitate potestas, cuius actus alterius voluntatis humanæ arbitrio non possunt in irritum recidere.* Hanc *facultatem moralem gubernandi ciuitatem* vocat *Grotius* & descriptionem allatam explicat *de I. B. I,3,6. & 7. Lampadius de constitut. Imper. Rom.* per *potentiam actiuam regendæ reip.* describit maiestatem.

Qui dicunt, *maiestatem consequens esse potestatis Imperatoriæ*, de auctoritate vocem capiunt: quod non omisit monere *Gerhard. de magistratu polit.* §. 122.

Qui describunt maiestatem *potestate constituendæ & regendæ ciuitatis*, ita explicari possunt, vt nihil incommodi habeat, quod dicitur.

Qui maiestatem *non nisi cumulo potestatum functionumq́, ex quibus aggregetur, describi posse*, censent, non cogitant de totius per definitionem, sed totius per partes potentiales, quæ vocantur, explicatione.

amplius declaratur natura maiestatis.

Summa potestas est, quæ hoc titulo afficitur, quia aliam non agnoscit superiorem, nisi diuinam: *summa*, quia opus est aliquo summo, à quo cætera omnia pendeant, & ad quod referantur in ciuitate, siue in imperandi parendique ordine: *summa*, quia ciuitatem alias non faceret, sed ciuitati maiestate sua jam infor-

informatæ inseruiret: *summa*, quia Deus, qui dat, sibi secundam & proximam, id est, inter humana summam facit: *summa* adhuc clarius, quia Deus, vt ciuitas sit ciuitas, aliquam ei potestatem dedit, quam nihil supergrederetur; quæ vices Dei cuncta gubernantis in certo cœtu referret; quæ legis munus, omnem harmoniam concinnantis, viuo quodam præsentissimoque ministerio obiret: *summa*, quæ non impeditur, non suspenditur, non iudicatur vllo humano arbitrio, aut vi cogente, nisi per arma & scelus: *summa*, quia nihil veneratione sanctius, nihil fastigio in humanis rebus augustius habetur. Dicam simpliciter: supra quam, & contra quam, & sine qua, nihil potest lex aut jus ciuitatis, quam regit. Est
3. polit. 6. enim, vt breuissime & verissime *Aristoteles* loquitur, *in ciuitate vbiq; summa potestas.*

Pugnant cum hac summitate, vt sic dicam, quæcunque sunt fiduciaria, precaria, aliunde dependentia, reuocabilia, temporaria, vicaria.

Eadem autem maiestas est, siue in vnum collata sit, siue in multis resideat. Vbi enim Ciuitas, ibi maiestas: quocunque genere reip. ciuitas gubernetur. Quod enim status Aristocratici & Democratici regimini maiestatis vocabulum non soleat attribui (sicut traditur apud *Besold. polit. I, 2, 7. Sinolt. Schütz. colleg. I.P. volum. 1. disp. 3. th. 4. f.*) ad titulorum formulas pertinet, non ad rerum fundamenta. Fit enim, vt *maiestatis* titulo compelletur etiam ea dignitas, quæ non habet adiunctam summam

&

& absolutam potestatem. sicut ex diuerso, qui maiestatem reuera habent, vocabulo tamen, quatenus in titulum honoris transiit, non gaudeant.

Esse porro maiestatem in *Ciuitate, tanquam in subiecto communi*, ita patet, vt quæ ciuitas sit seu resp. maiestatis compos habeatur; & qui maiestatem habent, ciuitatem repræsentent, adeoq; ciuitas sint, ac vt ciuitas agant. Quantumcunque enim sit ciuitatis corpus, si tamen summam in se & sua potestatem vel penes vnum constitutam agnoscit, ille Vnus ciuitatis personam sustinebit, illiusque actus ciuitati tribuuntur. *Proprium* autem *subiectum* est *persona vel vna vel plures.* vid. *Grot. de I. B. I, 3, 7.* Idem *Grotius* exemplum regii imperii in hunc modum explicat (*de I. B. II, 9, 8.*) *Imperium in rege est ut in capite, in populo manet vt in toto cuius pars est caput: atq; adeo rege, si electus est, aut regis familia extincta, jus imperandi ad populum redit.* addit postea necessariam restrictionem: ita imperium esse populi, *vt à corpore seu populo non exercendum, sed à capite,* intelligatur. Quod si conuenire debet cum superiori eius doctrina, ita accipiendum erit: vt Ciuitas, cum maiestatem in vnum proprie & plene contulit, ad jus, quod transtulit, prouocare nequeat, quippe non jam suum nisi potentia, id est, in euentum in translatione expressum, aut designatum. e. g. cum is moritur, cui, citra hæredum mentionem, collatum est imperium: vel cum deficit familia, penes quam voluit ciuitas potestatem suam residere

Estque in subiecto vel communi vel proprio.

irre-

irreuocabiliter. Habent hæc locum etiam in imperiis vi bellica occupatis, victoris scilicet in victos. Non enim vis mera est; sed accedit consensus adeoque voluntas (tales enim actiones, quæ vitandi maioris mali caussa, aut ad seruandam vitam, bona & alia eius generis etiam ab inuitis fiunt, voluntarias esse, satis *Aristoteles* in Ethicis declarat) quæ per homagium præstitum, vt hodie loquuntur, siue per fidem datam, se ad abstinendum imperio nihilque de rep. præter obsequii gloriam petendum, obligauit.

Manet ergo: omni & soli superiorem non recognoscenti, qualis est ciuitas, sicut hactenus accipimus, siue personam ciuitatis sustinens, maiestatem tribui oportere. quod latius explicat *Arnisæus de Jure Mai. lib.* 1. *cap.* 2.

Distinctio vulgaris in maiestatē realem & personalem examinatur.

Ceterum id, quod de subiecto communi & proprio diximus, peperit illam vulgarem distinctionem *Maiestatis Realis & Personalis*: quarum illa *Imperij*, hæc *Imperantis*, dicitur. Quam distinctionem, qui satis explicauerit, vix vnus; qui male vsurpauerint & adhibuerint, plurimi reperiuntur. Itaque magnus Theologus *Jo. Gerhardus* (*loco de magistratu polit.* §.123.) cum hanc distinctionem ex mente aliorum attulisset, addit: *sed cauendum, ne hac distinctione abutantur seditiosi Regicidæ, qui æstimant, Reges & Principes impune violari posse absq; maiestatis, quæ regno proprie inhæret, violatione.* Nimis crebra, vt dixi, abusio in omnium oculis est. sed annotabimus quædam, in quibus vacillat huius distinctionis explicatio. 1. illud

non

non ſatisfacit, quod, cum ordo ſemper detur cum reſpectu ad aliquod primum; id autem primum & ſummum ſolum eſſe debeat atque vnicum, duo ſumma ſic conſtituuntur; hoc quidem prætextu, quod *maieſtas realis* ſumma ſit in ordine fundandi, *perſonalis* in ordine regendi. 2. non poteſt illa diuerſitas oſtendi in ciuitate Democratica: ibi enim vtriusque maieſtatis idem eſſe ſubiectum fatentur (*v. Beſold.*) 3. fatentur etiam, ſubiectum maieſtatis realis inueſtigatu difficile eſſe; cum exemplis agitur, difficultas illa nimis ſe prodit (v. *Sinolt. Schütz. Colleg. I.P. volum.* 1. *diſp.* 3. *th.* 5.) 4. quando maieſtatem realem in legibus imperii fundamentalibus conſiſtere dicunt, fortiſſima eſt inſtantia apud *Schützium l. c. th.* 6. quod mutata forma corrueret. 5. dubitant aliqui, an omnes reſp. inprimis dominatus, maieſtatem realem habeant. 6. Fatentur, tum demum maieſtatem realem ſe exerere, ſi caſus exiſtat, qualem ſupra *Grotius* attulit. vid. *Schütz. l. c. th.* 5. C. E. 7. Animaduerti etiam, Juris Publici Scriptores, dum vnicam illam hypotheſin Imperii Romano-Germanici intuentur, atque Cæſari maieſtatem perſonalem, Ordinibus Imperii realem tribuunt, ipſam theſin, de maieſtate ſcil. quaſi ad normam illius hypotheſeos formatam explicatamque cupere. 8. Definitio maieſtatis perſonalis, quam adferunt, abſorbet prorſus illam, quam volunt, maieſtatem realem. Eſt autem vera definitio *maieſtatis totius*, quam illi *perſonali* tantum tribuunt in hunc ſenſum: quod ſit *ſumma, & perpetua,*

petua, legibusq; soluta potestas, competens in res & personas suæ ditionis. intellige, ciuitatis cuius est maiestas: sicut ostendit etiam explicatio apud *Schütz. l. c. th.* 14. *A. & seqq. lit.* Vbi ergo, tali potestate constituta in ciuitate, locus est maiestati reali? quæ describitur, quod sit *summa ipsius Reip. eidemq; coæua ac sub interregnis atq; gubernationum alterationibus persistens status & regiminis sui tum constituendi, tum conseruandi tuendiq; potestas.* Si enim personalis maiestas habet summum & absolutum jus in res & personas ciuitatis; in quibus personis & rebus ergo residebit maiestas realis, à qua, juxta illos, dependere personalis maiestas debet? si legibus soluta est personalis maiestas, quomodo realis in legibus præsidium inueniet contra illam? si perpetua est maiestas personalis, ecquando tandem realis illi intercedet, illamque opprimet? 9. Qui hanc distinctionem suo more explicant, plerumque falluntur illis exemplis, quæ diuisa jura maiestatis habent in vna ciuitate. 10. itemque vocabulis & externo rerum schemate, vnde de maiestate non est judicandum, decipiuntur. 11. Necesse foret, vtriusque eandem dare latitudinem. Jam autem jura Maiestatis realis nominantur 1. jus constituendi vel electionis vel successionis modo Imperantes. 2. jus vel absolute vel sub pactionibus committendi imperantibus imperii. 3. jus disputandi de dominio imperii quoad jus alienationis, & obligationem successorum: vbi ergo cætera jura maiestatis? Hæc sunt juris nomothetici: vt suo loco.

Melius

Melius ergo videtur de hac distinctione philosophari *Theodorus Grasvvinckelius, de jure maiestatis cap.* 10. & 11. quod nimirum maiestas realis desinat, vt primum transiit in personam: si vero maneat realis, personalem nullam esse, sed eius tantum imaginem quandam, respectu administrationis, & curationis. Ad prius membrum supplendum pertinet ille euentus, de quo ante dictum est; si in regno proprie sic dicto moriatur rex, vbi electio viget; vel deficiat familia, vbi successio in vsu est. quin enim tum maiestas ad ciuitatem redeat, eiusque arbitrio in aliam personam transferri queat, dubio caret. Ad rem totam explicandam addi potest: sicut in regno vere & proprie sic dicto maiestas realis absorpta est in personalem, nec reuiuiscit, nisi casu prædicto; ita vbi vnus jure non plene ac vere regio imperat, sed diuisum cum ordinibus ciuitatis, siue cum ciuitate imperium habet, ibi maiestatem personalem nullam dari, nisi ex parte, aut ex titulis maiestatem velis æstimare: quod non est ad scopum huius disputationis. qui enim hactenus de maiestate reali & personali disputant, totam potestatem ciuitatis gubernandæ respicere videntur. In Aristocratia, quin tota potestas summa, siue maiestas penes proceres possit residere, excluso populo, non potest negari: sed jura imperii seu maiestatis sæpius diuidi solent inter proceres & populum; interdum proceribus administratio, populo jus debetur. Ex quibus facile judicari potest, vbi maiestas realis ex-

clusa personali, aut personalis exclusa reali locum habeat. sed de exemplis ipsis alibi erit agendum.

Potestas summa, seu maiestas quomodo à Deo sit.

Originem maiestatis, siue summæ illius potestatis, quæ ciuitati regendæ vnice est necessaria, jam supra à Deo & ipsa natura repetimus. Nunc igitur, quomodo Deus suam de illa re voluntatem declarauerit, quidque sit juris diuini, ex sacris literis ostendendum est.

E locis juris diuini proponitur.

1. Sam. 8.

Prima & maxima quæstio est de jure Regio seu de jure summæ potestatis (siue penes vnum illa sit, siue penes plures) quod describitur 1. *Sam*. 8. ℣. 11. *vsq. ad* 19. Quæritur enim, an illa potestas summa & plenissima in personas & bona ciuium de facto tantum & consuetudine imperantium, an de jure accipienda sit? Magnus *Gerhardus de magistr. polit*. §. 125. argumenta affert in vtramque partem. confer *Wilhelm. Schickard. de jure regio Hebræorum. Grot. de I. B. I*, 4, 3. vbi præsertim *Jun. Brut*. cum sociis tangit. Ille enim *quæst*. 3. *vindic. contra tyran. p*. 317. de abusu & licentia regum, non de jure regio sermonem esse, occasionemque inde sumtam Hebræis coërcendi regiam potestatem explicat. Sicut autem illud vere monet *Brutus*, Aulicos abuti illo Samuelis loco: ita nec ipse, nec alii excusari possunt, qui consequentia huius loci neglecta latam subditis licentiam ostentant, si reges ipsorum juxta vaticinium huius loci se gerant, id est, vt ipsi explicant, tyrannicè. Viderunt & nostra tempora disputationes de hoc loco partim impias,

pias, partim incautiores & immoderatas. Sicut enim iniquus est in jus Regium *Miltonius*, ita nemo ausit omnia defendere, aut recipere, quæ *Salmasius in defensione Regia* ad locum Samuelis commentatur: cuius præcipua disputatio (*cap.* 2.) eo tendit, vt de jure licentiæ seu impunitatis exaudiendum Samuelem ostendat. Jus autem impunitatis improprie jus dicitur, sicut notum est: inde ergo inferre, *legitimum* esse, cui impunitas adiuncta est, ciuiliter loquentium consuetudini vix congruit. sunt autem rationes eorum, qui non de facto tantum, sed de jure etiam sermonem esse statuunt, fortiores apud *Gerhardum*.

(In *Ps.* 51, 6. Tibi soli peccaui, quomodo ab Interpretibus nonnullis huc accommodetur, notum est.)

Prou. 16. *v.* 14. *&* 15. *Indignatio Regis, nuntij mortis: & vir sapiens placabit eam. In hilaritate vultus Regis, vita: & clementia eius, quasi imber serotinus.* Non obscure jus vitæ & necis in manu Regis hic ponitur. Cum hoc loco *Phil. Melanchthon* confert illum alterum *Prou.* 19, 12. *sicut fremitus leonis; ita & Regis ira, & cap.* 20. *v.* 2. *sicut rugitus leonis; ita & terror Regis; qui prouocat eum, peccat in animam suam.* atque hinc deducit: *magistratus* (nam hac voce Theologi imperantes, & jura imperii notant) *esse timendos: non per simulationem, sed vere & ex animo: quia Deus adsit magistratibus, eosq; formidari velit, & quia non sinat elabi impunitos eos, qui lædunt maiestatem eorum.* scilicet vult DEUS eos formidari, quia gladii in manus eorum traditi terrore potestatem eorum armauit, sicut

Apostolus amplius explicat caussam regulæ; *cui timorem, timorem. ad Rom.* 13.

Ecclesiastes 8, 2. *& seq.* *Ego*, inquit, *os Regis obseruo, & præcepta juramenti Dei. Ne festines recedere à facie eius, neq; permaneas in opere malo, quia omne, quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: quare ita facis?* Quibus verbis etiam sine interpretum auctoritate intelligitur potestas ἀνυπεύθυνος seu à nemine homine dependens, neminis hominis arbitrio judicioque subiecta; tum jus vitæ & necis: quorum vtroque sæpe solent omnia maiestatis jura, seu πᾶν τὸ κράτος ἐξουσίας ἀρχικῆς omnis potestas imperii, comprehendi atque significari.

Daniel Propheta cap. 2. cum *v.* 2. præmisisset, *Deum transferre regna atq; constituere,* adeoque regibus imperantibusque potestatem & jura imperii dare: postea ne quid dubitationis superssit, jura maiestatis seu summæ potestatis à solo Deo pendentis, illustri descriptione exequitur. *v.* 36. 37. 38.

Posset etiam ex historia Josephi argumentum peti, quando Rex Pharao Josephum vices suas implere jubet, seu Pro-Regem constituit: vbi inter alia ista plenissimæ potestatis significatrix formula adhibetur, *Ego sum Pharao: absq; tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem, in omni terra Ægypti. Genes.* 41, 44.

Sed ad testimonia Noui Fœderis accedemus: si prius admonuerimus, quæ de regibus dicuntur, non alio quam maiestatis seu supremæ potestatis respectu dici. Hæc enim, tanquam

quam excellentior imperii species, nunc à nobis adhibetur, ad significandum, quod ex vi potestatis summæ non tantum reges, sed qui par regibus jus obtinent, seu ciuitates populique liberi possint.

In N. igitur T. *Matth.* 20, 25. notus est locus: *scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos.* confer *Luc.* 22, 25. vbi de vocabulis κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν, quin veram potestatem & summam notent, non potest idoneis rationibus negari.

Matth. 22, 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* vbi tributum nominatum, & obedientia fidesque vniuersè præcipitur Judæis Romana vi subactis.

Omnium autem illustrissimus est locus *Rom.* 13. quod caput *Christianorum Politicam* non sine ratione nominat *Philippus Melanchthon.* Ibi enim imperantium potestas, adeoque maiestas à Deo esse traditur; Dei vicaria, & ministra nominatur: obsequio & honore & timore propitianda commendatur: jura maiestatis vno alterove exemplo declarantur; mentio enim fit τῆς ἀνυπευθύνου, juris vitæ & necis, (quo etiam jus belli continetur) juris tributorum & vectigalium; violatoribus maiestatis, non humana tantum, sed diuina vindicta indicitur.

Locus 1. *Petri* 2, 13. & 14. *subiecti estote omni humanæ creaturæ, propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti; siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

 omni

omni potestati diuinitus inter homines & ab hominibus constitutæ parendum præcipit. 2. diuidit potestatem in summam, seu independentem; & subordinatam, qualis est omnium magistratuum, curatorum &c. 3. diuinam voluntatem, vt præcepti huius caussam adfert. 4. finem omnis imperii designat. id quod plenioribus verbis etiam facit *Paulus* 1.*Tim.*2,2.

Solet etiam ex *Epist. Judæ v.* 8. huc adferri: vbi inter maxima Pseudo-Apostolorum scelera ponitur, *dominationem spernere, & maiestates blasphemare.* quanquam varias explicationes recipit ille locus. *vid. Gerhard. de Magistr. Polit.* §. 77.

Constat ergo, vt ciuitas sit ciuitas, finemque suum consequatur, institutum à Deo ordinem imperandi parendique, in quo ex ipsa Dei voluntate, & naturalis rationis dictamine aliquid summum sit ac à nemine dependens, neminis arbitrio subiectum, nisi solius Dei; quæ est maiestas seu potestas summa ciuilis, modo in persona, modo in tota rep. residens, prout forma ciuitatis constituitur.

Hanc rem, in humanis vt summam, ita sanctissimam, varie videmus temerari & labefactari à Pontificibus Romanis, eorumque asseclis. 1. Pontifex prætendit potestatem in omnes Principes, Reges, Resp. sine, à se dependere ait Cæsarem, Reges, Principes. *vid. Gerh. de magistr. polit.* §. 82. Magnæ super hac re quæstiones, lites, pugnæ sæpius agitatæ. Laudandus hic *Goldasti* liber, qui in *vnum opus, titulo Monarchiæ S. Romani Imperij, inscriptum,* colle-

collegit plurimorum Theologorum, JCtorum, politicorum ſcripta. videatur controuerſia iſta in Gallia agitata anno huius ſæculi 15. & 25. & 26. apud *Gramondum lib.1.& 15.* adde *Thuan.* an. ſuperioris ſæculi 61. *lib.* 28. *p.*50.

(Dictum hac occaſione de aſtutia *Contzenij 7. polit.* 6, 2.)

2. Clericos omnes liberant eximuntque ab obſequio poteſtati ciuili debito. vid. *Gerhard. de Mag. polit.* §. 440. *& ſeq. & confeſſ. Catholic. lib.* 2. *part.* 2. *artic.* 6. *cap.* 5. *Arniſ. peculiari commentario de ſubiectione & exemtione Clericorum.*

3. alia ſeditioſa dogmata, de violando regib. ſacramento, de occidendis regibus, & ſimilia ſpargunt præſertim Jeſuitæ. vid. præter hiſt. ante cit. *controuerſias poſtremas Jeſuitarum cum doctoribus Sorbonicis Pariſiis agitatas, typisq; excuſas.*

Deprauant etiam non parum hanc de maieſtate doctrinam, qui, prætextu finis, quem ciuitas optima ſibi proponit, meras perfectiones in ore habent, communisque omnium boni cauſſa ex æquo omnes ciuitates vnice conſtitui ratiocinantes, à populo & propter populum omnia imperia ita ſtatuunt, vt maieſtas, ſeu, ſum̃a ciuilis poteſtas, ſemper penes populum maneat, ab eo ſemper & in quocunque regiminis genere dependeat, neque magis quam vita com̃unicari aut in alium transire poſſit. In hanc ſententiam aliquos animus arrogans, indomitus, Stoico rigore libertatem ſibi fingens & pingens abduxit: Alios, oppreſſionis metus, aut tyrannidis, eo euibra-

brauit, vt poteſtatem ciuilem bene conſtitutam negarent, niſi populo ſubiiceretur: nonnulli, periculoſæ ſane ſapientiæ auctores, eo veluti terriculamento, Reges, ne in tyrannidem elaberentur, retentare moliti ſunt. Præcellunt in his nominibus *Hotomanni Franco-Gallia*; *& de jure regni Gallici*; *Buchanani diaſcepſis de jure regni*; & *Brutus* ille; ſiue *Mornæus* latet ſub iſto nomine (vt *Grotius in apologetica adverſus Riuetum* autumat) ſiue potius *H. Languetus*; titulo ſane ſpecioſo, quaſi *Vindiciæ contra tyrannos* pararentur. ſed qui hos viros ſtimuli in hanc philoſophiam egerint, non eſt obſcurum. Itaque plus nocuit *Althuſii Politica*, quæ iſta commenta & portenta opinionum auctoritate artis donauit, vt mirandum prorſus & dolendum ſit, illud opus juuentuti commendari in vlla Academia Auguſtanam Confeſſionem profitente, cui hoc proprium eſt & eſſe debet, quod hanc philoſophiam incorruptam alias ſeruat.

(Dictum, quid de Reformatis Grotius in Apologetico aduerſus Riuetum, & Jacobus Magnæ Britanniæ Rex in Δώρῳ βασιλικῷ de Puritanis monuerint.)

De cetero oppoſuerunt ſe tam fœdo dogmati *Albericus gentilis, de vi in Principem ſemper iniuſta*: *Arniſæus de Auctoritate Principum in populum ſemper inuiolabili*: cuius *libri cap.* 1. præcipuos patronos pernicioſæ doctrinæ amplius recenſet. *Grotius de I. B. I,3. 8. & ſeq.* Item *I, 4, 5. & 6. H. Conringius, de ſubiecto ſummæ poteſtatis*; cum quibus jungenda eſt *Guil. Barclaii doctrina aduerſus monarchomachos.*

Nos

Nos ad noscendas illorum gigantum captiones pauca hic notabimus. 1. Quomodo scripturis abutantur, clarum est, dum opponunt ea, quæ opponi non debent; vim verborum eneruant, scopum non attendunt, textus & exempla clarissima dissimulant aut detorquent. 2. A rerum externarum schemate jus imperii arguunt, neque etiam modum gubernandi statum ab ipso statu distinguunt, quod tamen faciendum esse, omnis & philosophia & experientia clamat. 3. Adeoque exemplis alienissimis decipiunt suos discipulos. 4. Experientia docuit in hunc diem, fautores huius doctrinæ esse inimicos non tyrannorum aut tyrannidis; sed regum regnique vniuerse; itaque nemo regum dari potest, quin, juxta ipsorum sententiam, sit tyrannus. 5. Quæ res directe ad perturbandam humani orbis quietem pertinet. 6. Neque aliud tamen agit, quam vt sub specioso & in vulgus fauorabili libertatis popularis nomine veram ex arbitrio suo tyrannidem formet: cuius propositi documenta non longe sunt petenda.

Fundamenta respondendi ad σοφίσματα & aliorum.

Igitur *Grotius* bene monuit, cauendum in hac disputatione de summa potestate, 1. ne decipiamur ambiguo nominis sono, aut rerum externarum specie. *de I. B. I*, 3, 10. 2. distinguendum, an de re, an de modo habendi quæratur. §. 11. 12. 13. &c. 3. promissiones imperantium etiam juratas, non tollere summum jus seu potestatem imperandi. §. 16. 4. summum imperium diuidi posse; non tamen sem-

Cautiones ad judicium de hac controuersia informandum.

per pro diuiso habendum, vbi quædam simulacra eius rei se offerunt §. 17. *& seqq.* Quæ, quia ab ipso bene tractata sunt, inde repetenda duxerim.

Maiestatis ἀνυπευθύνω continetur, legibus solutum esse: id quomodo intelligendum.

. Ea autem, quæ hactenus diximus, de summa potestate, quod sit ἀνυπεύθυνος, nullis legum vinculis adstricta, siue absoluta, vt alias loquimur, non inerudite demonstrat *Arnisæus de Jure Maiest. lib. 1. cap. 3. toto.* Quantum alias attinet ad quæstionem, *an Princeps aut Rex legibus sit solutus?* recte idem *Arnisæus* monet, determinandum ante omnia esse, *an ille Princeps aut Rex plena maiestate vtatur?* Vidit hoc, neq; tamen expediuit, vir magnus *Jacobus Gothofredus in Vlpiano suo*: in *hac* enim *oratione l. 31. D. de LL.* explicat de Principe Romano; bene & recte. sed cum primo posuisset, non omnem Principatum de παμβασιλεία accipi debere, in qua Princeps omnino legibus solutus esset; & jam expectare deberet lector, an Principatus Romanus παμβασιλικὸς esset; ille declinata hac assertione (quantum ad directam respondendi viam attinet) oblique ostendere velle videtur, non esse: sed tamen denique addit, distinguendum inter *summum Principis Romani in administranda rep. arbitrium*; *seu potestatem αὐτοκρατορικὴν ei & in eum translatam*; tum *priuilegium Augustum, seu solutam Legibus maiestatem*: tanquam res diuersas, (*pag. 40.*) Quanquam autem nemo non videt, hoc priuilegium Augustum, vt vocatur, in potestate αὐτοκρατορικῇ necessario contineri: non est tamen de cetero repudianda viri summi industria

vid. Gerhard. de mag. polit. §. 265. & 266.

ſtria, quando noua quadam ſolertia oſtendit, de quibus legibus *Vlpianus* loquatur, cum Principem iis ſolutum pronuntiat. Prolixa autem querela, aut diſtinctione forte non eſt opus. ſi enim attendas eos, qui de hoc argumento ſcripſerunt, qui Principes etiam pleniſſima maieſtate præditos ſolueret lege diuina, lege naturæ, lege gentium, (quatenus plurium eſt, & naturali æquitate nititur) nemo eſt repertus, niſi fortaſſe πρᾶξιν aulicam, veteratoribus nonnullis vſitatam, velis adducere. Verum id ἀπροσδιόνυσον eſt. De poſitiuis quæri, res ipſa loquitur: adferenturque nonnulla huc pertinentia, cum de poteſtate legislatoria agetur. Quod autem attinet ad impunitatem etiam male factorum, nihil definit aut abſoluit Gothofredus, cum tamen vel manifeſtiſſime illa poteſtate ei & in eum translata contineatur: ſi enim cogi poteſt, ſuperior non eſt: pugnat enim cum inferioris natura, vt cogere poſſit ſuperiorem; ſicut ſuperioris naturam tollit, qui dicit, eum cogi poſſe. Vbi quiuis videt, ſermonem eſſe de coactione propria, non metaphorica, qualem hic nonnulli adferunt. De lege Regia, quæ non minimum ad huius controuerſiæ enodationem facit, infra ſuo loco. Quod ad *Dionis* commemorationem lib. 53. attinet, *Gothofredus* neſcio quid argutatur, nec totum textum exprimit.

Qui ergo hac in re dicunt, quod lex diuina, quod ratio dicit, non probant propterea abuſum poteſtatis ſummæ, ſeu tyrannidem.

Ipſa

Ipsa potestas summa & in dependens sacra est Deo & Reip. qui ea abutuntur, reddituri sunt rationem Deo. Abutuntur autem, non tantum, qui ex ea nihil præter licentiam & facinora optant ac docent. sed etiam, qui eam alteri arbitrio judicioque quam diuino subiiciunt. Annon totus quoque populus abutitur summa ciuili potestate? nihil frequentius certe in Democratiis. si ergo interroges illos populares philosophos, à quo sit judicandus populus peccator, seu tota illa ciuitas, imperio inique & fœde vsa? respondebunt certe, à solo Deo. quidni ergo eadem ratio valeat in iis imperiis, vbi potestas à populo vni & in vnum, aut paucos, translata est? quo genere argumentandi jam olim *Aristoteles* tales homines arguebat, 3. *polit.* 1. *fine*.

Quæstiones quædam hinc enatæ tanguntur.

Cæterum ex iis, quæ hactenus de maiestate disputata sunt, facile est, plerasque dubitationes explicare. Atque ea quidem, quæ *Grotius* erudite annotauit & expediuit, locis supra citatis, non repetimus. nisi quod monemus, non probari, quæ ille de Dictatore habet *de I. B. I, 3, 11.* magis enim videntur probanda *Bodini* argumenta 1. *de rep.* 8. *p.* 125. *& seq.* cum præsertim etiam respiciendum sit ad populi propositum, & conditionatam ad certum tempus certaque negotia voluntatem.

An & quatenus juramenta Principum impediant vel non impediant τὸ αὐτεξούσιον seu liberam potestatem, quosque effectus pariant, à *Grotio* diligenter inquisitum. cui addendus *Graswinkelius de jure maiest.* simulque notetur,

tur, nihil pronuntiari posse, nisi formula juramenti præcise spectata. Itaque *Bodinus* non sine ratione, cum recitasset formulam juramenti, quo se Dux Andium Henricus Polonis obligauerat, cum Rex eorum renunciatus esset, subiicit: *Hæc formula non regiam maiestatem, sed Principis, id est, in Rep. primi, conditionem sapit. 1. de Rep. 8.*

Nullam plane difficultatem habet, quando non minus absurde quæritur, quam dilute disputatur; an solus Imperator Romanus maiestatem habeat? vid. *Arnis. de jur. Maiest. lib. 1. cap. 2. Limn. de I. P. 2, 8. per tot. Grot. de I. B. 2, 22, 13. Jac. Gothofr. ad l. ἀξίωσις. 9. D. ad L. Rhod. de jact.* de potestate eius interim peculiaris quæstio est, & in alium locum reseruanda.

De iis, qui inæquali fœdere obligantur, itemque de Vasallis & tributariis, an maiestatis possint esse compotes, præter *Arnisæum* & *alios*, etiam *Grotius* egit de *I. B. I, 3, 21.* & 22. & 23. Quantum ad quæstionem consilii attinet, nobilis est inprimis illa disputatio; an consultum sit, potentes Reges aut Principes vasallos asciscere? agitata in nuperis Comitiis Osnabrugensibus, cum de Alsatia Gallis tradenda deliberaretur.

Referri huc solet & illa quæstio, an successor in Rep. eodem scilicet statu manente, obligetur actis placitisque prædecessoris sui? &, si hoc ita sit, an nihil illi pereat de maiestate, quæ suæ spontis, vt hactenus vidimus, & libera esse solet? Prolixe tractat hoc argumen-

tum

tum *Arnisæus de Jur. Maj. lib.1. cap.* 7. & breuius *Grotius de I. B. I, 3, 7. II, 7, 27.* & præsertim *II, 14, 10. & seqq.* In hac quæstione plerumque confunditur id, quod est juris, & id, quod est consilii. Jura quoque & leges à cæteris factis solent distingui: & quod prædecessorum in eodem Reip. Statu auctoritas successoribus curæ sit ac esse debeat, euidenti publicaque vtilitate suadetur. Add. *Dissert. nostram: de eo quod ciuitas egit.*

CAP. II.

De

Juribus Maiestatis.

Transitus ad jura maiestatis. QUantum ad maiestatis naturam attinet, vel explicauimus, vel ostendimus auctores explicationis, quæ sufficere potest. Nunc ad jura maiestatis digrediendum est.

Quid sint? A nonnullis vocantur ea *partes maiestatis potentiales* (vid. *Grot. de I. B. I, 3, 17.*) ab aliis *effecta maiestatis.* conciliat vtrumque loquendi genus *Sinolt. Schütz. Colleg. I.P. vol.1. disp.3. th.19.*

Quomodo distinguantur? Plerique hodie distinguunt in *jura maiestatis maiora* & *minora*: eaque varie explicant. de qua tamen distinctione sunt, qui non magnifice sentiant, tanquam veteribus ignota, neque necessaria: cum præsertim multiplicanda valde sint jura maiestatis, si per totam obiecti, seu materiæ circa quam, amplitudinem eundo, quæ maioribus rebus minora sunt, singulis titulis designentur. *Grot. de I.B. II, 5, 23.* *Neq; enim est vlla actio hominis externa, qua non ad ciuilem societa-*

societatem aut per se spectet, aut ex circumstantiis spectare possit, adeoque illi iuri subiecta sit, quod consociatio ciuilis dat corpori in partes, i. e. summæ potestati: sed veteres multa complectebantur iure νομοθεσίας seu *legum ferendarum*. illæ enim de omnibus rebus præcipere possunt: non autem singulas materias legum quasi separata maiestatis iura designabant.

Non minimi etiam momenti est quæstio, *an maiestas possit diuidi in partes subiectiuas*, siue, *an iura maiestatis partitim, id est, hoc ius penes illum, aliud penes hunc aut hos residere possit*? Fieri id posse, post alios, bene ostendit tuetur que *Grotius de I. B. I, 3, 17*. Itemque *Jacobus Lampadius de Rep. Romano-Germ. part. 1. th. 60. & 61.* Non admitti ergo potest, quod dicunt, subiectum maiestatis seu summæ potestatis est vel vnus, vel pauci, vel populus: quo præcipue argumento impugnatur mixta reip. forma, de qua infra (vid. *Gassend. phil. moral. p. 1466.*) addendum enim erat: vel partim populus, partim pauci, seu partim vnus, partim pauci &c.

an in diuersis subiectis propriis scilicet, existentiæ) esse possit maiestas?

Quibus in hoc transitu annotatis enumeratio iurium maiestatis instituenda est; quæ apud Scriptores varie indagatur. Nobis commodissime videntur in hoc argumento versari *Lampadius de Rep. R. G. part. 1. §. 15. & seqq.* diuidendo obiectum maiestatis in *res sacras & profanas*; *profanas in ciuiles & bellicas*: tum *Grot. de I. B. I, 3, 6.* qui veterum partitione allata, ita procedit:

Quot sint iura maiestatis?

Maiestas

Maieſtas regit ciuitatem aut

- *Per ſe*, verſando vel circa
  - *Vniuerſalia*: condendo, tollendoue leges vel circa
    - *Sacra*:
    - *Profana*:
  - *Singularia*: eaque vel
    - *Directe publica*: quæ ſunt vel
      - *Actiones*:
        - *Pacis*:
        - *Belli*:
        - *Fœderum*:
      - *Res*:
        - *Dominium eminens*:
        - *Vectigalia*:
        - *Alia*.
    - *Priuata*, ſed ad publicum ordinata ſ. controuerſias dirimendas in *Iudiciis*:
- *Per alterum*: expediendo negotia vel per
  - *Magiſtratus*:
  - *Curatores*:
  - *Legatos*: *alios*. &c.

Arniſæo de I. M. lib.2.c.1.§.9. placet ad tria reuocare; quibus tamen poſtea duo addit. *Illa* ſunt *Ius belli*, *Ius legum ferendarum*, *Ius magiſtratuum creandorum*: *Hæc*, *Ius ordinandi religionem*, & *cudendi monetam*. Ad *Ius belli* refert, *Ius fœderum faciendorum*, itemque *Ius legatorum mittendorum atq; recipiendorum*. Id quod compendia partiendi loquendique ſectantibus facile indulgeri poteſt: ſed accurate loquendo,

lega-

legati non tantum in caussa militari mittuntur. Nam de fœderibus, quæ sæpe negotiandi caussa, aliisque nominibus non militaribus ineuntur, nolo dicere.

De *loco Samuelis*, vbi jura maiestatis aliqua enarrantur, supra dictum est.

An *communicari jura maiestatis possint*, fuse, vtinam non confuse, disputatur. (vid. *Arnisæ. de I. M. lib. 2. cap. 2.*) Reuocatis autem huc iis, quæ ante indicata sunt, de diuisione maiestatis in partes subiectiuas, res ita videtur definienda; cum maiestas pro subiecto essentiæ ciuitatem habeat, vna & indiuisa intelligitur esse, neque communicabilis alteri ciuitati: amitteretur enim & periret, quidquid communicaretur aut diuideretur, i. e. non maneret maiestas, quod esse debet. At in eadem ciuitate, id est, in vno eodemque subiecto essentiæ, subiectum existentiæ diuersum esse posse, vt quædam jura maiestatis penes vnum, quædam penes plures sint, Auctores ante laudati ostendunt. Sed hoc ad formam ciuitatis referendum est, quæ exinde mixta fit & appellatur. Sicut autem clarum est, ad Imperium & imperantes illam descriptionem pertinere: Ita cum subditorum siue parentium natura pugnat, si jura maiestatis illis communicari dicuntur. Itaque cum communicatione jurium maiestatis, adeoque cum assumtione ad societatem imperandi in eadem ciuitate, non debent confundi, quæ indulgentur priuilegia & beneficia, saluo semper ipso imperii jure intelligenda. Hæc & partem tantum-

An communicari queant jura maiestatis?

modo ciuitatis exiguam ſpectant, & à maieſtate ciuitatis dependent, eiusque ſcopo inſeruire coguntur. Quod autem maieſtatis eſt, independens ſit, neceſſe eſt. Nam de Magiſtratibus & Curatoribus, ea quæ mandata aut commiſſa ſunt à maieſtate, agentibus, res aperta eſt. Quantuscunque ſit vel in obiecto actionis, vel in mandatis & formula ſplendor; nihil proprium, nihil ſummum, nihil denique tale eſt, quod miniſterii modum & parendi menſuram tranſcendat. Quæ in hac quæſtione, de Imperio Romano-Germanico, juribusque maieſtatis cum ſtatibus communicatis adferuntur, tum demum in expedito erunt, ſi de forma magnæ illius Reip. ſuo loco diſquiſitum fuerit.

CAP. III.

De Jure Legum Ferendarum.

Jus legum ferendarū maieſtate contineri & Theologia dictat;

INter Jura maieſtatis primum nobis occurrit, *jus legum ferendarum ac tollendarum.*

Id enim maieſtate continetur, ſiue Theologiam conſulamus, ſiue Philoſophiam audiamus interpretem. Quia enim Deus imperantibus dedit poteſtatem imperandi, atque eadem opera ciues obediendi neceſſitate obligauit: ſatis patet, νομοθετικὴν poteſtatem imperio contineri: quod diuinitus committitur imperantibus *Rom.* 13. & alibi, ſicut ante demonſtratum eſt. Hinc etiam in ſacris,

regna-

regnare & *justitiam decernere* coniungi, *Gerhardus* monet (*de Magistr. Polit.* §. 219.) *Prou.* 8, 15. *Esai.* 32, 1. *Idem* qui alias adfert rationes, à *fine*, sc. bono publico, quod Deus imperantibus commisit; ergo etiam νομοθεσίαν ceu instrumentum boni illius procurandi commissum intelligi: à *requisitis* νομοθεσίας, *prudentia* scilicet *dirigente*, & *vi cogente*, quibus imperantes Deus instruxit: *ab exemplis*, vbi leges imperantium etiam extra Politiam Mosaicam probantur, vtque illis pareatur, jubetur. Vnde monemur, non modo in *thesi* hoc firmum esse, sed etiam in illa *hypothesi*, qua contra fanaticos ostendendum est, licere imperantibus, præter leges Mosaicas, etiam nouas alias ferre.

Dictum est aliquotiens hactenus, formam & ciuitatis essentialem esse in ordine imperandi parendique, siue in imperio, imperium autem sine jubendi potestate intelligi nequit. Ex jussione ergo legis origo repetitur, quæ nil aliud est quam summæ potestatis jussum: & quidem ad finem ciuitatis relatum. is enim obtineri nequit, nisi jubere aut vetare summæ potestati liceret, quæ vel ad constituendam bene ciuitatem, vel ad regendam pertinent. recta ratio.

Primum hoc itaque & præcipuum caput maiestatis esto: Legem vniuersis & singulis ciuibus dare posse, libere, id est, sine necessario superiorum, aut æqualium, aut inferiorum consensu, quod recte *Bodinus* monet explicatque de *Rep. I*, 10.

Atque ista poterant sufficere hoc loco, vbi

nimirum de juribus maiestatis definiendis sermo est. Sed quia vsus apud plerosque Politicos obtinuit, vt ex Ethicis, seu communi ciuilis doctrinæ parte huc repetantur, quæ de origine legum & juris, de discrimine, de requisitis ac vitiis, traduntur: itaque nobis etiam hac via, compendio tamen incedendum est; vt Legislatoris non potestas modo, sed virtus & officium demonstretur.

Legis & Juris homonymia. Legis & juris vocabula promiscue vsurpari in Theologorum, JCtorum & Philosophorum scholis, omnibus notum est. nisi quod *prisci prudentes Romani* (notante *Jac. Gothofredo in Vlpiano*) *caute strictèq; loquentes legis appellatione notabant ea tantum proprie, quæ positiui juris essent, quæq; à populo Principeue constituta, deniq; quæ ex communi tantum reip. sponsione atq; ex scripto jura essent. Gassendus* quoque monet: *aliam proprie legem, quam ciuilem, non esse.* vbi tamen ratio, quam adfert, (quod lex sit συνθήκη seu pactio ciuitatis apud veteres) caute accipienda est: *Demosthenes* enim & *Aristoteles*, quibus potissimum auctoribus vtitur, legem ciuilem in Democratia, eiusque ferendæ modum, respexerunt. Pactio autem proprie dicta non est in omni lege, e. g. in regno. Rex legem etiam inuitis fert: nisi quod in omnis ciuitatis constitutione, se velle parere legibus quas tulerit summa potestas, ciues consensisse censendi sunt, vt ante dictum est. sed *consensus* vocabulum *pactione* latius patet.

phil. moral. p. 1552.

Non improbanda de cetero est opera, quam *Gassendus* posuit in enodanda homonymia Ju-

p. 1551.

ris. qua etiam occasione longe doctius Vlpianeam *Juris* distinctionem, & naturalis descriptionem explicauit atque excusauit, quam illi, qui importunitate mera conantur rumpere nodum, quem ratione non possunt soluere: exagitati & improbati etiam *Seldeno de I. N. & Gent. lib.* 1. *cap.* 4. vel ex notissimo certissimoque illo principio, quod *Cicero* in hunc sensum extulit: *Soli ratione vtentes, jure & lege viuunt.* Sed & *Grotius* significationes *juris* studuit explorare *de I. B. I*, 1, 3. *& seqq.* Ne de aliis dicam, præsertim *Scholasticis*, qui in operosis suis commentariis de *Justitia & Jure* satis copiose hoc agunt. Adi etiam, si vis, *Contzenium* referentem complures, qui de legibus scripserunt: *polit. lib.* 5. *cap.* 1. §. 4. *de Nat. Deor. II, 62.*

Attendatur ergo primo *Æterna Lex*; quæ nihil est aliud, quam conceptus rei gubernandæ ad prouidentiam Dei pertinens. sicut enim illa dirigit res omnes conuenienter cum cuique rei, tum suæ ipsius bonitati, in fines & præcipue vltimum; ita eadem, quatenus intelligitur ita dirigere, vt cuique necessitatem siue obligationem quandam cuiusque naturæ congruam imponat, *Lex æterna* vocatur. Per necessitatem impositam res irrationales; rationales vero libere, i. e. salua potentia obsequendi vel refragandi diriguntur. Itaque etiam illæ improprie, hæ proprie obligantur: ad illas Lex æterna strictam propriamque rationem legis non obtinet: ad has omnino obtinet. quæ omnia ex Theologis Scholasticis & Moralibus latius explicantem vid. *Ca-* Lex æterna.

lixtum Theol. morali p. 46. &c. Viderunt hoc Ethnici, & ſatis luculente interdum philoſophati ſunt: niſi quod ſuam ipſi philoſophiam in altioribus iſtis rerum omnium principiis & originibus vel obſcurarunt, vel corruperunt. Quæ *Cicero* in hoc argumento eximia habet, ex Pythagoricis & Platonicis hauſta ſunt. ſicut pronum eſt intelligere, ſi quis vel ea repetat, quæ omnium clariſſime grauiſſimeque in Pythag. carmina *Hierocles* ſcripſit. δημιουργικὸν νόμον atque δημιουργικοὺς νόμους vocat: quaſi diceres *legem opificem* ſeu *leges opifices* vel architectonicas. *His*, ait, *omnia diſcrimen & ordinem accepiſſe in primo rerum conditu*. Appellat etiam *immutabilem* DEI *& architectonicam operationem*, tandemque *legem*, inquit, *in ſuperioribus declarauimus perpetuam* DEI, *eodemq; modo ſe habentem operationem*; *quæ ſemper & immutabiliter omnia ad eſſe ſuum ducit ac ordinat*.

p. 29.

Lex naturalis.

Ex lege æterna reſplendet ſiue exprimitur *Lex naturalis*, quæ quaſi promulgatio eſt legis æternæ. Eo ipſo enim hominiilla promulgatur, quod diuinitus naturam intelligentem accepit, per quam cognoſcere & diiudicare poſſit, quæ ſunt honeſta & humanæ dignitati conſentanea; tum, quæ turpia & indecora. (*v. Calixt. l. c.*) Connaſcitur autem hoc lumen & naturale rationis dictamen, *non actu, ſed potentia, proxima tamen*; *quæ ſcilicet, vt primum ratio ſe vindicare & exerere incipit*, in actum prodit: applicaturque ad opera particularia per dictamen conſcientiæ. Neceſſitudinem æternæ legis & naturalis legis *Cicero* tum alibi tum

tum 2. *de ll.* 4. ita exprimit: *Principem legem illam & vltimam, mentem esse omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei; ex qua illa lex, quam Dij humano generi dederunt, recte sit laudata. Est enim* (ita pergit) *ratio mensq; sapientis, ad jubendum & deterrendum idonea.*

Quatenus autem hæc lex naturalis refertur ad naturam rationalem per se consideratam, communiter solet appellari *jus naturale*: quatenus autem refertur ad naturam rationalem in ciuili societate & rep. constitutam, *Jus Gentium* vocatur.

Comprehendit Lex naturalis tum *prima & vniuersalia principia practica*, tum *conclusiones ex illis deductas.* Primum practicum principium est: *Bona facienda esse, mala non esse facienda.* Videri omnino dignus est *Gassendus*, qui (*phil. moral. p.* 1555. *& seq.*) capita generalia & prima huius juris colligit explicatque.

Atque illa quidem non possunt deleri ex hominis mente: quando autem per consequentias ad minus vniuersalia descenditur, fieri potest, vt praua educatione aut consuetudine, ea quæ juris naturæ sunt, obscurentur ac obliterentur. sicut in præfatione harum institutionum attigimus.

Legem naturalem (inquit *Gerhardus de Mag. Polit.* §. 217. cuius verba certas ob caussas adferre lubet) *Deus protoplastis primitus perfectam implantauit: eiusdemq; reliquias adhuc mediante natiuitate ex parentibus, animis hominum inserit. Idem* §. 262. *Lex naturalis immediate à Deo creatore primorum hominum cordibus fuit inscripta,*

eademq́; adhuc hodie, mediante carnali propagatione, posterorum cordibus à Deo interius inscribitur. Ibidem: *Lex naturæ est riuulus quidam ex fonte legis æternæ, quæ in Deo est, deductus, ac diuinæ illius lucis, sapientiæ scilicet & iustitiæ in Deo quidam radius.* Ibid. *Lex naturæ immota est, immutabilis ac perpetua.* It. *omnibus natura nota:* Estque jus naturæ pars diuini juris, quod *ad c.2. Ep. ad Rom.* demonstrat *Phil. Melanchthon.* It. *in Epitom. phil. moral. p.248. jus naturæ esse diuinam sententiam.*

De modo indagandi juris naturalis eximie disputat *Seldenus* de *I. N.* & *Grot. lib.1. cap. 1. §.10. sqq.*

Lex Moralis. Ceterum, quia dictum est, illam naturalem notitiam obscurari posse & solere, igitur Deus, vt humanæ vel tarditati vel prauitati consuleret, simulque omnem contumacibus excusationem præcideret, peculiari denuo promulgatione legem naturæ inculcauit, Decalogoque, quæ actiones ex se & ratione obiecti naturam rationalem ac humanam decerent, quæ dedecerent, comprehendit. Atque hæc est *Lex moralis*, juxta tenorem æternæ legis, in lege naturali relucentis ac expressæ, conclusiones legis naturalis certis & necessariis consequentiis innixas comprehendens: excepto tertio præcepto, quo cæremonia sabbati, adeoque lex positiua, continetur. Qua de re amplius Theologi agunt.

Lex Positiua. *Positiua* autem *Lex* dicitur, quæ ex principiis vniuersalibus non deducitur, sed in qua ab illis principiis ad particularia descenditur

adeo,

adeo, vt consequentiæ necessitas vel euidentia non appareat, arbitrio scilicet statuentis nixa, id est eius, qui potestate νομοθετικῇ est instructus.

Cumque leges Positiuæ aliæ sint *Diuinæ*, aliæ *Humanæ*: de *illis* Theologi agunt; de *his* nunc porro edissertandum est; si prius indicauerimus, qui veterum, & quomodo Jus Legemque distinxerint.

Auctor librorum ad Herennium Jus constare dicit his partibus, *Natura, Lege, Consuetudine, Judicato, æquo & bono, pacto. Aristoteles* 1. *Rhetor.* 13. facit *legem aliam propriam, aliam communem. Propriam* vocat, *quæ singulos spectat, per se consideratos*: Estque *vel scripta, vel non scripta. Communis Lex est secundum naturam*: est *enim illud, quod omnes judicant natura communiter justum, aut iniustum, etiamsi nulla communio ad inuicem, aut pactio, intercederet.* Ita apud *Sophoclem Antigone* ait, *jus esse, Polynicem interemtum sepelire, quod natura id justum esset. Atq; hoc non hodie & heri, sed semper valet, siue vim suam obtinet.* Et quæ sequuntur. II, 13.

Descriptiones quoque *legis* variæ extant apud veteres. apud Ciceronem (2. *de* N. D. 31. & alibi) *Lex est recti præceptio, prauiq; depulsio.* Digna omnino sunt, quæ legantur Platonis φιλοσοφήματα de descriptione legis *in Minoe*: vbi per gradus incedit, & primo inquit, an τὸ νομιζόμενον seu *consuetudo* Lex sit: deinde addit δόγμα πόλεως *decretum* ciuitatis: tertio adiungit τοῦ ὄντος ἐξεύρησιν *eius quod vere est* (i. e. *legis sempiternæ seu naturalis*) *inuentionem*: quarto Descriptiones legis variæ.

addit *πολιτικὰ συγγράμματα ciuiles constitutiones*: denique τὸ ὀρθὸν, *seu id quod rectum est*, ad complendam descriptionem adiungit. *Phauorinus* ex veteribus in suum Lexicon descripsit illas definitiones legis: νόμος, λόγος, προστακτικὸς τῶν πρακτέων τε καὶ ποιητέων. *Lex est oratio præcipiens quæ agenda & facienda sint.* Item: νόμος ἐστὶ βασιλικὴ διάταξις (ἢ πρόσταγμα βασιλέως) διορθωτικὴ παντὸς ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου πλημμελήματος. *Lex est dispositio Regia (seu præceptum Regis) quæ corrigit omne delictum, siue à volentibus, siue ab inuitis commissum.* Iterum: λόγος προστάσσων ἃ δεῖ, ἢ ἀπαγορεύων ἃ μὴ δεῖ. *Lex est oratio, præcipiens, quæ oportet fieri; & vetans, quæ non decet fieri. Aristoteles proœmio Rhetor.* ad *Alexandr.* καὶ γὰρ ὁ νόμος ἐστὶν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων ὡς δεῖ πράττειν ἕκαστα. *Lex, simpliciter loquendo seu semel definiendo, est oratio constituta consensu communi ciuitatis, indicans quomodo debeant singula fieri, seu quomodo debeamus singula facere.* Quæ descriptio Legem positiuam spectat. Alibi addit δύναμιν ἀναγκαστικὴν *vim cogendi*. 10. *Eth. cap. vlt.* Scholasticorum definitionibus recensendis occupatur *Contzenius* 5. *polit.* 2. è quibus *Thomæ* definitionem multi probant: *Lex est ordinatio rationis, ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Videatur omnino etiam *Horneius in Ethicis.*

An definitioni inserenda sit mentio iusti rectique, disputatur. *Plato*, & eum secutus *Cicero* (2. *de ll.* 5.) nullam esse legem hoc nomine dignam,

dignam, nisi quæ justa rectaque sit, contendunt. vocem legis, vt apparet, in præcipuo & excellenti significatu sumentes. Alii legem distinguunt in *justam* & *iniustam*. sicut nec de Reip. essentia sit, rectam esse; cum & corruptæ dentur: & ad reip. conditionem etiam leges se habeant.

Requisita Legis alias *Isidorus* (in *orig.* 2, 10.) ita expressit: Erit *Lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam & patriæ consuetudinem, loco temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoq;, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Fridericus Imperator apud *Radeuicum lib.* 2. *c.* 3. ita complectitur: *Siue ergo nostrum jus, siue vestrum in scriptum redigatur, in eius constitutione considerandum est, vt sit honestum, justum, possibile, necessarium, vtile, loco temporiq; conueniens.* De quibus singillatim aliquid erit dicendum. A *Gerhardo* (*de Magistr. Polit.* §. 221.) contrahuntur ita, vt *materiam legis* faciat 1. *justa & honesta.* 2. *possibilia.* 3. *Reip. salutaria* & *vtilia.* 4. *vniuersalia,* & *futura*: quæ quidem duo distincta sunt. Legis requisita.

Quod dictum est, legem positiuam *honestam* & *justam* esse debere, ad ipsam *formam internam legis* spectat, quæ in *congruentia cum jure naturali, cum dictamine rectæ rationis & principiis practicis ponitur.* (vid. *Gerh. de Magistr. Polit.* §. 260.) Jus autem naturale ex congruentia cum Lege Diuina, cuius pars est, æstimari, ex superioribus repeti debet. Præcipiuntur autem Lex justa sit ac honesta.

tem

tem lege positiua interdum ea ipsa, quæ sunt juris naturalis, eodemque modo. Tale est præceptum de *non occidendo*, naturale scilicet, sed positiua quoque lege constitutum. Hinc nonnulli dicunt *legem vel esse naturalem seu communem, vel propriam seu ciuilem; vel naturalem & ciuilem simul*; propter nouam scilicet ad animos humanos applicationem & sanctionem. Plerumque autem *lex positiua legi naturæ aliquid addit*. vel determinando specialem actionis conditionem seu modum; vel ex illa generali juris naturæ regula (quæ bono publico conducere jubet, quidquid statuitur) actiones exigendo prohibendoue, quas, vt tales, lex naturæ non attingit. Manifestum interim est, lege humana positiua nihil prohiberi posse, quod lege diuina, siue naturali, siue positiua, mandatur: neque mandari, quod vetatur. In desuetudinem autem deducta lex naturalis vel diuina, in vsum reuocari lege humana potest; & determinari ad certum tempus & locum, quæ tantum quoad substantiam diuinitus mandata erant. Item quæ nulla lege diuina attinguntur, nec ex se vel honesta vel turpia sunt, adeoque indifferentia, lege humana vel præcipi, vel prohiberi queunt, si ex occasione & re præsenti ad bonum publicum seu omittendo seu faciendo referri possunt.

Sed, vt sunt res humanæ, non vna imperfectio in legibus Rerump. etiam hac in parte deprehensa est: dum permittuntur, aut statuuntur ea, quæ ad legem naturæ relata ac diuinam,

uinam,

uinam, probari non possunt: aut plane iniqua sunt. vnde *iniustas* quoque *leges* dari, supra dictum est: adde & imperfectas, quæ ad internæ iustitiæ examen non possunt laudari. Referenda huc sunt, quæ *Grotius* habet *de I.B. III,10,1. & 2. adde not.* Atque hic, veluti in locum communem conduci possunt *exempla Legum iniustarum, imperfectarum, ambiguarum*, e.g. iniqua Lex Macedonum apud *Curt. VI, 11,20.* Illa Rom. duodecim tabularum, de debitoris corpore inter creditores diuidendo. apud *Quintil. instit. orat. III,8.* an & *L. Quisquis 5. C. ad L. Jul. Maiestatis.* ea parte, qua pœnam in liberos nocentium porrigit? Ita videtur sentire *Grotius de I. B. II,21,13.* contrarium autem *Jac. Gothofredus* tuetur in nobili *commentario ad illam legem.* Idem *Grotius* exemplo SCti Silaniani (quod tuetur *Cassius ap. Tac. 14. An. 43. & seq.*) leges Romanas in multis duriores, quam Christiana lenitas patiatur, vult ostendere, *de I.B.I,2,10.* (notandum hic, tales disputationes de æquitate, aut iniquitate legum, vtilem habere exercitationẽ inter proficientes. Ita cap. 9. *Gellius* de Lege Solonis disputat, *lib. 2. c. 12.* Ita hodie de lege disputatur, quæ fures suspendio punit &c.) Adde *Danæum Polit. Christ. 5,1. & 2. Canonistæ*, & ex eorum mente *Contzenius lib. 5. Polit. cap. 3. §. 4.* catalogum ponunt legum ciuilium Rom. iniustarum; in cuius fine tamen addit *Contzenius*: *verum multo plures esse iniquas in omni rerum genere facile esset ostendere: & harum quædam excusari videntur.* Ipsis Canonistis ex confessione Pontificiorum

Scripto-

Scriptorum monſtrari poſſe, quod in jure Canonico reperiantur lege diuina & naturali contraria. & obſcura & ſibi inuicem repugnantia, videas licet in *Gerhardi Confeſſione Catholica l.* 1. *part.* 2. *c.* 14.

Lex Reip. vtilis ſit. Ad finem legis ſpectat, quod legem reip. ſalutarem vtilemque, adeoque ob publicum bonum ferri debere, dictum eſt. Itaque facile intelligitur, quid ſentiendum ſit de illis legibus, quas cauſſa *adipiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaq; ob praua, per vim latas eſſe, Tacitus* memorat 3. *A.* 27, 3. Ratiocinatio autem vtilitatis huius ſimpliciſſima quidem eſt, quæ ex ipſo ciuitatis fine, id eſt, ex Felicitate, & Beatitudine petitur. Eius enim deſcriptio eſt loco regulæ, qua vtilitas legis definitur. Sed poteſt tamen fieri, vt ex rebus circumſtantibus ambigua fiat æſtimatio. Ita apud *Thuanum* (*lib.* 41. *p.* 460. & 461.) à Rege Galliæ anno 1564. conſtitutio facta eſt *juxta vtilis & æqua*: ſicut *Hiſtoricus* judicat. ſed quia tamen inſtante *Joan. Monlucio* Epiſcopo Valentino facta erat, adeoque gratiæ potius vnius viri, quàm publicæ vtilitati data videbatur, itaque ceteræ curiæ (excepta Pariſienſi) id edictum, vt *ambitioſum* reiecerunt. Interdum in Legislatoribus animaduertitur vitium, ſi partem vtilitatis publicæ præcipuam putant, quæ non eſt precipua, aut interpretantur prolixius, quam par eſt. Notat hoc propoſitum in Henrico VII. *Baconus de Verulamio,* quod nimis ſtuduerit pecuniis corrogandis. Pertinet huc etiam, quod de eo in hanc ſententiam

tra-

tradit: *vt interdum leges suas ad prærogatiuæ sua iura trahebat & prope torquebat: ita rursus per vices, prærogatiuam suam, ad Legum æqualitatem & moderationem consulto demittebat*: Qui locus propterea allatus est, vt ostenderet, Legislatores monarchicos eorumque magistros partem publicæ vtilitatis semper facere prærogatiuam monarchæ; siue, in describenda vtilitate & felicitate ciuitatis, intime innectere prærogatiuam Principis, in cuius maiestate, salutis publicæ tutelam, in hoc quidem genere regiminis, contineri dicunt. Incidunt etiam tempora, quibus leges accommodandæ sunt, vbi legum ratio vnica est in temporis circumstantia: quæ alio tempore non esset eadem. Hinc est, quod Græci id genus Legum positiuarum εὑρήματα βίου καὶ χρόνου dicunt, seu *inuenta vitæ ac temporis*, id est, quæ præsentis status ac temporis conditio, vsusque & emergentes varii casus vitæ postulant. Quæ omnia in vtilitate legum examinanda attendi debent. Illud quoque non omittendum, vtilem censeri legem, quæ in commune prodest: vere Cato apud *Liuium XXXIV, 3. Nulla Lex satis commoda omnibus est: id modo quæritur, si maiori parti & in summam prodest.*

Quod dictum est, possibiles esse leges debere, non de absoluta possibilitate accipi debet (ea enim præsupponenda potius, quàm inculcanda est) sed de respectu humanæ conditionis: præsertim quod ad leges pœnales attinet. verissimum autem est illud *Taciti*: *flagitia sine modo sunt; suppliciis ac remediis Principis mode-*

Lex sit possibilis.

de I. B. I, 4, 7. *moderatio temperat*: 3. *A.* 50, 2. bene *Grotius*: *Ferri leges ab hominibus solent ac debent cum sensu humanæ imbecillitatis.* Quæ obseruatio etiam interpretationi legum seruit: censendi enim sunt legislatores, quam minimum voluisse recedere à naturali æquitate.

Lex futura respicit. De *futuris* legem ferri, ante dictum est. Quod enim apud *Tacit.* dicitur, *leges in facta* 3. *A.* 69, 2. *constitui*; *quia futura in incerto sint*: id ad pœnas legibus constitutas pertinet: itaque mox in vicem explicationis sequitur: *sic à maioribus institutum*, vt, si *anteissent delicta, pœna sequerentur.* Lib. 19. p. 591. Memorabilis est narratio *Thuani* de *lege pia & honestati publicæ consentanea*, qua clandestina matrimonia prohibentur: sed quia huius legis suasor fuit Momorantius, priuata ratione inductus, dum verebatur, ne filius amatam nobilem, sed imparis nobilitatis puellam duceret; itaque *ambitiosum* id edictum à plerisque vocatum fuit; eo, quod Momorantii caussa additum est, vt, quando legi Dei consentanea esset hæc lex, *in præteritum quoq; valeret*, modo copula non interuenisset. *Cum alioquin ceteræ Constitutiones, quæ à Principibus fiunt, tantum dent formam futuris negotiis.*

Lex vniuersalia præcipit. De Priuilegiis: Quod dictum est, *Leges circa vniuersalia occupari*, id reuocat nos ad disputationem de *Priuilegiis*. Priuilegia sunt, *quæ priuis irrogantur*: vel in fauorem, vel in odium. Hæc lege XII. tabularum prohibita sunt: *Priuilegia ne irroganto.* Explicat breuiter & bene *Cicero* 3. *de ll.* 19. *Maiores nostri in priuatos homines leges ferri noluerunt: id est enim priuilegium: quo quid*

est

est iniustius? cum legis hæc vis sit, scitum & jussum esse in omnes. vnde & in jure ciuili *Vlpianus* repetiit: *Jura non in singulas personas, sed generaliter constitui.* Permisit tamen idem jus ciuile, ob fauorem personæ reiue, ob vtilitatem (intellige publicam) & necessitatem. vid. *Jacob. Gothofr. fragm. XII. Tab. annot. ad Tab. 9.* tum in *Commentar. ad regulas juris. 68, 141. 162.* In antiquis *Demosthenes contra Timocratem* consulendus. Legi XII. Tab. consonat illud *Tacit. 3. A. 27, 5.* quando corruptæ reip. hoc quoque signum ponit; quod *jam non modo in commune, sed in singulos homines latæ sint quæstiones.* In caussa Mariæ Scotæ apud *Camdenum*, vt agi posset vehementius, noua lex maiestatis, in Reginam Mariam lata est. Ceterum priuilegiorum vocabulo, fere beneficia hodie, & in fauorem indulta significari solent.

(Quanquam alias distingui beneficia & priuilegia, recte notat *Bodinus 5. de rep. 4.*)

Vnde Scriptores Juris Publici, cum de priuilegiis agunt, eo referunt *Jus Nobilitandi & Dignitates conferendi; Jus ciuitatis condendæ; Jus Saluoguardiæ, seu absolutæ & plenæ securitatis; Jus & veniam ætatis; Jus famæ (in famam & honorem restituendi;) Jus Judæos recipiendi; Jus induciarum moratoriarum; Jus spurios legitimandi; dispensandi, seu remittendi pœnas capitales.* vid. *Sinolt. Schütz. Colleg. I. P. vol. 1. disp. 3. th. 21.*

Comprehendi autem potestate legislatoria etiam priuilegia, tum res ipsa loquitur, tum ita ostendi potest, si attendamus, quæ postea dicentur. *Legis ferendæ* vocabulo etiam

tollendæ legis potestatem contineri; qui autem tollere potest legem, quin possit limitare, derogare, excipere à lege, dubio caret. Et quid aliud est priuilegium, quam exceptio à lege? vnde *jus singulare* dicitur. quanquam distingui soleant interdum *Jus singulare & priuilegium*: notante *Jac. Gothofredo l. ante cit.*

Aliud est quærere, de *prudentia in priuilegiis indulgendis sequenda*: quæ res sæpe ancipitem deliberationem habet. sint exemplo priuilegia magna ciuitatibus concedenda; quæ Imperatores in Germania solerti consilio indulsere, vt Episcopis, nimia affectantibus, subtraherentur nerui potentiæ. Obseruare licebit aliqua eius generis, etiam in amplissimis immunitatibus, quæ Nobilium Ordini concessæ sunt. Dum enim formidatur Principum potentia, inter artes ponitur, quidquid eam minuit. Interim cauendum, ne frequentia nimis, ne temere, ne in præiudicium concedentis, priuilegia concedantur. Vnde Principum beneficiis & priuilegiis clausula addi solet: *Quod sine mea, aut alterius fraude fiat:* quam laudat *Bodinus*, (*de rep. 9.*) & inesse censet, etiamsi omissa fuerit.

Lex sit perspicua. an & breuis?

Ad externam legis formam facit, quando præcipitur, vt *perspicua* sit, vt *brevis sit* (est enim aliquando breuitas perspicuitatis pars) vnde etiam præsumtio est semper de perspicuitate legis; quando ita ratiocinamur: Legislatori *neq; ingenium, neq; operam, neq; facultatem vllam defuisse, quo minus posset aperte perscribere id, quod cogitaret. Consuesse eos, qui leges scribant, exceptio-*

exceptionibus vti: apud *Ciceron. 2. de inuent.* 45. & 46. laudatur lex, quæ *ita diligenter perscripta sit, ita cautum vnaquaq; de re, ita, quod oportuerit, exceptum, vt minime conueniat, quicquam in tam diligenti scriptura præteritum arbitrari.* Vbi tenenda tamen hæc circa ipsas exceptiones exceptio: *neminem posse omnes res per scripturam amplecti, sed eum commodissime scribere, qui curet, vt quædam ex quibusdam intelligantur.* 2. *de inuent.* 50. Itemque: *Non omnia scriptis, sed quædam, quæ perspicua sunt, tacitis exceptionibus caueri. cap.* 47.

Obscuritatem Legum *Francis. Baconus de Verulamio serm. fidel.* 61. *aphor.* 52. *à quatuor rebus originem ducere* ait, vel *ab accumulatione legum nimia, præsertim admixtis obsoletis*: vel *à descriptione eorum ambigua, aut minus perspicua & dilucida*: vel *à modis enucleandi juris neglectis aut non bene institutis*: vel *deniq; contradictione & vacillatione judiciorum.* In quibus partibus vna tantum est, quæ legem ipsam attinet, *scilicet, scriptura obscura* aut *ambigua.* Cetera aliunde accidunt, vt *multitudo legum*, à Legislatoribus; sinistra *enucleatio*, ab interpretibus: quibus hactenus accenseri etiam Judices *dissentientes* aut *vacillantes* possunt: nisi quod res judicatæ ipsis Legibus denique annumerantur.

De *obscuritate* aut *perspicuitate legis ipsius* diligenter egerunt *Rhetores antiqui in genere caussarum forensium*: quatenus vel in verbis, vel in materia dubitatio locum habere potest.

Neque parum illuſtrant hunc locum, quæ de *interpretatione legum* tum alii ſcripſerunt, tum *Grotius de I. B. II, 16.* Qui enim bonum interpretem vult agere, omnes fontes cauſſasque vel perſpicuitatis vel obſcuritatis ſciat enucleetque, neceſſe eſt. Quid in Juris Romani interpretibus deſideret *Jacobus Gothofredus*, erudite oſtendit in præfationibus ad *Animaduerſ. Juris Ciuilis* & ad *L. Quisquis C. ad Jul. Mai.*

In rebus judicatis, primum ea noſcenda ſunt, quæ *Rhetores antiqui* de auctoritate, tum in ſe, tum comparata, differunt. Cetera eximie complexus eſt, *in præfatione ad Decreta, Ærodius.* De his memorabilis eſt cautela, quam *Bodinus* ſuggerit *lib. 6. cap. vlt. p. 1183.*

De *multitudine legum*, illuſtre eſt *Taciti* teſtimonium *3. A. 25.* cum fatetur, *vt antehac flagitiis*, ita tempore Tiberii *legibus laboratum eſſe*; **Bodin. ibid.** eaque occaſione differit de *principiis juris, & quibus modis ad illam multitudinem infinitam & varietatem legum peruentum ſit*; *corruptiſſimæque* **c. 27.** *Reip.* partum ac indicium denique *plurimas leges* ponit. ſed nimirum id fatum fuit Romanæ juriſprudentiæ, in qua ad habiliorem Reip. vſum concinnanda nunquam inde defuit, quod laboraretur.

(De quibus rebus ferendæ ſint leges *Danaus* propoſito indice alphabetico docuit. *Plato* non vult de omnibus rebus leges ferri. laudante *Bodin. 6, vlt. p. 1183.*

Sicut autem nimia multitudo ciuitati oneroſa eſt: ita nimia quoque paucitas non parua habet

habet incommoda. Cum enim Legislatoria poteſtas ad amplitudinem ipſius Imperii pateat (à quo ſcil. perſonæ, res, actiones omnes pendent) itaque leges ad omnes ciuitatis partes debent porrigi. verum quia humana prudentia non poteſt omnia complecti atque definire, ac ſubinde emergunt noui caſus, pro remedio eſt, ratiocinatio ex ſimilibus, aut exemplis, aut reſponſis Prudentum ſeu placitis Curiarum. Apud *Scriptorem ad Herenn. I, 13.* in cauſſa Malleoli: *Hic certa lex in rem nulla affertur, & tamen multa afferuntur, è quibus ratiocinatio naſcitur, quare potuerit, aut non potuerit jure teſtamentum facere.*

Perſpicuitatis partem aliquando in breuitate eſſe, ante diximus: Eadem tamen breuitas interdum fit cauſſa obſcuritatis. Hinc *Baconus (aphor. 65.) deſcriptionem legum obſcuram oriri* ait, aut *ex loquacitate ac verboſitate earum*; aut *rurſus ex breuitate nimia*; aut *ex prologo legis, cum corpore ipſo legis pugnante.* Hinc Juris Romani interpretes in conciliando rubro cum nigro laborant.

Breuitate igitur *obſcura* repudiata, eſt etiam *clara & illuſtris breuitas*, quam in lege exigit *Seneca epiſt. 94. Legem breuem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur. velut diuinitus emiſſa vox ſit. Jubeat, non diſputet.* Hactenus bene: ſed, quod addit, diſputationem habet. *Nihil mihi frigidius videtur, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic, quid me velis feciſſe: non diſco, ſed pareo.* Et ante dixerat: *In hac re diſſentio à Poſidonio: non probo, quod Platonis legibus*

adiecta principia sunt. Prologum legis hic vocat, non, sicut modo *Baconus*, titulum seu rubricam legis: sed προοίμιον seu suasionem legis; seu eam partem, quæ non tam præcipit, quam præcipiendi rationes caussasque exponit suadetque. Valde tamen probabiliter vsum eiusmodi προοιμίων Legislatori commendat *Plato de Rep. l.4. extremo.* Quin ipse *Seneca* fatetur, *quod leges quoq; proficiant ad bonos mores, vtiq; si non tantum imperent, sed doceant.* Itaque hodie consensu gentium plerarumque videmus vsurpari hæc procemia in nouis legibus ferendis, aut veteribus corrigendis. Quinimo ipsa lex diuina positiua, nobilissima scilicet & sapientissima, suis procemiis non caret.

Partes Legis. Quæ in lege requiri & reprehendi soleant, ex his quæ dicta sunt, apparet. Illud adiiciendum est: partes legis duas esse *necessarias*: *præceptionem*, seu *jussionem*, seu *constitutionem* (qua interdicta quoque continentur) & *sanctionem*: tertia, *præfatio* seu *prologus* etiam omitti salua lege potest. *Constitutio* est id, quod lex jubet aut vetat: *Sanctio* pœnas violatoribus legis decernit; inestque omni legi, qua lex est, etiamsi verbis disertis non exprimitur. Vnde supra diximus: *Aristotelem* legi δύναμιν ἀναγκαστικὴν seu *vim cogentem* tribuere. *Et Seneca ep.94. Quid aliud sunt leges, quam minis mixta præcepta?* Itaque in ipso ferendarum legum jure hoc continetur. Leges enim ferre, nihil est aliud, quam necessitate faciendi omittendiue res in legem deductas ciues obligare. Qui effectus

nisi

nisi sequatur, legis nomen potius, quam vis manebit.

De *diuersis Legum appellationibus*, e. g. in jure ciuili, de *plebiscitis*; *Senatus consultis*; *constitutionibus Principum*; *jure prætorio*; *responsis prudentum*, nihil attinet verba facere. (videri interim possunt *Antonius Augustinus in erudito Commentario de LL. & SCtis*, & JCti passim) Quantum enim ad naturam Legis attinet, si semel vigorem legis adeptæ sunt, nihil interest, quomodo appellentur. Ab Auctorum conditione, à modo item ac occasionibus ferendi desumuntur illa nomina: suntque alibi alia. id quod ex historiis rerump. repetendum est. Neque cetera aliquid difficultatis habent, quando lex vel *scripta* vel *non scripta*, *affirmans*; *negans*; *vniuersalis*, *particularis*; aliisque distinctionibus denotatur.

De legibus specialiter sic dictis. De variis legum appellationibus & distinctionibus.

Postquam ergo ea sunt allata, quæ naturam & vim legis possunt ostendere, facile est, de *Legislatoris officio & virtutibus* judicare. Quanquam huc potius pertinet, *de jure potestateq; Legislatoris agere*. Id quod jam ab initio fecimus, cum inter jura Maiestatis & partes retulimus legum ferendarum potestatem; adeoque & tollendarum, limitandarum, authentice interpretandarum, alioue modo mutandarum. Hæc omnia enim insunt potestati legislatoriæ, cuius est, constituere ea, quæ publicæ felicitati obtinendæ conducunt. Etsi ergo crebra mutatio legum fugienda sit, neq; sine magna ratione discedendum ab iis, quæ semel placuerunt (facit enim hoc ad auctori-

Suma huius juris ferendarū legum.

tatem & firmitatem Imperii) si tamen vsus, qui *corrector legum* dicitur apud *Liuium XLV*,32. aliquid tale postulet; vtendum est potestate, quam diximus. Perite apud *Tacitum* (3. *A*.34, 6.) Valerius Messalinus: *placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus reip. postulantibus: remissum aliquid postea, & mitigatum, quia expediret.*

Attingitur quæstio de Lege Fundamentali.

Fert autem leges summa potestas, tum de toto Reip. statu, siue describit formam reip. quæ ciuitati regendæ tenenda atque colenda sit? tum de personis, rebus, actionibus ciuium. Hinc est, quod *omnem regiminis ciuilis formulam componere, ciuitati Statum dare*, opus νομοθετικὸν apud veteres passim celebratur. Atque hæc formula, tanquam *Lex Fundamentalis*, à ceteris distingui posset. Sed hodie aliter vtuntur *Legum Fundamentalium* & *non Fundamentalium* vocabulis: satisque vage in hoc philosophantur. Aliqui, *Legem Fundamentalem* dicunt: quæ (ita *Reinking.de reg.Sec.& Eccl. lib.* 2. *Class.*2. *c.*6. §.3. & 4.) *imperantibus imperandi modum præscribit*: Non Fundamentalem, *quæ subditis præscribit, quid agendum*. Alii *Legem Regni* (nam hanc cum *Fundamentali* eandem faciunt) putant esse, *inueteratam quandam consuetudinem, vel tacitam legem, decursu temporis hominum mentibus inscriptam, secundum quam Reges sceptra capessere, & Reip. præesse tenentur, nisi, quæ jam diu certa fuerunt, non sine reip. perturbatione euertere velint.* Ita *Arnisæus de Jur. Maiest. lib.* 1. *c.* 2. §. 11. An & quatenus Rex aut Princeps obstrictus sit, aut solutus his legibus,

bus, ex formula regni ſeu principatus, adeoque ex iis, quæ de Maieſtate perſonali & reali dicta ſunt, facile judicatur. Legislator quidem qua talis, i. e. maieſtatis compos, has quoque mutare poteſt, ſi de jure quæritur. quanquam in conſilii quæſtione prudentiores ſunt, qui caute agendum, neque periculoſam fortunæ aleam tentandam cenſent.

De Legislatoris officio & virtutibus ex mente veterum diſſeritur.

Quantum porro ad Legislatoris officium attinet ac virtutes, veteres vno *Prudentiæ* vocabulo omnia includebant. Hujus *prudentiæ legislatoriæ* partes varie poſſunt & ſolent explicari. Cum enim *prudentiæ ciuilis ea pars, quæ* νομοθετικὴ *ſiue legislatoria dicitur*, ſit ἀρχιτεκτονική, i.e. talis, *quæ principem locum tenet tanquam arbitra rerum varie dirigendarum & diſpenſandarum*; *juxta Ariſtotelem 6. Eth. Nicom.* 8. igitur vis eius ſingillatim noſci debet. Qui breuius agunt, *Juſtitiam* ponunt & *Prudentiam*; quarum illa honeſtatem & æquitatem; hæc vtilitatem legum *Legislatori* ſuppeditet. Ad quæ duo nimirum etiam ceteræ legis dotes referri poſſunt. Illud quidem certum eſt, ex natura & virtute legis recte intellecta, recte & facile æſtimari officium legislatoris. Ita, cum *Ariſtoteles 7. polit.* 14. *Legislatoris* officium examinat, virtutes legis, vt Lydium lapidem, adhibet. *Eſt*, inquit, *hæc lex* (ſc. Laconum de belli ſtudiis præferendis, tanquam ad potentiam ciuitatis facientibus) *nec politica, nec vtilis, nec vera.* Igitur multis eleganter diſputat, quid in ferendis legibus ſpectari debeat: præcipue quidem, *vt ciues bonos, adeoq; ciuitatem*

beatam faciat, siue eas leges ferat, quæ ad finem optimæ vitæ quadrant. Atq; vt hunc finem adipiscatur, spectandum, quæ ad rationalem animæ partem, quæ item ad partem ratione destitutam, sed obedire tamen rationi aptam pertineant: vt illa potius, tanquam meliora, hæc in secundis constituantur. Considerari insuper debere, quæ in vita agenda sunt, cuius sint differentiæ; necessaria scilicet, honesta & vtilia; in quibus honesta semper præferenda sint. Cumq; honestas omnium virtutum nexu contextuq; ad ciuitatis felicitatem pertineat, Græcorum nonnullos legislatores aberrasse, qui nec finem optimum ciuitatis satis propositum sibi in ferendis legibus habuerint, neq; omnes virtutes legibus suis complexi sint, sed ad eas pleraq; retulerint, quæ vtiles putantur, quales sunt bellicæ, siue ad victoriam pertinētes. Hæc *Aristoteles* bene & solide philosophatur.

Ex quibus apparet, quod in ante dictis non semel fuit suggestum, *finem Legislatori esse propositum debere, ciuitatis felicitatem.* siue enim Legislatorem accurate accipimus, de eo qui maiestatem habet, satis constat, qui imperii & imperantis scopus esse debeat: siue consultorem imperii & Imperantis seu adiutores sumæ potestatis, ex demandato sc. officio aut oblata decore opera, Legislatoris nomine dignamur, nemo viri ciuilis, aut prudentis, aut consiliarii nomen tueri potest, nisi ipsum imperantis scopum pro regula & norma omnium suorum consiliorum, suggestionum, operum habeat. In illa porro ciuitatis felicitate ratiocinanda, primum semper honestati locum deberi, id quoque non obscurum est. Stu-

Studebit ergo Legumlator, vt ciues bonos reddat ac justos. Justitiæ autem vocabulo pagani sæpe omnes virtutes comprehendunt: sicut apud Christianos *pietatis* vocabulo omnis boni moris probæque actionis laudes concluduntur. Ita *Eusebius Præpar. Euangel. IIX, 8.* νομοθεσίαν Mosaicam hoc nomine laudat, *quod religionis partes, omnes ceteras virtutes fecerit, non contra.* Religio enim & pietas apud paganos justitiæ pars est. *Jamblichus in vita Pythagoræ* Pythagoram summum & præcipuum Legislatorem facit, quippe qui μετὰ πολλῆς ἐννοίας καὶ ἐπιστήμης πολιτικῆς νομοθετεῖν ἐπεχείρησε, *multa solertia & scientia ciuili leges ferre instituit. lib. 1. c. 30. Discipulosque Pythagoræ optimos Legislatores fuisse commemorat, Charondam, Zaleucum, Timaratum, Theætetum, Helicaonem, Aristocratem, Phytium, Zamolxin, & alios: atque hinc ex magna Græcia, adeoque ex Italia in Græciam leges scriptas peruenisse.* De Zaleuco & Charonda, & Posidonio *Seneca* etiam testatur *ep. 90. Hi non in foro, non in consultorum atrio, sed in Pythagoræ tacito illo sanctoque secessu didicerunt jura, quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam Græciæ ponerent.* Cum autem Pythagoras suam philosophiam ex Hebræorum fontibus hauserit, vel ex hoc extrinsecus arcessito testimonio intelligi potest, quanti sit Legislatoribus omnibus facienda Lex Mosaica. Quod vero idem, quem modo laudaui, *Jamblichus*, ex mente Pythagoræ contendit: *Bonos legislatores physicæ, & rei medicæ, Gymnasticæ peritos esse debere, cum optima sit Lex, quæ secundum naturam fertur:* illud *lib. 2. c. 10.*

ad

ad studia subsidiaria,& adiumenta Legislatoris referendum est, non ad ipsam disciplinam *νομοθετικήν*. Manet interim,quod *leges ferre* sit opus vere philosophicum. in philosophia autem,quæ sit rerum contexta series,& quanta doctrinarum necessitudo, aliunde constat. vid. *Dan. Heinsii præf. Aristarch. suo præfixam.*

Virtus Legislatoris ab opere nomothetico distinguitur.

Si quis simplicissime velit agere, distinguet *virtutem Legislatoris, & opus Legislatoris. Virtus* in hoc consistit, vt *velit* & *possit* bonas leges ferre. *Vt velit,* amor iustitiæ, &amor Reip. faciet. *Amor Justitiæ* formam legibus dabit & rectitudinem: *amor reip.* ad finem Legislatoris leges diriget, ciuitatique vtiles faciet ac salutares. *Vt autem possit* bonas leges ferre, *ingenium practicum, profunda ciuilis prudentia, aliarumq́ subsidia artium, efficient.*

Opus Legislatoris in hoc consistit, *vt legem prudenter excogitet, diligenter & bene perscribat, tum publice promulget.* Quod postremum (nam de prioribus satis dictum est) omnino etiam requiritur. Neque enim obligat lex naturaliter, nisi ab eo tempore, quo promulgata est. Malus ergo Legislator Caligula fuit, qui *vectigalia indixit, neq́ proposuit.* Itaque *cum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitante populo Rom. proposuit quidem legem; sed & minutissimis literis, & angustissimo loco, vti ne cui describere liceret. Suet. Calig.* 41.

Anuotatio.

In hunc tanquam locum communem pertinent illa examina Legislatorum veterum. qualia *Aristoteles,* præsertim *lib.2.toto polit.* proponit:tum *disputationes Platonicæ de LL.* Deniq; *Histo-*

Historiæ Legislationum particularium; præsertim quibus suasoriæ ac dissuasoriæ dissertationes innexæ sunt. Ita apud *Liuium* de Lege Oppia, in vtramque partem disceptatur, *principio libri XXXIV*. Alibi de aliis. Inter recentiores *Thuanus* diligenter explicat νομοθεσίας varias: nemo autem exquisitius *Franc. Bacono de Verulamio in Historia Henrici VII. Suasorias Libanij, à Jacob. Gothofredo editas,* ante laudauimus.

Qui scribendo exerceri cupiunt, nobilem illam digressionem *Taciti de LL. 3. A. à cap. 25. vsq; ad 29.* possent annotatione seu consideratione politica prosequi, juxta ea, quæ annotata sunt. 2. Legislationem aliquam particularem sibi interpretandam aut examinandam sumere. cuius rei specimen dedit *Cicero, libris de Legibus*. 3. *Platonis Minoëm,* in formam scribendi ciuilem, citra διαλογισμοὺς, redigere. 4. Ex Zaleuci prooemio Legum, (quod extat apud *Stobæum serm.* 145.) dissertationem politicam adornare, de officio Legislatoris: siue illud prooemiũ ὡς ἐπικεῖον πολιτικῇ perpetua prosequi. 5. Si quis *Philonis* studiosus esset, operæ pretium foret, ex eius nomotheticis (e. g. *de Decalogo,* item *de ll. specialibus,* quibus addi posset *vita Mosis*) vel de natura legum, vel de Legislatoris officio, in summam, studio scilicet erudite imitandi contrahere, quæ fusius dispersa sunt. 6. Suasoriam alicuius legis scribere, exemplo Libanii ante laudati. vt, si quis scriberet suasoriam *Legis Quisquis 5. C. ad L. Jul. M.* alius autem *dissuasor* existeret. Ita in aliis, nouæ quoque historiæ, legibus. Qua de

de causa omnino adeundus *Quintilianus instit. orat. lib. 2. cap. 4. parte posteriore.* 7. *Ciceronis orationes pro lege Manilia; vel de lege agraria,* exemplum illustre præbent, tum huius scriptionis, de qua dictum; tum ὑποθετικῆς θέσεως, siue definitæ, specialisque obseruationis in examinandis legibus tenendæ.

CAP. IV.

De

Potestate circa Sacra.

POstquam de jure maiestatis nomothetico actum est, quod per omne ciuitatis corpus lat. patere diximus; non alienum erit, nunc subiungere, de *jure maiestatis circa sacra*, siue, *quid maiestas possit circa sacra.* Cum præsertim in partitione ante allata positum sit, *leges ferri vel circa sacra, vel circa profana.*

De jure maiestatis circa sacra.

Ardua hæc materies, & disputationibus obnoxia, sicut fatetur *Lampadius de Constitut. Imp. Rom. part.* 1. §. 16. vbi partite & docte in *obiectum potestatis ciuilis circa sacra* inquirit; *rationem* autem & *modum statuendi* non attingit. *Grotij* extat *Commentarius posthumus de Imperio summarum potestatum circa sacra*, in quo, vt omnes omnia probent, fieri nequit: in dirigenda tamen huius loci philosophia, quin vsum habeat nonnullum, vix est, vt negari possit. Tractauit etiam, è Reformatis, hanc quæstionem *Nicol. Vedelius libro,* cui titulum fecit, de *Episcopatu Constantini Magni.* in quo pro-

Cuius difficilis & à multis tractatæ materiæ,

propofito plerosque fuorum aduerfos habuit; oppugnatusque eft à *Guilielmo Apollonio,* qui juffu publico fcripfit librum, cui index: *Jus Maieftatis circa facra.*

(Dictum hac occafione de illa difputatione.)

Pontificios non attinet nominare, qui omnia hæc maieftati adimunt. Igitur Noftri laudem ὀρθοδοξίας in hoc argumento merito fibi obtinendam ducunt.

In obiecto autem poteftatis ciuilis circa facra inquirendo, tum *natura poteftatis ciuilis,* tum *fcopus integer* bene confiderari debent: *Imperium* quoque *circa facra,* à *functione facra*: *Jus* denique *ipfum,* à *modo juris exhibendi* feu *exercendi* diligenter diftingui debent. *Actus* infuper *Imperij,* quatenus huc pertinent, *in fuas fpecies* diftingui, vtile fuerit; ficut e. g. *Grotius* feorfum confiderauit *Legislationem circa facra, Jurisdictionem circa facra, & fpeciem innominatam.* Poft præmiffas quafdam diftinctiones terminorum,

Summatim *Gerhardus* nofter (quem, cur fæpius & libentius laudemus, fatis putamus intelligi) ita egit *Loco de Magift. Polit. à* §. 165. *ad* 213. vt, poftquam imperantis officio fcopoque contineri religionis curam probaffet, duas poftea *huius juris munerisq; partes* faciat: 1. *Recti cultus conferuationem,* & 2. *collapfi corruptiue reftitutionem.* In recto cultu conferuando poteftati ciuili permittit commendatque 1. *Miniftrorum idoneorum conftitutionem*, non fine cautione, *de adhibendo Ecclefiæ judicio in vocatione Miniftrorum.* Atque ad hoc caput refert *Scholas, fuftentationem Miniftrorum, ordinem in-* fumma ex Gerhardo proponitur.

ter

ter eos instituendum, tum & *remotionem flagitiosorum Ministrorum*, repetita *cautione*, de qua in vocatione dictum. 2. *Legum Ecclesiasticarum promulgationem* de *externo cultus diuini exercitio*, additis cautionibus, ne *tales sint leges, quæ cum officio ministrorum pugnant, ne quid temere aut sine matura deliberatione mutetur, ne sine consilio Ministerij Ecclesiastici leges ferantur*. 3. *Bonorum Ecclesiasticorum legitimam dispensationem*. 4. *Ecclesiæ inspectionem*, quo *visitationes* refert, & *Synodorum conuocationem*. *In recto cultu, si collapsus est, instaurando*, ponit 1. *inquisitionem in errantes, præsertim hereticos & seductores*.

(Dictum de modo inquirendi.)

2. *Coërcitionem eorum*. 3. *Idololatrici cultus abolitionem*. Ex vtroque capite, conseruandæ sc. & instaurandæ religionis, quæstiones fluunt variæ: de quibus *Gerhardus* istas proponit, quas cum breui annotatione attingemus. 1. *An subditi ad fidem cogendi*? quod, contra Pontificios affirmantes, negatur. Permissa tamen licentia compellendi ad conuersionis media, sc. ad audiendum verbum orthodoxe prædicatum; & prohibendi falsæ religionis publicum exercitium, nisi necessitas aliud suadeat. Recentissima est huius quæstionis tractatio, in *literis Protestantium intercessionalibus, pro Evangelicis oppressis in prouinciis Cæs. hæreditariis, in Comit. Ratisb.* 1653. 2. *an plures religiones in vna rep. tolerandæ*? Rigorem Pontificiorum hac in re moderandum, melior prudentia dictat: cũ *id, quod optimum* est, non semper possit spectari ac obtineri: *distinguenda* etiam singulorum

priua-

priuatim diuersa, citra turbas, sentientium, tolerantia ab exercitii publici concessione. sicut & tranquillus reip. status à perturbato discerni debet. Religionis itidem diuersitas à blasphemiis publicis multum differt. Aliud quoque est, tolerare diuersas religiones, aliud approbare. Vnde nec Syncretismus locum habet, sed pax & concordia publica. Quid autem imperantes ipsi hac in re possint, diligenter spectandum: absolutam enim potestatem nonnullis adimunt leges Imperii fundamentales, in quas juratum est; nonnullis partitio Imperii, cum eius pars penes Proceres residet. Denique Vet. Testamenti institutum & exempla in hoc genere leniuit Nouum Testamentum, mitiori disciplina commendata.

(Dictum de *Lipsio*, qui varium se in hac quæstione præbuit. Item de *Thuani præfatione in opus totum*, quæ eximie huc pertinet.)

3. *An Pacificatio Religion. Passauiensis probanda?* Quod affirmatur contra nonnullos (absit enim vt omnes hoc sentiant) Pontificios negantes: & statim subiungitur: 4. *An Pacificatio illa sublata sit per Concilium Tridentinum?* Quod negatur.

(Omnino adeundus est de vtraque quæstione *Limnæus I. P. 1, 13. cum Additionibus.* Conferenda etiam, quæ de Pace Monasteriensi disputata, siue potius contra eam vibrata sunt.)

5. *An fides hæreticis, & diuersæ religionis hominibus data, sit seruanda?* Id quod aduersum Pontificios affirmatur.

(*Limnæi addit. ad l. c.* videri digna sunt, quæ de vocabulo *Hæretici* annotantur, vt & apud ipsum *Gerhard. loc. de Minist. Eccles.* §. 370. tum opuscula contraria, de pace nupera.)

6. *An Imperantes possint iuramentum religionis à subditis, præsertim in officio publico constitutis, exigere?* Quod facile, contra nonnullos negantes, defenditur. 7. *An vicinorum, ob vera religionis professionem, ab ordinario Principe pressorum, curam aliquam Imperantes alij gerere debeant?* Affirmatiua cautelis munitur.

(Pertinent huc, quæ disputantur apud *Grotium de caussis belli pro aliis suscipiendi, de I. B. 2, 25.* præsertim §. 8.)

Ad hæc, quæ *loco de Magistr. Polit.* à *Gerhardo* traduntur, referenda etiam sunt, quæ tradit idem, de *Iure Episcopali: itemq; de iure Patronatus, in loco de minister. Eccles.* §. 108. *vsq; ad* 115. *cum quæstionibus huc pertinentibus* §. 117. *item de remotione Ministrorum* §. 174. *de potestate Ecclesiastica* §. 191. *& seqq.* Denique summa huc redit, vt in hoc iure maiestatis administrando, & Καισαροπαπία, & Παπoκαισαρεία vitetur. Quorum illud vitium, omnia ciuili potestati; hoc omnia Ecclesiasticæ potestati arrogat. videndi post *Gerhardum, Meisneri tractatus de Regimine Ecclesiastico: Arnisæus de I. M.* 2, 6. *citati à Besoldo* 1. *Polit.* 3. Contra Pontificios in hoc argumento multa etiam disputauit *M. Antonius de Dominis*, caute tamen legendus.

CAP.

CAP. V.

De

Jurisdictione.

ETiamsi autem prudenter omnia constituat maiestas, quæ reip. vtilitati inseruiunt, *inanis tamen erit omnium legum tenor* (inquit *Lampad. de constit. Imp. R. G. part.* 1. §.44.) *nisi de genere facti positæ singularibus applicentur*; & *quod cuiq; potentia competit, id actu seu effectu tribuatur*. vnde *reddendi juris nata potestas, quæ factis singulis in specie statuta accommodet*. Adde *Gerhard. de Magistr. Polit.* §.270. Jurisdictio, s. juris reddendi potestas; quæ & jus judiciorum dicitur.

Quando ergo hoc jus maiestatis *Jurisdictio* dicitur, notandum, hanc vocem latius sumi, quatenus maiestatis potestas per omnia rerum genera, in quibus jus statutum reddi oportet, diffunditur, atque criminalia non minus quam ciuilia spectat. Alias autem criminalium potestatem hoc vocabulo non solere notari, ex vsu hodierno constat. vide Homonymiam huius vocis diligenter explicatam à *D. Biccio* in *Aureis*, tum ex principiis juris ciuilis (*sect.* 5. §.36. & *seqq.*) tum ex vsu hodierno & more loquendi Doctorum §.46. & *seqq.* Homonymia vocabuli.

Hæc ergo potestas administrandæ justitiæ, *formaliter* & *primo* est in maiestate, siue penes vnum, siue penes plures sit maiestas: *per participationem* est in magistratibus, de quibus postea. (*vid. Lampad. part.* 3. *c.* 15. §. 2. & *seqq.*) subiectum distinguitur.

Quando autem dicitur Jurisdictionem pri-

mo & formaliter penes maiestatem esse, satis intelligitur, à maiestate ipsa non posse appellari, siue prouocari; ad maiestatem autem, tanquam ad fontem omnis jurisdictionis, ab omnibus magistratibus, prouocari posse, id quod *jus extremæ prouocationis* vocant, & à maiestate inseparabile demonstrant. videatur *Arnisæus de I. M. lib. 2. c. 4.*

Quomodo jurisdictio maiestati jure diuino competat; partim ex iis, quæ ante de juribus maiestatis in vniuersum sunt dicta; partim ex iis, quæ *Gerhardus* contra Anabaptistas disputat (*de Magist. Polit.* §. 271. *& seqq.*) satis liquet. adde *Grot. de I. B. I, 2, 7.* De jure humano & philosophia, res itidem clara est.

Partes Jurisdictionis. Partes Jurisdictionis sunt tres. 1. Siue enim negotium ciuile sit, siue criminale, ante omnia factum, de quo disceptatur, cognoscendum est: Hæc est *cognitio*: Jure ciuili, *notio & quæstio facti.* 2. De facto cognito jus statuendum est. hæc est *Jurisdictio* propriissime sic dicta. 3. Statuti juris executione opus est. Hæc, *Imperium* seu *extremum in jurisdictione* vocatur. Alii duobus membris vim jurisdictionis explicant, *explicatiuo* & *executiuo*; ad illud referentes causarum non modo cognitionem, sed & judicationem. vid. *Reinking. de Regim. sec. lib. 2. class. 2. cap. 17. §. 4. & seqq.* Idem *Reinking.* explicat, quid hic *mixtum & merum Imperium* (qua *Imperij* voce, executio scilicet in essentialibus jurisdictionis partibus notatur) significet, juxta vulgarem opinionem. Quam erudite examinat *Lampad. l. c.* §. 48. Addenda

sunt

ſunt omnino, quæ *Jacob. Gothofredus* annotat *comment. in reg. jur.* 70.

Sicut autem tres ſunt jurisdictionis partes, ita etiam ſpecies objecti diuerſæ; ſummatim loquendo. itaque hoc ſenſu res, in quibus reddendi juris poteſtas vertitur, vel ſunt ciuiles, vel criminales, vel Eccleſiaſticæ. Et obiectorum ſpecies.

Ad maieſtatem ergo pertinet tota jurisdictio, ſiue diſtinguamus eam *per partes illas eſſentiales*; ſiue *per ſpecies obiectorum*. Quoniam autem habentes maieſtatem non vbique aut ſemper per ſe poſſunt eam adminiſtrare, itaque *aliis committunt jurisdictionem*, vel *jure magiſtratus*, vel *lege beneficioue ſpeciali*: idque rurſum vel *per omnes*, vel *per quasdam jurisdictionis partes*; itemque vel in *hac aut his*, vel in *alia aut aliis obiectorum ſpeciebus*: prout ſupremæ poteſtati viſum fuerit. Quæ omnia cum ad maieſtatem pertineant, ab ea libere & varie mandantur.

Hæc fundamenti loco probe ſcienda ſunt in hac materia, vt ad omnes diſputationes agitari ſolitas erudiamur. Quanquam autem *cognitio*, & *jurisdictio* propriiſſime ſic dicta, vt & jurisdictio ac merum Imperium, ita arcte cohæreant, vt omnium judiciorum quaſi formam conſtituant; poterimus tamen de vnaquaque parte *jurisdictionis totius* quædam annotare.

In *cognoſcendo igitur* 1. non omittenda eſt *neceſſitas cognitionis*. i. e. neminem damnandum aut puniendum, niſi auditum. Hinc apud *Tacit.* 13. *A.* 20, 5. regula communis; *cuicunque defenſionem tribuendam.* 1. *H.* 6, 2. *qui inauditi atque indefenſi perierant, tanquam inno-* De Cognitione.

ſentes periiſſe videntur. 2. *Diligentia cognitionis*, vt ſatis audiantur partes; ne quid inquirendæ veritatis negligatur. Pertinet huc ſolertia *Salomonis* 1. *Reg.* 3. quæ res multo labore & patientia conſtat. 3. Abeſſe tamen debet nimia *aſperitas* atque *calliditas*. *Huius* exemplum eſt in cognitione Tiberii apud *Tacit.* 2. *A.*30,5. *Illius* varia ſunt genera, *tum* fouendo & immittendo nimisque audiendo delatores; *tum* tormentis, ſiue quæſtione per tormenta abutendo; *tum* per rigorem immobilem, omnes circumſtantias ad lenitatem & humanitatem ducentes, negligendo. Qua in re, qui ex mandato cognoſcunt, plerumq; formula mandati ſe tuentur; debebant tamen meminiſſe, nullis mandatis humanitatem ipſam tolli. Atque ad hanc partem jurisdictionis, de quæſtione facti, referenda eſt tota de accuſando & defendendo materia; adeoque, quidquid de probationibus tam inartificialibus, quam artificialibus tradi ſolet; ne ſcilicet, qui cognoſcit, fallatur. ſuma non alibi exactius apud veteres tradita eſt, quàm à *Quintiliano lib.* 5. *inſtit. orat.* Quantum autem ſit periculum in his rebus diſcernendis, vel ex hiſtoria *Philotæ* apud *Curtium lib.* 6. apparere poteſt. Illi interim quæſitores, qui infra maieſtatem cognoſcunt, præſcriptis fere legibus ac judiciorum formulis alligantur. Maieſtas ipſa liberius hoc agit; & in crimine manifeſto ac flagranti omittit nonnunquam cognitionem. Id quod tamen caute fieri debet: neque cum *Clapmario* inter proba exempla retulerim, Parmenionis

nis inauditi supplicium. In hunc locum quæstiones variæ congeruntur, e. g. an *probationes innocentiæ per duella, per sortes, per ferrum ignitum, per aquam, sint admittendæ?* quæ rudioribus sæculis non sine superstitione recepta. In inquisitione præsertim in veneficas, multa in vsu sunt, quæ superstitione plena, à judice Christiano abesse debent. Qualia vid. apud *Tholosanum de rep. lib.* 13. *cap.* 30. §. 5. Idem sentiendum de signis homicidam arguentibus in occisi corpore. vid. *Besold. in Thesaur. Pract. voc.* Bahrrecht. sed infinitum fuerit, ad singula huius generis descendere.

In *jurisdictione*, siue *instatuendo jure*, *justitiam* judici diligenter præcipiunt sacræ literæ: locis à *Gerhardo* laudatis de *magistr. polit.* §. 282. Licet enim justitia se exerat in omni parte jurisdictionis; in statuendo tamen jure præcipue eius vis cernitur. Est autem *juste judicare*, ita jus statuere, vt 1. regula juris dicendi sit *Lex Diuina*, tum naturalis, tum positiua. (iis modis, sicut alibi explicatur) tum *leges reip.* à quibus præsertim judices inferiores non possunt recedere. 2. *vt æquabiliter jus dicatur*, id est, secundum merita caussæ, vt in foro loquuntur, sine gratia & odio, aliisque animi perturbationibus. Duæ hic sunt primariæ quæstiones de *æquitate*: quam *Aristoteles* 1. *Rhet.* 13. describit, τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον. *quod præter legem scriptam justum est*; & copiose explicat. Quæritur autem I. *an æquum & bonum sit pars jurisdictionis propriissime dictæ; semperq; in jure dicundo adhiberi debeat?*

De Jurisdictione propriissime dictâ.

vbi non cauillandum est in vocabulis. vel enim supplet siue continuat id membrum, de norma jurisdicendi, i.e. lege, de qua modo dictum est: vel peculiari membro, vt luculentior sit doctrina, commendatur æquitas. Necessitatem vtique æquitatis signanter deducit *Aristoteles* l. c. *partim* ex ignorantia legislatoris; qui sua scientia non potest omnia complecti; *partim* ex generalitate legis, quæ non potest singula definire; *partim* ex discrimine delictorum, quæ, cum ex caussis & circumstantiis suis plurimum differant, non possunt *à judice* iisdem pœnis digna judicari. videndus omnino *Grotius de I. B. III*, II. 3. & 4. *Item II*, 20, 26. & *seqq.* Spectatur autem æquitas (quod bene notandum) 1. *in cognitione*; cum in quæstione facti, si obscuritas inest, humaniorem partem sequimur. 2. in *ipsis legibus & edictis* æquitate temperatis. 3. in *eo, quando lex tollitur, siue æquitati cedit lex ipsa*; quæ *æquitas extrinseca* potest appellari. vbi satis intelligitur, hanc maiestati soli reseruatam esse. (*vid. Grot. de I. B. II*, 20, 24.) 4. *est intrinseca æquitas*, i.e. juris scripti & *aperti* temperamentum & supplementum. De qua vid. omnino *Jac. Gothofred. in Reg. Juris l.* 85. §. 2. & *l.* 90. vide etiam *Gerhardum. in loc. de magistr. polit.* §. 290. *An judex semper debeat judicare secundum leges?* Quæritur hic etiam II. *An judex secundum acta & probata, an vero secundum conscientiam judicare debeat?* de quo fuse *Gerhard. l. c.* §. 291. adde *Cl. Biccij Aurea sect. 5. th.* 153. *in not.* Pro amico an & quid liceat? eximia est disputatio apud

Gell. l,3. Adde factum *Augusti* apud *Sueton. in Aug. cap. 56.*

Potestas exequendi, quod jure statutum est, Imperium appellatur. Quod si coniunctum est cum facultate statuendi juris, *mixtum* dicitur; si absque illa facultate considera- tur, *merum* est. Quanquam postea vsus obtinuit, vt *merum Imperium* criminalibus rebus accommodaretur (de qua re erudite *Lampad. de Constit. Imp. R. G. part. 3. cap. 15. §. 35.*) Diceretur etiam *gladij potestas*, synecdochice, vt *Lampadius* autumat, siue potius à *symbolo*, vt *Jac. Gothofred.* declarat. De Executione.

In hunc locũ concurrit tractatio de *præmiis & pœnis*: de qua materia agunt Theologi, JCti, Philosophi: *Gerhardus (in loc. de mag. pol. à §. 293. vsq; ad §. 314.)* I. ostendit contra Anabaptistas & Photinianos, ex lege Diuina scripta, & non scripta; tum ex Patrum scriptis, *imperantes habere potestatem, tum pœnas irrogandi mitiores, tum capitales.* Hinc veluti ποϱισματικῶς colligit 1. *ministros publicos suppliciorum nulla infamia juris laborare, nec à cœtu Christianorum excludendos esse.* 2. *Capitalia supplicia non semper & vbiq; remitti, pœnas tamen certis casibus mitigari posse.* Deinde *Canones* proponit, de suppliciis capitalibus, *quod rara esse debeant*; *quod nunquam ex meris præsumptionibus irroganda*; *quod sententiæ & executiones nunquam præcipitandæ*; *quod non delectari debeant Imperantes pœnarum irrogatione*; *quod non sæuiendum in cadauera punitorum.* II. Circa *modum* irrogandorum suppliciorum 1. quærit de *sortitionis in pœnis irrogandis vsu.* 2. de

proportione Arithmetica & Geometrica in pœnis irrogandis. III. Ad *obiecta* suppliciorum progressus, disputat 1. de *pœna adulteri capitali.* 2. admodum prolixe agit de *pœna hæreticorum*, & contra Pontificios, & nonnullos è Caluinianis, ostendit eam non esse debere capitalem, ex scriptura, ex rationibus, ex testimonio veteris Ecclesiæ, ex testim. ipsorum aduersariorum; refutatis, quæ in contrarium adferuntur. addenda est *Iusti Meieri* quæstio capitalis de puniendis hæreticis.

Grotius diligenter de pœnis egit 2. *de I. B.* 20. & 21. hoc ordine, vt 1. *naturam & originem pœnarum* declararet. 2. de *finibus pœnarum* differeret. 3. de *obiecto pœnar.* siue qui actus sint punibiles, explicaret. 4. de *taxatione meriti ad pœnam.* 5. de *bello ad pœnam.* 6. Donec denique *ad communicationem pœnarum*, capite è nominatis altero tractatam, procederet.

Pœnarum species plerumque ex *Isidoro* ita recensentur: *damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, seruitus, mors.* Quomodo JCti partiantur, summatim est videre in Cl. *Biccij Aureis sect. 5. th. 192. vsq. ad finem libri.* Iidem de singulis agunt fuse; adeoque de omni pœnalium judiciorum argumento.

Judiciorum enim potestatem à jurisdicendi potestate non distinguimus, cum de juribus maiestatis sermo est. Neque veteres id facere solebant. Licet alias non ignoremus, quomodo vel notiones vocabulorum, vel actus quidam distingui possint; sicut præsertim juris ciuilis scriptores, *jus dicere* & *judicare*

re aliquando pro differentibus habent. (vid. *Cl. Biccij Aurea sect.5. th.* 88. *lit.aa.*) cum autem, hoc quidem loco, de ipsa tantum potestate dicendi juris, quatenus scilicet summæ potestatis pars est, agendum sit: si quis tamen totam materiam velit partiri, ad hæc potissimum capita respiciendum fuerit. 1. enim occurrunt *essentialia jurisdictionis & judiciorum*; de quibus hactenus actum est. 2. *Ea, quæ ad processum, vt loquuntur, & formulam ac solennitates judiciorum spectant*: vbi præsertim ambages fori, & aduocatorum artes, præmiaque, cum similibus in disquisitionem veniunt. e. g. refer huc duas orationes senatorias apud *Tacitum* II. *A*. 6. & 7. Querelam & consultationem de labe fori apud *Barclai.in Argenide lib*.3. *Bodin.de rep. lib*.6. *cap. vlt*. 3. *Historia judiciorum*, rei totius praxin, & varietatem, debet ostendere. e.g. de *jure Areopagitico Joh. Meursius in Areopago*; de *judiciis Atheniensium, Car. Sigonius*: *Historiam fori Romani Pollerus* scripsit. Ita pleraque, quæ de jurisdictione tum Imperii Germanici vniuerse sumti; tum singulorum ordinum, disputantur, explicatione historica nituntur, & receptis moribus. sicut videre est apud *Reinkingium lib*. 2. *class*. 2. *cap*.17. *per tot*. Adde *de Camera Imperiali, de judicio Rothwilensi, de Aulico Imperatoris judicio, Austregis, Limn. I. P. lib. 9. à cap*. 2. *per seq. Sinolt.Schütz.I.P.vol*. 2. *disp*. 2. & *seq*. Ex illis autem, quæ de potestate & officio jus dicentium seu judicum traduntur, sponte postea emergunt, vt in aliis quoque materiis fieri amat, quæ de virtute & pru-

prudentia juris dicendi seu judiciaria, passim habentur. *Aristoteles in Ethicis* (adde explicationis caussa *Hornei. in Eth.*) hunc locum persecutus est. Extat & *Philonis* elegans *de Judice* libellus, quanquam mutilus: ex junioribus, *Eryci Puteani*. Adde *Stobæi Eclog. serm.* 155. & 156. Ex fabulari historia *Æacus* huc pertinet, & *Radamantus*. Oratorum autem, qui forenses orationes scripsere, maximus hic vsus est: illi enim subinde judicem suæ prudentiæ, æquitatis, justitiæ, humanitatis & aliarum virtutum admonent. Ex omnibus nominabimus *Ciceronis orationes forenses, Senecæ declamationes*; & *Quintiliani*; *Demosthenem, Æschinem, Lysiam*.

CAP. VI.

De Jure Magistratuum Constituendorum.

Jus magistratuum constituendorum quid sit?

IN materia de jure dicundo facile intellectum est, multis jurisdictionem jure magistratus competere: ac plerosque judices, quos constituit summa potestas, esse magistratus. Hinc ex parte jam constat, *Jus magistratuum creandorum, mutandorum, abrogandorum* (vt statim complectar) *esse inter jura maiestatis*. Jus, inquam, *magistratuum constituendorum & destituendorum* ita est in maiestate, vt, quæcunque magistratibus datur potestas, ea maiestatis sit, à maiestate pendeat, ad eius arbitrium

trium quiescat, propria authoritate sumi nequeat aut exerceri: Qua de re hactenus recte *Arnisæus de I. M. lib. 2. cap. 4. §. 2. 10. & seqq.* sed quod *extremam prouocationem* & *creationem Magistratuum* in vnum cogit, in eo partem respexit, non totum. sunt enim & alii magistratus, præter eos, qui jure dicundo occupantur. *Magistratus* cum dicimus à maiestate constitui, intelligimus omnes, i.e. maiores & minores; licet minores interdum à maioribus, aut à ciuibus constitui videantur; sicut & aliquando suma potestas siue maiestas, ordinibus, ciuibus, aut certo generi hominum tribuit Jus, creandi etiam maiores magistratus. sed ista ad *modum constituendi* pertinent; vnde & *Electionem* nonnulli malunt dicere, quam constitutionem. Aliud itaque est: *constituere sua vi, sua auctoritate, sua potestate, adeoq; proprie & independenter*; aliud *constituere* (si hanc vocem placet retinere hic quoque) *auctoritate concessa, opera vicaria* ac *demandata*. Quanquam ne id quidem semper tale est, quale videtur. sæpe enim sophismate politico, *imago tantum ac simulacrum electionis ac potestatis* vicariæ, non res ipsa conceditur; sicut de Principum Romanorum arte, & alii sæpe ostendunt, & clare *Tacitus 1. A. 15.* Quæ omnia qui non accurate distinxerit, ei philosophia huius loci nunquam in expedito erit.

Vocabuli Magistratus Homonymia.

Homonymia *magistratuum* non est obscura. Latinis veteribus *magistratus* semper sunt; ii quibus sub maiestate & à maiestate certa imperia sunt commissa. Juniores, præsertim

tim Theologorum consuetudinem secuti, pro Imperantibus in vniuersum sumunt, & vel maxime pro iis, qui maiestatem habent. Ita, *de Magistratu Politico* agentes, quidquid est Imperii in rep. & præsertim summum intelligunt. Nobis prior illa significatio tantum proposita est.

Aristotelis in hac materia, & Bodini tractatio.

Egit autem de magistratibus, si de vllo capite sui operis, valde accurate *Aristoteles* 4. *polit*. 15. Quem summatim interpretatur *Cellarius polit*. II, 9. Illud notandum est, pleramque *Aristotelis* tractationem in ad liberas Resp. respicere, earumque fere consuetudinem explicare. è recentioribus multum diligentiæ adhibuit huic argumento *Bodinus*, quando *lib*.3.*c*.1. agit *de Senatu*; *cap*. 2. *de Officialibus* & *Curatoribus*: quatuor autem sequentibus capitibus *de magistratibus, eorumq; jure, ordinē, officiis*. Quæ tamen legenda sunt non sine cautione, de qua sæpius dictum.

Aristoteles ita partitur, vt 1. post *definitionem* 2. agat de *speciebus & numero magistratuum*. 3. de *tempore magistratus gerendi*. 4. de *subiectis magistratuum*, seu *ex quibus legendi sint magistratus*. 5. de *caussa efficiente*, seu *à quibus constituantur magistratus*. 6. de *modo creandi* seu *constituendi magistratus*. E quibus tria posteriora membra vna voce complectitur, καταστάσιν τῶν ἀρχῶν seu *constitutionem magistratuum* appellans.

Ad definitionem annotatio.

Quando definitione comprehendit jus *deliberandi* de *quibusdam, judicandi*, & *maxime imperandi*; satis apparet, non recte agere eos, qui

qui Senatum & Consiliarios vbique à magistratu separant. Res enim ipsa docet, & Senatum, & Consiliarios, aliquando magistratus esse: aliquando non esse. Neque accurate videntur distinguere, qui ita distinguunt: *Senator de omnibus reip. negotiis & semper deliberat; magistratus de nonnullis, & aliquando.* sæpe enim Senatus, eo ipso, quod Senatus est, jura magistratus habet, seu jure magistratus & deliberat & imperat. De cetero definitionem Aristotelicam satis commode explicat, & diligenter vindicat *Piccartus, in comment.* ad l. c.

Interim accurate in eo fecit *Philosophus*, quod à magistratibus proprie dictis, ceteros, præfectos, curatores, ministros (ἐπιστάτας, ἐπιμελητὰς, ὑπηρέτας) discernit. quanquam neque in Græca, neque in aliis linguis, cauillatione verborum vtendum est: quæ sæpe permutantur. Plane est eximium illud: *Curationum* (ἐπιμελειῶν) alias esse *ciuiles*; alias *œconomicas*; alias *administras*, ὑπηρετικάς, quasi diceret, *ministeriales*. In quæ genera tribui posse, quidquid est officiorum, ac ministeriorum in ciuitate, non est dubium. Itaque non deesset occasio, hic agendi de ceteris illis præfecturis, curationibus, ac variis ministeriis, præter magistratus. Non tantum de iis, quæ nominatim exprimit *Philosophus* (e.g. de *Sacerdotibus*, de *Legatis*, de *Consiliariis*, de *annonæ præfectis* &c.) sed de omni illa varietate, quæ in historiis & rebusp. occurrit. Nos præcipua officiorum in alium lo-

cum

cum reseruantes, nunc veluti farraginem huius materiæ, exemplo præsertim Romani Imperii, suppeditamus, commendatis in sequentibus libris. Egerunt enim de officiis & ministeriis variis, *Jul. Cæsar Bulengerus, in vasto opere de Imperio & Imperatore Romano. Pancirollus in Notitiam Imperij. Jac. Gutherius de officiis Domus Augustæ. Gretserus in Codinum. Henr. Valesius in Ammian. Marcellinum.*

De tempore magistratus gerendi, vel perpetuo vel annuo, pleni eorum libri, qui quæstiones scripserunt, *Junij* & aliorũ. *Bodinus* fuse.

(Dictum in ipsa explicatione.)

De iis qui ad magistratum idonei sunt, siue qui adhibendi, aut secus, itidem plana est facilisque explicatio. occurrit ibi quæstio, de *hominibus nouis, designata in* Notis ad Vellei. 2, 128. de arte circa dignos inueniendos vid. *Machiauell. differt. de rep. lib.* 1. *c.* 48.

Ad modum, etiam juxta mórem antiquorum, Comitia pertinent,

(De quibus hac occasione aliquid dictum.)

debetque hic vapulare illa *nundinatio & mercatura magistratuum,* Gallis vsitata. in quam erudite inuehitur *Bodinus de Rep. l.* 5. *c.* 4.

De Speciebus Magistratuum, historia præsertim, sicut indicauimus, erudire potest. vt & de modo potestatis; vbi vide *Machiauell. disput. de rep. lib.* 1. *c.* 50.

(Dictum de histor. magistr. Rom.)

Inprimis omnia hic accommodanda sunt ad formam reip. ac statum, quod præclare ab *Aristo-*

Aristotele monetur: qui hanc materiam non vult erudite intelligi tantummodo in θέσει, sed vel maxime applicari prudenter in ὑποθέσει. Quo respexit etiam *Tholosanus*, cum *lib.4. polit. cap.5.* agit de *magistratibus in Rep. vel Principatu*, satis copiose.

Sicut autem satis animadverti potest, *de magistratibus* proprie hic agi: ita *ceteros curatores*, atque, vt hodie vocant, *officiales ministrosq; ciuitatis* hactenus non excludi decet, quod *eorum quoq; constitutio & destitutio ad maiestatem pertinet; licet, quantum ad minores functiones, per alios sæpe eligantur, atque reiiciantur.* Imo qui maiestatis habendæ agendæque periti sunt, vel maxime dant operam, ne in hoc genere præter arbitrium suum aliquid fiat.

De *Legatis* seorsum, certum est notumque, proprie dictos *Legatos* neque mitti, nisi ab habentibus maiestatem; neque, nisi ad habentes maiestatem. Alii enim laxe & populariter, non ex merito id nominis gerunt. *v. not. ad Vell. II,7,2.* ac de jure quidem res clara est. Quantum autem consilii politici & prudentiæ, in hac quæstione sit, ostenderunt *Grotius I.B. II,18. Albericus Gentilis; Carolus Paschalius; Kirchnerus; Fridericus de Marselaer.* • *Grotius* quidem etiam *de toto legationum jure* egit. De sanctimonia Legatorum aliquid annotauimus in *Dissert. de Auspicio Regio cap.2. §.14.*

(De his dictum, qui materiam de legationibus ad jus referunt.)

L. In

In primis autem profuerit, ipsas legatorum occupationes & tractationes nosse. Quo fine legendæ sunt *Legationes Philippi Canaii, Literæ Ossati, Legatio Rhætica Paschalij &c.*

CAP. VII.

De Jure Belli & Pacis.

Jus belli & pacis.

CONsequens est, vt agamus de *Jure belli & pacis.* quod & ipsum maiestati vel maxime competit.

ab homonymia liberatur.

Non autem hic nobis notant ista verba idem, quod apud *Cicer. orat. pro Balbo c. 6.* & *Grotium,* qui sui operis titulum inde desumsit: sed *potestatem belli & pacis.*

describitur.

Hoc sensu *potestas belli suscipiendi gerendiq;, tum pacem faciendi seu paciscendi,* non competit nisi maiestati siue maiestatem habentibus: qualemcunque interim speciem habeant, quæ vel per commissionem, vt hodie loquuntur, vel per temperamentum, vel per simulacrum, in hoc genere administrantur.

Qua de re interim illi quoque non negligenter egerunt, qui jus belli & pacis illo altero sensu (quando id notat, quod in bellis gerendis finiendisque juri consentit aut disconuenit) tractant. præsertim *Grotius.*

Coniunximus hic *bellum* & *pacem.* Quamuis alias distincte tractari jus belli, & jus pacis possit. Ita veteres fere. vid. *Tac. 13. A. 49.*

Annotabimus tamen seorsum aliqua de

vtroque. Ac in *jure belli* quidem *seu armorum* (*armandiæ* dicunt barbari) duo sunt, quæ tractationem huius materiæ constituunt, si ostendatur; *Cui competat hoc jus? & quid in se comprehendat?*

De *primo* dictum est: neque probatio longe petenda. Quia enim maiestatis est, non domi tantum pacem inter ciues conseruare, eoque prohibere iniurias, judicare lites, omniaque turbamenta tranquillitatis ciuilis, sine qua ciuitas beata esse nequit, è medio tollere; sed etiam ab omni vi externa ciues defendere: itaque satis apparet, neque iniurias demi aut vindicari aliquando posse, nisi bello aduersum eos, qui nullum judicem agnoscunt; neque pacem inuiolatam perdurare, nisi bello interdum redimatur ac stabiliatur. Fluit ergo ex ipsis juris naturæ dictatis hæc potestas, vim iniustam vi justa depellendi, tegendi armis patriam, defendendi aras focosque. Neque jure divino superest dubitatio. Jus belli maiestati competere probatur.

(Dictum hac occasione de regiminis Theocratici bellis: vt de loco 1. *Sam.* 8. *v.* 5. & 6. & 20.)

Adde *Gerhard. de Magistr. Polit.* §. 368. & 369. & 394. vt loca scriptorum atque consensum huc accumulemus, non est necessarium in re passim obuia.

Comprehendit autem *Jus belli*, quidquid ad armatam reip. tutelam pertinet. e.g. Exercitum conscribere, delectum habere, arma comparare, in hostem mouere, prædas age- Jus belli quid in se comprehendat?

re, confligere; atque illa, sine quibus militia geri non potest, stipendia constituere, pœnas & præmia militibus tribuere, siue totam belli disciplinam regere, quæque alia hinc dependent. *v. Iac. 6, 3.* *Custodia* quoque *armata publica* vel Principis, vel ciuitatis, huc pertinet: in qua vim & speciem Imperii Scriptores constituunt. Id jus majoribus ministris ac magistratibus permitti aliquando videas; sed tum precarium est. Jure belli comprehenditur etiam *jus muniendi*. Illustris locus est *ap. Tacit. 5. H. 12.* *Torneamentorum* quoque jus, quatenus virtuti militari exercitandæ destinatum est, huc referunt. v. *Limnæus I. P. VI, 5.*

Quæst. ad 1. membr. pertinentes: explicatio vnde petenda.

Ad primum membrum pertinent variæ quæstiones, vel generatim & communiter loquendo, vel seorsum de hac aut illa ciuitate. Ita e.g. communiter disputatur, an magistratibus liceat arma expedire, aut subditis? vel contra vim externam, vel contra eos, qui summam potestatem in ciuitate habent, sed ea abuti videntur.

(Res, post *Gerhardum*, qui ante omnes consulendus est, diligenter tractata *Grotio de I. B. I, 3, 4. & 5. It. I, 4. per tot.*)

Seorsum autem apud Juris Publici Scriptores inquiritur, quid de jure belli competat Imperatori? quid Principibus & Ordinibus Imperii seu coniunctim seu singulis? item, an contra ipsum Imperatorem?

It. in 2. membro.

In secundo membro, eadem quæstionum distinctio locum habet; simulque obseruandum venit, ne quæstio juris cum quæstione consi-

consilii confundatur. videantur *Limnæus de I.P.* 4,8. *Schütz. vol.*2. *Colleg. I.P. disp.*10. *Reinking. de reg. S. & Eccl.* 2, 3, 1.

Quid alias huc conducatur.

Quæ ab aliis huc conducuntur, *tum* de justis iniustisue aut dubiis belli causis, *tum* de modo & tota ratione bellandi, effectuque armorum & militiæ: de iis sciendum est, quod proprie ad alium locum pertineant, si velimus partite hoc argumentum exequi. Atque de illo quidem capite (quod propius huc spectat) satis diligenter *Grotius* egit: de hoc *Lipsii (pol. lib.*5.) egregia designatio est, quam diffundere conati sunt *Chokier in thes. Polit. & Gabr. Naudæus in Syntagmate de studio militari*; cum Scriptoribus rei militaris alibi nominandis.

De Jure Pacis seorsum quædam annotantur.

Ius pacis faciendæ penes eosdem esse, penes quos jus belli est, ex superioribus patet. Qui nomine pacis etiam inducias comprehendunt, populariter agunt. Accurate enim loquendo, illæ ad statum belli pertinent, notante *Grotio de I.B. III*,21,1. *& seqq.* Annotauimus aliqua de pace, *annotat. V. ad cap.*10. *lib.*1. *Tac.* add. Differt. de *Amnestia Schütz. Colleg. I.P. vol.*2. *disp.*12. Qui exempla quærunt specialia, in quæstione juris, legant, quæ de pace religionis & novissima Osnabrugensi multis opusculis disputata sunt. Quæstio consilii, ab auctoribus militaribus partim tractatur; partim ad alium Politicæ institutionis locum pertinet, vbi de cura & studio Pacis differitur. Quo etiam retuleris ejus generis scripturam, qua *Frid. de Marselaer* vti-

tur, quando *in Legato suo ostendit*: *Quibus rationibus Pax, quibus item Bellum suaderi soleat.*

CAP. IIX.

De
Jure Fœderum faciendorum.

Jus Fœderum vnde peti debeat, ostenditur.

JUs Fœderum faciendorum *Arnisæus* partem facit juris belli. Sed quia aliis quoque nominibus fœdera ineuntur, seorsum quoque tractari potest.

Superest de natura conuentionis & pactionis.

Bene de hac materia meritus est *Grotius* de *I.B. II,15.* cum 1. tractat discrimen inter fœdus & sponsionem (sine quo non recte intelligi potest, quomodo Jus Fœderum Maiestati competat.) 2. Fœderum diuisiones exequitur. 3. de Fœderibus cum profanis gentibus disputat. [Cui disputationi adde, quæ contra fœdera Gallorum cum Turcis, *Patricius Armacanus in Marte Gallico*: & pro iisdem *Auctor Vindiciarum Martis Gallici*, disceptarunt: & si tanti est, *annot. nostr. in c. 2. lib. 2. Hist. Tac.*] 4. de conseruandis fœderibus, siue de eorum duratione & cessatione agit. Quibus 5. adde, quæ capite sequenti, de *interpretatione Fœderum* habentur. De sponsionibus: 1. ad quid teneatur sponsor? 2. an sponsio obliget summam potestatem ex notitia, & silentio?

Disputatio de Fœderibus bellicis, faciendis aut non faciendis, *quæstionem* ἀδιαφορίας, seu, vt vulgo appellant, *Neutralitatis* inuoluit, tractatum à Junioribus sæpe, præsertim peculiari

culiari opusculo à *Neumeiero*, quod seorsum editum, & actis publicis Lundorpianis insertum est. Add. diss. nostram, cui titul. fecimus: *Quies in turbis*.

Scripsit alias præcipue de hac materia *Waremundus ab Ehrenberg*. Scriptores Juris Publici sæpe & à nobis hactenus nominatim laudati, suo more de Fœderibus Imperii, & Imperatoris Romani Vniuersalibus quæ vocant, tum de Particularibus, Statuum inter se aut cum exteris, præsertim de Fœdere Smalcaldico fuse disputant.

(Dictum aliquid hac occasione de Instrum. Pacis definitione circa hanc quæstionem.)

Obseruationes quasdam & exempla quædam alibi attulimus atque considerauimus. Posset, qui exerceri cupit, ex *Jul. Cæs. lib.* 1. *de Bello Ciu. c.* 34. *& seqq.* instituere deliberationem ex parte Massiliensium, Cæsaris ne, an Pompeii, an neutrius partes essent sequendæ?

CAP. IX.

De Dominio Eminente.

QUi inter jura Maiestatis minora referunt *Dominium Eminens, & Vectigalium Tributorumq; jus*, quin vulgariter loquantur, resque maximas, & in quibus singularis splendor maiestatis fulget, minores parum apte appellitent, nemini potest esse dubium. Itaque jam supra indicauimus, quod caussam non videamus, magnifice de illa distinctione sentiendi. Dominium Eminens.

De Eminenti Dominio pauca annotabimus, quæ multis expediendis poterunt inseruire.

I. Frustra à *Feldeno*, & aliis, de nomine *Dominij* controversiam moueri, pro quo volunt *Imperium* substituere. Ita enim etiam Theologi, JCti & Politici in hac materia passim loquuntur.

II. Definitione Dominii Eminentis recte constituta, facile judicari, quid de variis quæstionibus, vel sequestrandis, vel explicandis fieri oporteat. Optime & clarissime *Grotius* describit de *I. B.* I,1,6. & explicat *II*,14,7. addatur *Bodinus de rep. I*, 9. *n.* 103. & quæ nos *ad loc. Grot. cit.* I,1,6. annotavimus.

III. Disputationem de bonis regni alienandis, aut imminuendis, confusius hic tractari; quæ expediri facile poterat, si de modo habendi regnum, adeoque de formula Imperii constet: & subiectum existentiæ maiestatis satis cognitum sit. Rursum præclare fundamenta huius loci constituit *Grotius de I.B. II*,6. & *III*,10.5.

(Videndi Theologi, *Gerhardus in l. de Magistr. Polit. & Commentatores ad* 1. *Reg.* 21. de Vinea Nabothi.)

IV. Vix accurate in hac quæstione distinguuntur, quæ ad materiam de vectigalibus & tributis pertinent, & quæ ad Eminens Dominium proprie spectant. Hinc intricari quodammodo necesse plerumque tractationem.

Cuius rei exemplum licet etiam videre in *Arnis. cap.*1. *lib.*3. *de jure Maiestatis.*

V. Ex

V. Ex neceſſitatis allegatione, propterea interdum difficilius ſe nonnulli expediunt, quia in ratiocinando neceſſitatis articulo, adeoque definiendo neceſſitatis caſu, non ita pronum eſt, pronuntiare.

Habuerunt nobile talis diſputationis exemplum conſultationes Oſnabrugenſes, de Alſatia Gallis concedenda, ita de ſatisfactione Suedica.

(Dictum aliquid de momentis huius quæſtionis.)

CAP. X.

De *Tributis & Vectigalibus.*

Materiæ de Tributis & Vectigalibus partitio.

MAteria de Vectigalibus, & Tributis (vt veteres loquuntur) ſiue de collectis & contributionibus (vt hodie amant loqui) itidem in Juribus Maieſtatis tractatur: poteſtque illis fere capitibus includi: 1. Quomodo hoc jus, & quo nomine competat Maieſtati, ſiue Maieſtatem habentibus? 2. Quid in ſe comprehendat? 3. Ad quas perſonas & ad quas res porrigi debeat aut poſſit? 4. Modus ſiue Quantum, vnde definiri debeat? 5. Adminiſtratio in exigendo qualis eſſe debeat? 6. Adminiſtratio in diſpenſando, quo jure requiratur, aut conſilio commendetur? 7. Quæ σοφίσματα ſeu arcana in hoc argumentum concurrant? 8. Quæ totius ærarii, in rep. œconomia? Non opus erit de ſingulis aliquid dicere, cum præſertim hæc materia multis magniſque voluminibus tractata ſit, quæ in omnium manu verſantur. Quis enim non

vidit

vidit *Obrechti secreta Politica*, *Hermannum Latherum de Censu*, *Klockium de contributionibus*, *Fausti Ærarium* &c? ne de Politicorum Systematum & Juris Publici Scriptoribus aliquid dicam.

Ad singula membra annotatio.

1. Competit hoc jus maiestati, ob erogationes nomine publicô faciendas. In omni enim Reip. forma pecunia publica conficiatur necesse est, inquit Mæcenas apud *Dionem lib.52.* Exempli loco ibi ponitur defensio reip. siue armorum necessitas: sicut etiam apud *Tacit.4. H.14,2.* Accedunt stipendia ipsis imperantibus debita. Mensura horum omnium est ex necessitatibus reip. petenda: sed extendit eam summa prudentiæ ratio etiam ad largitiones. vid. *Tac.13. A.50. & 51.* adde *Schütz. Colleg. I. P. vol.2. disp.11. th.1.* vbi etiam de jure diuino.

2. Quid in se comprehendat hoc jus, vid. apud *Arnis. de I. M. lib.3. c.7. §.1. 4. 8. Bodin. de rep.6,2.* vectigalia, tributa, exactiones, veteribus dicuntur? suntque vel ordinaria, vel extraordinaria: vel ad ærarium totius reip. vel ad fiscum Principis spectantia. *Operæ rusticæ*, & quæ sunt eius generis, ad affinia potius pertinent.

3. In hoc membro duo præcipue in considerationem veniunt. 1. de exemtione & priuilegiis clericorum aliarumque personarum. de illis egit *Arnisæus de exemtione Cler. cap.4.* de ceterorum immunitatibus, scriptores J. P. passim *Althus. polit. c.15.* 2. de obiecto quæri præsertim solet, quibus ex rebus tributa exigi debe-

debeant aut possint. vbi vid. quæ notauimus ad *Herodian.* 2, 4.

4. Iterum vid. notata ad *Herodian.*

5. De hoc *Lips. vid.* 4. *polit.* 11, 76. *& seqq.*

6. Iterum *Lipsium vid.* 4. *polit.* 11, 93. *& seqq.*

7. Pertinet huc ærarium sanctius apud *Liu.* 27, 10. *& Jul. Cæsar. bell. Ciuil.* 1, 14. subsidia regni apud *Tac.* 12. *A.* 7. Instar omnium exemplorum possunt esse σοφίσμα Henrici VII. Angliæ Regis apud *Baconum.* Arcana tyrannica eo spectant, vt expilati subiecti imbelles fiant.

8. De œconomia ærarii *Obrechtus* consulendus. & exempla variorum regnorum.

CAP. XI.

De
Jure Monetæ &c.

AD jura maiestatis referri multa alia solent. De quibus suffecerit, quæ sequuntur, annotasse. Quæ præterea à nonnullis jura maiestatis ponantur?

Et quomodo quidem *Jus monetæ* proprie ad jus nomotheticum referri debeat, in lectionibus Politicis aliis satis dictum est: Laudatis etiam scriptoribus, quibus omnino addatur *Goldasti Catholicon rei numariæ.*

Idem sentiendum de *Mensuris & Ponderibus,* de *Nundinis,* de *Lingua.* Quæ omnia legibus determinantur. itaque veteres peculiaria jura maiestatis non numerarunt. Quantum attinet ad *jus viarum, fluminum, portuum, metallorum, bonorum derelictorum, thesauri, venatio-*

nis, hæc omnia ad ſtipendia imperantium & reditus publicos pertinent, & partim ad rem tributariam, partim ad legislationem & conuentiones reip. referuntur. videndus omnino *Grotius de I. B. II, 8, 5. & 6. & 7. Arniſæus de I.M. III, 4. & 5.*

CAP. XII.

De Judiciis Maieſtatis.

De Judiciis Maieſtatis.

POſtquam ergo naturam Maieſtatis & partes conſiderauimus, reliquum eſt, vt de *Lege & crimine Maieſtatis* aliqua ſubiiciantur.

Quamquam id jam alibi à nobis factum eſt, in lectionibus Politicis. Petitis ergo inde, quæ annotata ſunt, ſupplementi loco, ſequentia ponimus.

1. Juuerit nobiles hiſtorias judiciorum maieſtatis particulatim conſiderare. Quod in hiſtoria Philotæ alibi fecimus.

2. Inquiri vtiliter poteſt: vtrum de maieſtatis crimine melius accuſati, an defenſi ſint, quorum cauſſæ ponuntur apud *Sen. in controu. lib.4. contr.25. It. 5, 33. & 34.*

3. Quanquam in cauſſis maieſtatis, plerique omnes conſiliarii & adiutores Principum, tutiſſimum regno publice, ſibi priuatim exiſtimant, diſtrictius philoſophari: non debent tamen obliuiſci, cautionibus, quàm acrioribus judiciis aliquando plus conſuli vtilitati regnorum, ſicut in exemplo ſuppliciorum

ctiorum Hornani & Egmontii Comit. ex historia Belgica demonstrari solet.

4. Præcipuum momentum est, in ipsius Principis prudentia & moderatione, si resp. talem nacta sit. Ille enim semper cauebit, ne suæ personæ magis, quam salutis publicæ rationem videatur habere. Licet enim in monarchia, vere sic dicta, verissime dicatur salus publica in Principis salute contineri, non tamen desinit in Principe omnis respectus personalis, vt sic dicam. Vnde prudentissimi Principes Augustus, Tiberius, alii frequenter distinxerunt, quid in remp. quid in se commissum dici deberet.

5. Quomodo in monarchiis, quomodo in Aristocratiis, itemque Democratiis tractari soleant hæc judicia, breuiter expositum est in ipsa lectione.

6. De loco *coniecturæ*, de loco *definitionis*, itemque de *culpa silentij*, alibi actum est.

LIBER III.

CAP. I.

De

Formis Rerumpublicarum.

POstquam de Maiestate & eius juribus actum est, consequitur, vt de Rerump. formis agatur: vniuersè primo, deinde singillatim. Cui tractationi hic liber destinabitur. De Formis Rerump. hoc libro agendum.

Non

Non repetemus nunc ea, quæ de Formis Rerump. egimus ad locum πολυθρύλητον *Tacit*.4. *A*.33,1. *in Notitia Reip.*

quas Aristoteles memorat ac definit.

Aristoteles de hac materia incipit agere *lib*.3. *Pol. c*.6.*&* 7. Illo diuidit *formas reip.* (cuius definitionem *lib*. 1. attulimus) in *rectas* & *declinantes*: hoc vtriusque generis *numerum* & *definitiones* ponit.

Rectæ vnde æstimentur?

Quando de *rectis* tractatur, prolixe commendari solet *boni publici cura, non nisi virtutis auspicio obtinendi. (v. Arnis. relect. polit. lib.*2. *cap. sect*.3. *& Lips*.2. *pol. c*.6. *& seqq.)* Distin. rect. & optima.

Diuisio formarum vnde petenda:

In *distinctione* formarum multa scholasticè disputantur, vnde petenda sit diuisio rerump. Licet enim de summa potestate ambigi nequeat, quod penes eam sit radix quærenda diuisionis: quomodo id fieri tamen debeat, non ita in aperto est. Late *Arnis. relect. polit. lib*.2. *c*.1. *sect*.4.

Numero senario; adiicienda septima species mixtæ formæ:

De numero trium formarum rectarum, quibus totidem declinantes & παρεκβατικαὶ opponuntur, satis inter veteres ac juniores conuenit, quanquam vocabulis alii aliter interdum vtantur.

De sola quæ ex simplicibus formis componitur, & mixta appellatur, disputatio est: *An talis forma detur?* Erudite & fuse de hoc argumento *Arnisæus egit relect. polit. lib*.2. *cap*.6. *sect*.1. caute tamen legendus 1. quia argumenta à Physica mixtione desumta ita tractauit, vt inuoluant potius hanc materiam, quam expediant. 2. Quia in exemplis histo-

ricis

ricis aliquando penitioris cognitionis deliquium passus est. Illud bene factum ab eo, quod *modum administrandi* à *forma* accurate distinguendum in hac disputatione monuit.

Pendet hæc quæstio à diuisione maiestatis in partes subiectiuas, de qua *lib.* 2. *cap.* 2. *principio* egimus; *auctoresq;* laudauimus, cordate & ad vsum vitæ accommodate in eo argumento versatos.'

Quæstio de præstantia, seu quæ ex formis rerump. optima, quibus obseruationibus & cautionibus expediri debeat, ad locum *Taciti* ante laudatum satis ostendimus. Nunc illud tantum notamus, vix vnquam hanc disputationem ad liquidum perduci; dum maximi etiam viri, amore & reuerentia reip. in qua viuunt, alium ei Statum præferre verentur. Prærogatiua. cui debeatur formæ?

' (Dictum hac occasione de *Aristotele, Platone, Grotio.*)

Add. *Bodin.* 6. *de Rep.* 4.

CAP. II.
De
Regno.

DE Regno agentibus, seu de Monarchia (quæ vox latior est) præcipua difficultas occurrit in definiendis distinguendisque speciebus. Cetera facile explicantur. Caussam dubitandi disputandique *Aristoteles* dedit, cum Regnum vnius imperium, ad vtilitatem & felicitatem parentium directum; Tyrannidem, vnius imperium, ad vtilitatem imperantis, describeret: species regni non satis expli- De regno disputatio intricatur à multis. *Arist. lib.* 3. *pol. cap.* 5. *&* 10. *& seqq.*

explicate traderet: & differentias regni ac tyrannidis ſubtilius, quam in vſu vitæ conducit, conſtitueret. Hinc contra Ariſtotelem *Bodino* aliiſque diſputandi occaſio nata: ceteris Philoſophum defendentibus, ſicut, ne de pluribus dicam, ex *Arniſæo* patet.

2. de rep. 2. & 3.

Relect. polit. lib. 2. cap. 2. ſect. 15.

In his ergo diſputationibus, quin multa dicantur, quæ rem parum expediunt, non dubitabit, qui cum judicio legerit.

Diſtinctio regnorum planior.

Omnium optime & ad vſum accommodatiſſime *Tacitus* diſtinxit 12. *A.* 11,2. & 1. *Hiſt.* 16,7. in *Regnum ciuile*, & *Regnum herile*; quorum illud, vt in liberos; hoc vt in ſervos exercetur.

An herile regnum ſtatim pro tyrannide habendum?

Quo poſito, id tantum dubitatur: ſitne omne herile Regnum pro tyrannide & vitioſo ſtatu habendum? cum præſertim Ariſtoteles dicat, παρεκβάσεων proprium eſſe, ſi reſp. non primario ad parentium bonum adminiſtretur. Contra quam ſententiam (*Althuſio* defenſam confuſaneo illo & φορτικῷ diſputandi genere, quo Reges omnes pro magiſtratibus habet *c.* 9. & 24.) *H. Conring. de ſubiecto ſummæ poteſtatis*, & *Grotius de I.B.* 1,3,8. notabiliter diſputarunt. Cordata ſunt verba *Philippi Melanchthonis*, *in epitoma Phil. mor. p.* 249. *ſciendum eſt, diſſimiles eſſe formas regnorum*; *& alibi alios eſſe gradus libertatis. Approbat autem Deus omnes formas imperiorum rationi & naturæ conſentaneas.* Videnda omnino *eiusdem annotatio in* 3. *Polit. Ariſtot. p.* 280. vbi quæſtio mouetur: *quam regni ſpeciem approbet Deus?*

An

An etiam *fœminæ ſint capaces ſceptri*, in theſi otioſe diſputatur, &, quotiens conuitia in ſexum adduntur, impie: in hypotheſi, ex legibus & moribus gentium judicatur: ſicut apud Gallos Lex Salica eſt, de qua vid. *Limn. I.P. II,2,24. & ſeqq.* De fœminis ſceptri capacibus.

(Male tamen ſub Fœminis afflictam eſſe Galliam, hac occaſione dictum.)

Modus capeſſendi Regnum, vel Electio, vel Succeſſio. vtra melior, diſputatur? De modis regni capiendi.

(Dictum de *Lipſii tractatione 2. polit. 4. Barclai. Argen. lib.1. Annot. ad 1. Hiſtor. Tac.15. pag.33. & ſeqq. Arniſ. relect. polit. lib.2. cap.2. ſect. 4. &c.*)

Sunt & alii modi, de quibus *Auguſtinus Niphus de peritia regnandi lib.1.*

In *Electionis negotio* pernoſcendo, multum confert *hiſtoria Comitiorum Germanicorum* in Electione Impp. *Polonicorum*, in Rege conſtituendo. *Conclauia Pontificum Romanorum.* Electionis negotium.

In *ſucceſſione*, pleraque quæſtio in jure & lege ſuccedendi verſatur: notabiliter tractata *Grotio de I. B. 2,7.* Succeſſio.

De *virtute Regia*, & animo Regio ideo non opus eſt generaliter agere, quia virtutes ad imperandum idoneæ & validæ omnibus formis rerump. ſunt communes. Niſi quod quiddam ſpecialioris notæ ex hac aut illa forma induunt. de qualibus characteriſmis hiſtoria prudenter ſcripta. Virtus Regia.

Prudentiæ tamen Monarchicæ regulas in conſeruando & firmando regno, in moderando adminiſtrandoque, partim tradidit *Ariſtoteles lib.5. pol. c.11.* Prudentia Regia.

(De quo dictum.)

Partim alii, qui diuiſerunt, in rectas, obliquas, manifeſtas, occultas. Adeundus *Forſtnerus not. ad Tac.* 12. *A. p.*179. *& ſeqq.*

Dedimus alibi breuiarium artium Monarchicarum: quæ ſæpe tales ſunt, vt bonis maliſque Principibus in vſu ſint; ſæpe malo propoſito, bono ſchemate vſurpantur. Vid. ſi lubet, quæ annotauimus etiam *ad* 1. *A.* 6. *de arcanis domus &c.*

CAP. III.

De Tyrannide.

Tractatio de Tyrannide quibus membris abſoluatur?

REgno opponitur Tyrannis ſeu Imperium vnius, ad explendam animi libidinem per fas & nefas tendens.

Occurrunt hic 1. Tyrannidis notitia: 2. diſtinctio. 3. opera ſeu ſpecimina. 4. remedia.

I.

Deſcriptio & notitia Tyrannidis.

Non eſſe ſemper facile pronuntiare de *Tyranno*, experientia docet. *Politici* has obſeruationes ſeu cautiones ponunt: primo, *non eſſe ſtatim Tyrannum, qui remp. ſegniter tractat*: ſecundo, *non quæuis vitia priuata tyrannum arguere*: tertio, *non ſtatim tyrannum eſſe, qui tyrannica agat, ſed qui tyrannice agat.* ſed iſta quidem facile definiuntur: maxima hodie difficultas in *jure Regnorum diſcernendo* conſiſtit, quale ſit e.g. in Anglia, in Gallia.

(Dictum de nupero exemplo R.A. an tyrannidis merito accuſetur. *Salmaſ. def. Reg.*)

Ibi

Ibi enim ſtatim & de plano pronuntiant multi: *Qui poteſtatis ſuæ limites egreditur, tyrannus eſt.* Atque licet maioris loco hoc concedatur (quod tamen ſine cautela non eſt faciendum) minoris probatio plerumque non minimas ambages habet; per quas fit, vt ad concluſionem cunctanter & ægre veniendum ſit.

(Dictum de tyrannide Pontificia in tyrannis declarandis.)

Vt autem in ceteris omnibus, ita hic ambiguus vocabuli vſus, quo nonnulli liberius, alii aſtrictius: aliqui proprie, quidam populariter vtuntur, nemini debet imponere.

II.

Diſtinctio, vt Tyrannorum alius vſurpator poteſtatis alienæ; alius vexator & oppreſſor reip. habeatur; alius denique titulo & exercitio tyrannidis infametur. Late *Arniſæus relect. polit. lib. 2. c. 3. ſect. 6.* Eſt & illa *Ciceroni* probata diſtinctio in *Piſiſtratiſmum* & *Phalariſmum*: vnde & mixtum genus naſcitur. Diſtinctio.

III

Notæ ac ſpecimina tyrannidis recenſentur ab *Ariſtotele 5. pol. 11.* quæ diligenter explicat Piccartus & deſcribunt plerique; inter eos *Bartolus in tr. de tyrannide*; ut incautius videatur agere *Anti-Machiauellus præfatione lib. 3.* quod ipſius *Bartoli* inuentioni & auctoritati iſta tribuit. Notæ Tyrannidis ſeu flagitia tyrannidis.

(Dictum de illo auctore.)

Septalius quoque *in libr. Ital. de ratione Status*, pleraque explicauit.

(Dictum de hoc etiam Scriptore & Scripto.)

Addendus est *Lipsius 6. Pol.5. Tacitus* inter præcipuos.

IV.

De remediis. Deremediis ardua quæstio, tractata Theologis, JCtis, Politicis. vid. *Gerhardus de Magistr. Polit.* §. 485. *An Tyranno resistere, eiusq; jugum vi armata subditi excutere* possint? *Guil. Barclai. contra Monarchomachos*, vbi respondetur etiam argumentis *Bruti, Rossæi* & aliorum. *Hortlederus tom.2. lib.2. de caussis belli Germ. Bodinus 2. de rep.5.* Accurate *Grotius de I.B. I,4.*

CAP. IV.

De
Aristocratia.

Aristocratia. DE *Aristocratia*, quæ nunc sequitur, alibi egimus. Definitio eius ex *Arist.3. pol.7.* non tam repetitur, quàm colligitur à *Cellario*. estque tota huius materiæ tractatio nuspiam conjunctim apud *Philosophum* tradita, sed passim dispersa. vid. *Arnis. relect. pol. lib.2. cap.4. sect.1.* & *Conringius de gradibus oligarchiæ, de formanda oligarchia & formata.* In nomine non est argutandum. Qui *Optimates* semper volunt intelligi optimos virtute homines, non recordantur historias & tempora. Id sanè intendit quælibet ciuitas, vt optimus aut optimi quique præsint. sed in humanis magna est imperfectio, qua prohibemur

opti-

optimum ſemper finem indipiſci. Experientia docuit, plerumque *genus* in Ariſtocratiis ſpectari conſueuiſſe. *Cicero in Orat. pro Sextio* multa de *Optimatibus* differit; ſed ita, vt officium eorum & virtutem, non ſtatum, deſcribat. Incautius tamen hac in re loquitur *Bodinus 2. de rep. 6.*

Exempla Ariſtocratiæ, quæ *Bodinus* ibi ponit, examine opus habent. Quod *Imperium Germanicum* Ariſtocratiam putat, refutatum eſt jam ab aliis. De *Heluetiis* quoque, quæ differit, non produnt notitiam interiorem illius ſtatus. Venetorum exemplum hodie eſt incomparabile. Aliter id tamen, quam ſentiebat, deſcripſit *Contarenus.*

Ingenium huius Status, & Optimatium propoſita, conſilia, artes alibi expoſuimus, adhibita præſertim *Liuij* auctoritate, qui in hoc argumento eſt incomparabilis. Ceteris, quos ibi laudauimus, adde *Bonfadium.* Ingenia Optimatium &c.

CAP. V.

De Oligarchia.

ILlis recte intellectis, facile erit judicare de *Oligarchia*, quæ plerumque Ariſtocratiæ, vt rectæ formæ vitioſa opponitur; quando nimirum Pauci Remp. non ad ciuium, ſed ſuam vtilitatem adminiſtrant. Oligarchia.

Sicut nimirum in Ariſtocratia *Auctoritas præcipue, ſed ciuilis,* quæritur; ita in oligarchia eminentia inciuilis ſpectatur. *Ibi,* virtus & cum Ariſtocratia contenditur.

ſama & egregiæ artes, loco præſidii ſunt: *hic*, potentia, & opes, & vis iniuſta regnum obtinent: *Ibi*, legum & patrii moris, ſancta auctoritas: *hic*, libido dominandi, cetera opprimit aut obſcurat. *Ibi*, concordia magiſtratuum, pro muro eſt: *hic*, loco ciuilis concordiæ, factio obtinet. *Ariſtocratia*, aliquando Tyrannidem corrigit: *Oligarchia*, tyrannide deterior, plerumque tyrannide, tanquam extremo remedio, rarius monarchia ciuili emendatur.

Eius declaratio vnde petenda? Si auctores & interpretes huius philoſophiæ quæris, primum eoſdem dabo, qui in *diſſ. Polit. de Ariſtocratia* laudati ſunt. Deinde *Salluſt.* præſertim in *Catilina c.* 20. *Theophraſti charact.* περὶ τῆς ὀλιγαρχίας. *Thucyd. Xenophont. hiſtoriam Græc. Hiſtoriam bell. Ciuilium Rom.* apud *Dionem, Appianum, Plutarchum &c.* vbi per multa tentamenta oligarchica, ad abruptam oligarchiæ ſpeciem i.e. triumuiratum Jul. Cæſaris, Pompeii, Craſſi, & poſtea, Octauii, Antonii, Lepidi, peruentum eſt. *Ariſt.* 4. *pol.* 5. *&* 6. 5. *polit.* 3. 6. 8. 6. *pol.* 6. *Plato de Rep.* 8.

CAP. VI.

De

Democratia.

Democratia. TErtia ex ſimplicibus formis eſt *Democratia*; cuius explicationem *Ariſtoteles* diſperſit in plura capita *lib.* 3. *&* 4. *Pol.*

(Dictum de nomine Politiæ & Democratiæ.)

deſcribitur. Eſt ergo Politia ſeu Democratia, quando multi

multi i.e. populus, siue omnes indiuisim Imperium habent, singillatim autem sumti parentium vicem subeunt; & in reip. administratione communem vtilitatem respiciunt.

Qui hanc formam rectis annumerari debere negant, infirmo vtuntur argumento, de quo vide *Piccart. ad* 4. *Polit. Aristotelis cap.* 8. quanquam fatendum est, *Aristotelem* satis obscure illo loco egisse, caussamque dubitandi aliis præbuisse, contra quam alii veterum fecerunt. defenditur.

Ratio administrandi remp. Democraticam, nititur *jure majoris partis*. de quo egregie disputat *Grotius Apologetico c.*8. *It. I.B.* II,5,17. *& seqq.* Jus majoris partis.

(Dictum de disputationib. in hac materia oriri solitis.)

Huc ergo adhibentur *Comitia.*

(Commendata historia Rom. Comitiorum; per ætatum mutationumque variarum vices.)

Scopus est communis vtilitas, sed per *libertatem ac in libertate* obtinenda. vnde libertatis vocabulo ipsa Democratia laudatur. Consistit autem Libertas in æquando omnium jure. Libertas.

Huic scopo obtinendo, prudentiam Democraticam, & virtutem Democraticam siue popularitatem (non quæ Principi inter artificia monarchica commendatur, sed quæ statui Democratico tractando est intenta) alibi commendauimus & explicauimus. vtramque moderatur *Lex*, norma omnis regiminis Democratici. Lex. Virtus & Prudentia Democratica.

Tenendum hic est 1. Male facere eos (faciunt Cautio in hoc argu-

mento obseruanda. ciunt autem multi) qui Democratias rectas à vitiosis non satis distinguunt; &, quæ his conueniunt, illis quoque attribuunt. 2. adeoque, qui omnes indefinite Democratias damnant. 3. Cogitationibus quibusdam suis magis, quàm experientiæ attendunt. Hæc enim ostendit, nullas hodie dari Democratias, quales illi fingunt, i. e. pure & mere populares absque ullo temperamento Aristocratico, aut mixtura. Atque hoc monuisse videtur jam suo tempore *Aristoteles loco citato.*

Proprie huc pertinet Isocratis Ἀρεοπαγιτικός.

(Dictum, an fuerit vnquam, aut esse possit talis Status, qui nihil nisi Democraticum habeat etiam in administranda rep.)

CAP. VII.

De

Ochlocratia.

Ochlocratia. POpuli regimen vitiosum, quod ad libidinem multitudinis, in qua vtilitatem sui status ipsi constituunt, refertur, modo *Democratia* dicitur, modo *Ochlocratia*; quæ vox interdum ita usurpatur, vt deteriorem populi partem præualentem notet.

Summatim designatur. Summa est; si multitudo affectu potius, & impetu animi, quam ratione ducitur; neque ad decus & commodum publicum respicit, sed suæ libidini satisfactum cupit; ex hac regula leges & comitia moderatur. libertatem contentiose exercet, licenter, præfracte, superbe: inimica omni temperamento.

Demago- In tali multitudine plurimum possunt *Demago-*

mago-

magogi, quorum *calliditas* & *importunitas* prudentiæ ac virtuti Democraticæ opponitur.

gica Calliditas & Importunitas.

Multa fiunt, tum in Democratia recta, tum in vitioſa, quæ eadem videntur. Qualia apud *Ariſtotelem* diligenter diſtingui debent. Ita Reges quoque & tyranni multa faciunt eadem, ſed non eodem modo æſtimanda; cum diuerſo propoſito diuerſiſque conſilii rationibus gubernentur.

Facta Democratica diſtinguuntur.

Ceterum de omnibus rebus Democraticis, in vtramque partem, exemplum ſingulare eſt *Athenarum ciuitas*: & inter Scriptores earum rerum *Thucydides* ac *Demoſthenes* præcellunt.

Exempla & Scriptores.

(Dictum de *Liuio, Cicerone*, aliis.)

Democratia vitioſa occaſionem dat oligarchiæ, quæ iterum per monarchiam conuertitur: ſicut de illa ἀνακυκλώσει rerump. *Polybius lib.6. diſſerit.*

ExitusDemocratiæ vitioſæ.

CAP. IIX.

De

Statu Imp. Rom. Germ.

Non intempeſtiuum fuerit, occaſione eorum, quæ de formis Rerump. diſputata ſunt, digredi ad exemplum *Imperij Romano-Germanici, & qua forma regiminis vtatur*, inquirere, ſiue potius ad ea, quæ aliis inquiſita ſunt, non inutiliter aliquid annotare.

Digreſſio de Statu Imperii Rom. Germ.

Prænotanda.

Ante omnia fatendum eſt, quæſtionem difficilem & pene periculoſam eſſe, 1. quia quid-

quid de mixtis formis disputatur, operosius est & obscurius. 2. quia modus administrandi Statum, ab ipso Statu, vbi in rem præsentem ventum est, non vbique expedite dignoscitur. 3. Quia in has disputationes auctoritates tantum intertrimenti inuexerunt, vt rationibus se audeant opponere, siue illarum claritati vmbram interponere. 4. Quia, si vsquam in jure publico, certe in hoc argumento, studia partium dominantur; & ex studiis, artificia, schemata, inuenta disputantium. 5. periculum offensionis vix satis vitatur. 6. genius quoque sæculi in solido fluctuantis metuitur.

Prima difficultas quomodo expediri debeat; dictum est cap. 1. huius libri.

In 2. vt & in tota hac tractatione, requiritur non vulgaris, sed interior, & cum judicio practico coniuncta, politices cognitio.

In 3. Auctorum dignitas reuerenter tractanda, auctoritas veritati postferenda.

In 4. Multa & solerti obseruatione opus est. studiisque partium opponetur non indecore, amor patriæ, legumque fundamentalium. sed & voto obsequii aulici, religio conscientiæ citra reprehensionem intercesserit.

5. Offensionis periculum, modestia tractationis, & cautelis philosophandi mitigabitur.

6. Genium seculi, maiorum memoria, & superioris præsertim sæculi exempla, in solido locare poterunt.

Status

Status Quæſtionis.

A nonnullis ita formatur; *Qualis Imperij noſtri ſit Status, an ſimplex, hoc eſt, Monarchicus, vel Ariſtocraticus, an mixtus ex vtroq;?* Ita *Limn.* I.P. *I*, 10. *& Arumæus diſc. de I.P. tom.* 1. *diſ.* 1. Alii ita quærunt: *An Status Imperij Romani, adhuc hodie, ſicut fuit olim, ſit Monarchicus & Regius?* It. *An Status* Imperij *Rom. hodierni ſit pure Monarchicus?* Ita *Reinking. de Reg. ſæc. & Eccl. lib.* 1. *claſ.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. & *Witzendorſius*: *Bodinus* ita fere tractat hanc quæſtionem, vt inquirat: *an Imp. noſtrum ſit Ariſtocraticum?* 2. *de rep.* 6.

Ἐπίκρισις.

Id in aperto eſſe putamus, quo ſimplicius conſtituatur quæſtio, eo rectius explicationem proceſſuram. Itaque, qui adiungunt comparationem antiquiorum temporum, obſcurant rem, cum *Reinkingio.* Cuius aſſecla *Witzendorſius* fatendum habuit *concluſ.* 1. *Imperij Romani hodierni adminiſtrationem non æſtimandam eſſe ex adminiſtratione Imperatorum priorum ſæculorum, ſed ex conſtitutionibus & actionibus hodiernis.* Et quando quidem in bene conſtituendo ſtatu quæſtionis omnino temporis facienda eſt mentio: rurſus obſcuritatem parit, ſi hodiernum tempus indefinite nominemus: præciſe enim conſtituendus eſt terminus à quo. De antiquis quippe Imperatoribus loqui, & de temporibus, ante Auream Bullam, partim abſurdum eſt, partim alienum. Illud quoque apparet, membra

quæ-

quæſtionis eſſe facienda: *An forma ſiue Status Imperij Romano-Germanici inde à temporibus Aur. Bullæ ſit ac ex lege fundamentali eſſe debeat ſimplex, adeoq; vel Monarchicus ſiue Regius vel Ariſtocraticus: tum, an ſit Mixtus, adeoq; præciſe ex Monarchia & Ariſtocratia mixtus.* ſumtis vocabulis proprie & accurate, ſine mixtura popularium locutionum.

Principia & Fundamenta tractationis.

Reinking. 1,2. 2,247. De his omnino aliquid monendum eſt. Neſcio enim, quid ſibi velint, qui jactant, ſe hanc quæſtionem decidere *ex ſacris literis, ex Jure Canonico, ex Jure Ciuili.* 1. enim certum eſt, in ſacris literis nobis non explicari hanc quæſtionem, in terminis, quos conſtituimus. Quæque inde adferuntur, longe petita ſunt, vocabulorumque homonymia, tanquam velo, inuoluuntur. 2. De jure Canonico alias dictum eſt: & miror, ſi Auguſtanæ Confeſſioni addictus Politicus multum in eo reponat; cum præſertim pleraque, quæ inde adferuntur, terminos quæſtionis & temporis limites, quos circumpoſuimus, non ingrediantur. 3. Jus Juſtinianeum non potuit determinare Statum, ſuis temporibus poſteriorem: multo minus præjudicare poteſt A.B. & reliquis fundamentalibus poſtea conſtitutis legibus. Cumque hæc ſit ardua Juris Publici quæſtio, tenenda eſt regula pleriſque probata, etiam *Limnæo* tradita *I.P. I,3.*

Vt ergo diſtincte noſcatur, quomodo incedendum

dendum, ſciendum 1. *Maiorem propoſitionem ſemper hic ex Politicis deſumendam.* e. g. Fundamentale & indubium hic eſt axioma Politicum: *Formam Imperij accidentalem æſtimandam ex ſubiecto exiſtentiæ maieſtatis ſeu ſummæ poteſtatis.* hunc in modum: *Vbicunq; ſumma poteſtas ſeu Maieſtas cum ſuis partibus ſiue juribus eſt penes vnum, ibi eſt Monarchia.* Et inuicem: *Vbi ſumma poteſtas & jura ſummi Imperij non ſunt penes vnum, ibi non eſt Monarchia,* propriè ſcilicet loquendo, quod hic oportet fieri. Iterum: *Vbi jura maieſtatis partim ſunt penes vnum, partim penes plures, ibi eſt mixtus Status,* ac (deinde procedendo) *mixtura ex Monarchia & Ariſtocratia.* In ipſa mixtura (quanquam forte non eſt ſemper conſultum eo vſque diſputando deſcendere) *ſi plura & potiora jura maieſtatis ſunt penes paucos, præualet Ariſtocratia.*

Quæ omnia ſumi debent præciſe. e.g. 1. citra confuſionem *temperamenti* & *mixturæ.* illud enim modum adminiſtrandi reſpicit: hæc jura maieſtatis ſeu Statum ipſum ſpectat. 2. citra confuſionem vocabulorum. 3. citra confuſionem principiorum in agendo; aliud enim eſt ex jure ſummæ poteſtatis agere; aliud delegata poteſtate vti. 4. citra confuſionem mixtionis phyſicæ, & eius, quæ in moralibus locum habet. Id quod nimis Scholaſtice fit à nonnullis. Atque hic præſupponitur illa quæſtio (de qua ſupra) an omnino detur mixta reip. forma aut dari poſſit?

II. Minor propoſitio deſumitur ex Fundamentalibus Imperii Conſtitutionibus ſiue Legi-

Legibus i. e. Aurea Bulla, Capitulationibus Cæſareis, Receſſibus Imperii & Pragmaticis ſanctionibus. In quibus, quidquid in dubium vocatum eſt, id poſtremis conſtitutionibus, præſertim etiam Inſtrumento Pacis, vel deciſum eſt, vel declaratum. Quod ſi conſtanter hanc viam inſtiterimus, non eſt, vnde falli metuamus. Illi autem, quid aliud quàm volunt falli, qui ſub titulo conſuetudinis & Praxeos, vnum alterumue factum exoſculantur? Proponemus illis hominibus σκέμμα πηλικὸν, & interrogamus, an & quando & quomodo Praxis aliquid à formula fundamentalium Legum diuerſum introduxerit? cumque νομοθεσίαν allegare non poſſint, priori contrariam aut aduerſam præſcriptionem, ex ſilentio probent neceſſe eſt. Id autem eſt τῶ ἀδυνάτων. adeo quauis occaſione, iis, quæ contra formulam Status minus legaliter cœperunt fieri, cordate, diſerte; nonnunquam etiam vehementer contradictum eſt.

Si quis hæc attendat, facile erit ei judicare, quo jure hactenus *Reinkingium* & alios *Limnæus* oppugnauerit; & quomodo ſe illi defenderint. In eo tamen non probari poteſt *Limnæus*, quod ſtudio diſputandi extra oleas proceſſit, & illam diſtinctionem, *inter Statum, & modum gubernandi Statum*, veriſſimam, & veriori ſententiæ nihil minùs quàm obfuturam, reiecit *lib.1. de I.P. 10,24. etiam in Addendis.*

Ariſt. 4. pol.ſ. 6.pol. 4.

Argu-

Argumenta Reinkingii conſiderantur.

Sed veniendum eſt in rem præſentem; vt conſiderentur quædam, in vtramque partem diſputata. Et, quoniam *Reinkingius* inter eos, qui *pure Monarchicum Statum hodie in Imperio obtinere* ſtatuunt, princeps numeratur; aliquid ad argumenta eius annotabimus.

I. Argument. (*lib.* 1. *claſſ.* 2. *cap.* 2. §. 54.) Quicunque habet ſummam & legibus ſolutam poteſtatem in ciues & ſubditos, ille habet maieſtatem ſeu jura maieſtatis ſolus. Atqui Imp. Rom. habet talem poteſtatem: vi legis Regiæ nunquam reuocatæ, aut reuocabilis. E.

Nihil dicemus de maiori propoſitione, ad quam alias pertinet diſtinctio inter *priuilegium Auguſtum*, & *poteſtatem αὐτοκρατορικὴν*, tractata *Jac. Gothofredo in Vlpiano.* Quia enim de *L. Regia* minor loquitur, miror tam ſecure dici: *non potuiſſe eam reuocari aut abrogari.*

Recte enim vidit & monuit *Limnæus in prolegom. ad Capitul. Cæſar. ſect.* 8. §. 7. *& ſeqq.* ante omnia probandum fuiſſe, an Lex Regia Romanorum apud Germanos vnquam in vſu fuerit, aut recepta ſit? Id quod nunquam probari poteſt. Nugantur ergo, qui tam ſecure huic fundamento innituntur, quod nunquam conſtitutum eſt, nec conſtitui poteſt. vnde porro notandum, comparationem potius & ſimilitudinem, quam hiſtoriam ſpectare eos, qui hodie Capitul. Cæſaream, Legem Re-

Regiam vocant, de qua *Carpzouius tractatu peculiari*: & quidem in illa ipsa comparatione, *Lex Regia*, non proprietate vocabuli, aut adæquata similitudine, metienda est, sed locutione minus accurata. De abrogatione ergo legis Regiæ frustra hic quæritur: atque etiamsi quæri posset, imperite tamen diceretur, non potuisse eam vnquam sine scelere abrogari. id quod historiæ & politices gnaris aliunde constat.

Id potius est agendum, vt videamus, quid *Lex Regia Romanorum & Capitulationes Cæsarum Germ. discrepent?* Lex Regia Rom. Principi dabat absolutam & liberam potestatem παμβασιλικὴν, sicut tum ex Pomponii verbis, tum ex fragmentis ab *Onuphrio* (*Commentario in fast. temp. Vespas.*) relatis clarum est. Capitulatio Cæsarum Germ. absolutæ potestati contraria est. vid. *Limn. prolegom. ad Capit. Cæsar. sect.8.* §.3. vi legis Regiæ, rata erant, quæcunque Imperator agebat, siue Lex Regia remouebat omne impedimentum juris & facti, quo Imperatoris actus potuisset in irritum cadere: At vero Capitulatio ita adstringit Imperatorem, vt actus nullus sit, quo Capitulationis limites transgreditur. vid. *Limn. prolegom. ad Capitul. Cæs. sect.10.* §. 5. vi Legis Regiæ Imp. Romanus erat ἀνυπεύθυνος: Vi Capitulationis Imperator rationem reddere tenetur. Imo de solio deponi posse, forte non satis caute (vt alibi ostendimus) disputat ipse *Reinking. lib.1. class.2. cap.2.* §.189. Incaute igitur ad L.Regiam prouocant; qui si obtinere

cupi-

cupiunt, euertant Capitulationes Cæſareas neceſſe eſt. Id quoniam directe nemo audet, indecorum eſt, obliquis artibus graſſari. Qui autem putant, ſe poſſe Capitulationem ad formam Legis Regiæ interpretari, aut alteram cum altera ſtare poſſe, illos miro quodam modo ſapere oportet. Confundent enim omnem philoſophiam, & vocabula artis non ex arte interpretabuntur. An Capitulatio vinciat maieſtatem, quod hic quæritur, infra patebit.

II. Argument. *Reinking.* inde petit, ex communi opinione, *quia ab omnibus regibus & populis fidelibus & infidelibus pro Monarcha habeatur Cæſar.* Reſpondet *Limnæus I.P. lib.1. cap.*10. §.47. Nec ſimpliciter verum hoc eſſe, & teſtium externorum imperitiam nihil præiudicare veritati. Adde, quod hodie non ignotum eſt, quid exteri de Imp. Germanici poteſtate ſentiant, poſſentque huc veluti in locum communem plurima eiuſmodi judicia congregari.

III. Argumentum: *Imperator ſummus eſt, quia nullius Imperio tenetur, quia ciues vniuerſos & ſingulos coërcere poteſt, quia ei omnes tenentur rationem reddere. Primum membrum* obſcure ponitur. vel enim de parte vel de toto ſermo eſt. ſic in mixto reip. ſtatu, qui partem maieſtatis ſeu quædam jura maieſtatis habet, nullius Imperio tenetur, quantum ad illam partem. Non tamen ſimpliciter Summus, aut Monarcha dici poteſt. Deinde ſi ab Imperatore ad Imperium appellari poteſt (quod

prolixe probat *Limn. I.P. II, 9, 107. & seqq.*) non poteſt dici, quod nullius Imperio teneatur. *Secundum membrum argumenti* itidem obſcurum eſt. vel enim ſuo nomine vniuerſos & ſingulos coërcere poteſt Imperator, vel Imperii nomine; vel in omnibus, vel in quibuſdam; vel ex pacto, vel ſimpliciter. Quæ niſi explicentur, parum firma erit concluſio. Ad *tertium membrum* reſpondet *Limnaeus I. P. II, 10, 49.*

IV. Argumentum: *Qui omnibus & ſingulis ex plenitudine poteſtatis imperat, ille verus eſt Monarcha.* Minor ex Receſſibus Imp. probatur. Reſpond. quantum attinet ad vocabulum, *plenitudo poteſtatis,* vid. quæ *Limnaeus* ex *Vaſquio* notat *Prolegom. ad Capitul. Caeſ. ſect. 8. §. 6.* Deinde nota, textus ex Receſſibus Imp. citatos à Reinking. determinare poteſtatis huius ſubiectum & fontem; Imperium Imperatori coniungendo, & propter Imperium Imperatori poteſtatem tribuendo, ſiue nomine Imperii. Tertio nec abſolute dici poteſt, omnibus & ſingulis i. e. vniuerſo Imperio & omnibus eius ciuibus vbique & ſemper & per omnia imperare Imperatorem. ſi enim hoc ita ſe haberet, ad Imperium non poſſet appellari, nec Imperio teneretur rationem reddere, nec Ordinum Imperii conſenſu opus haberet in præcipuis negotiis.

V. Argumentum: *Quia Imperator eſt Ordinum Imperij & Procerum Clementiſſimus Dominus.* ad hoc ſatis reſpondit *Limnaeus.* Probatio ex Euangeliſta petitur crude, neque erudite.

Cum nec concludere ita liceat, & verbo *Clementiæ* aut εὐεργεσίας nulla poteſtas imperantis, ſed virtus imperantium notetur.

VI. Argumentum : *Quia Cæſari omnes & ſinguli obedientiam & ſubiectionem, tanquam Domino & ſummo Magiſtratui, debent, ſubiectiſſimosque ſe vocant.* Reſp. vel hoc de eo accipiendum eſt, quod debetur Imperatori, nomine Imperii; non ſimpliciter, ſed in quantum Imperium aliqua ſuo nomine per Imperatorem vult expediri. vel omnes & ſinguli ambigue iterum vſurpantur. ſi enim hoc verbo exaudias omnes Imperii proceres collectiue, falſum eſt. Fuiſſet autem ad conſtituendam veram Monarchiam omnino neceſſarium.

VII. Argumentum : *Quia omnes Principes & Status præſtant Imperatori homagium non tantum fidelitatis, ſed etiam ſubiectionis.* Bene reſponſum eſt à *Limnæo I. P. I, 10. f.* Notentur verba formulæ ab ipſo Reinkingio probata.

IIX. Quomodo à VII. ſatis diſtinguatur, vix intelligi poteſt. Rurſus enim de ſubiectione, quam Status Cæſari debent, agitur. Neque noua reſponſione opus habet.

Sicut autem in his valde confuſe & imbelli manu agit Reinkingius, ita non magis valide reſpondet ad argumenta melioris ſententiæ.

E. G. Quando *Limnæus l. c. Arniſæus Relect. Polit. lib. 2. cap. 6. ſect. 5.* & alii dicunt: *Ferendarum in Imperio LL. poteſtas non eſt penes Imperatorem, ſed penes Ordines; ſicut Conſtitutiones Imperii*

 perij

perij & praxis Comitiorum monstrant: Respondet *Reinking*. (II,2,109.) *non pertinere ad essentiam Maiestatis leges concernentes vniuersum Statum reip. pro lubitu ferre.* si accurate agendum esset, nescio quid sibi velit illud, *pro lubitu.* si enim τὸ αὐτεξούσιον explicat, bene. sed clarius potuisset fieri: neque enim cæca lubido in legislatore, sed prudens ratio, seu nixa ratione potestas præsumitur. Illa potestas cur non est de essentia Maiestatis? Ecce, leges ferre est Jus maiestatis, contestatissima veteris ac junioris philosophiæ veritate. Jura maiestatis quin essentiales maiestatis partes sint (quanquam alii potentiales vocant) sive essentiam maiestatis constituant; non potest negari. Nam quæ *de exemplis eorum Principum adferuntur, qui in legibus ferendis consilia aliorum adhibuerunt,* vt inde conficiatur, *leges in Imperio Rom. consilio & consensu procerum ferri,* quare *non absorbeatur maiestas*: tantisper ἀπροσδιόνυσα sunt, donec ostendatur, Status Imperii in ferendis ll. se tantum habere, vt consiliarios & Senatum. pridem alii ostenderunt, inique eos ad hunc modum comparari: itemque Status esse auctores legum vna cum Imperatore, ad Status pertinere etiam abrogationem legum. (vid. *Arnis. Relect. pol.* 2, 6, 5, 82, & 84. It. 75. & 78.) confer in ipso *Reinking.* 2, 2, 5, 36. & 37. Illud quoque non satis ad scopum facit, quando *Reinking.* dicit, *non absorberi maiestatem consensu & suffragio statuum probatam.* 1. enim non de tota maiestate hic sermo est, sed de hoc jure maiestatis. 2. etiamsi

de

de consensu hic loqui liceret, non confundendus erat consensus libere requisitus, cum eo, qui necessario requiritur, & sine quo legislator nihil potest agere. *Quod ex jure convocationis Comitiorum* (de quo tamen abunde responsum alias est) & *ex jure proponendi Cæsari reseruato*, infertur immotum in Imperio prædominantis Monarchiæ fundamentum (ex *Bertramo de Comitiis membr. 5. & 65.*)nulla philosophia politica nititur, & facile refutari potest exemplis in contrarium valentibus. Jam quod dicitur, *leges in Comitiis non Statuum, sed Imperatoris solius auctoritate, promulgari & sanciri, indeque præcipuum robur & auctoritatem legibus conciliari,* satis infirmatur per ea, quæ tradit *Bertramus de Comit. membr. 5.* §.74. Quod *de Fiscali Cæsareo* additum est, quale sit, per se apparet.

Quando *Limnæus* & alii, melioris sententiæ fautores, dicunt, *Jus belli non esse penes Cæsarem, sed penes Ordines Imperij*: Resp. *Reinking.* 1. petendo principium nimis manifesto, negando penes Ordines esse illam potestatem, quia jus belli maiestati soli competat, adeoque Cæsari relictum sit, quæ retulisse est refutasse.

(Dictum hac occasione de Gailio frustra citato.) 2. iterum Ordines tantum Consiliarios facit; & Parlamentis Galliæ & Angliæ comparat. quod qui concoquere potest, valde firmo stomacho indiget. An ridiculum insuper est, quod de Regno Polonico addit? certe ita proditur aperte causa, quam tuendam susceperat. *Witzendorfius* & *alij* præclare se expediunt,

diunt, ad Legem Regiam antiquorum Imperatorum prouocantes. De qua re ante dictum est.

Atque ita fere in ceteris Juribus maiestatis illi procedunt. Quid attinet enim, per singula ire? illud hic notari velim, non carere artificio propositum Reinkingii, cum Bodinum præcipue sibi refutandum sumit, verbosoque discursu se diffundit citra necessitatem: *Bodinus* enim rerum Imperii imperitus miscuit aliena, etiam falsa. Quibus reiectis, nondum vicit, qui hoc agit. Alia enim sunt, quæ fortius exdediri depebant.

Jam, quando de *mixto Statu* agitur, tum vero *Witzendorfius* (*conclus.* 3.) μάλα φορτικῶς: 1. Mixtionem ad administrationem Imperii, non ad Statum referendam. 2. veram mixtionem ab apparenti distinguendam. 3. veram mixtionem ita definiri, qua tres Rerump. formæ ita permiscentur, vt incertum relinquatur, quo nomine resp. illa denominari debeat. Atqui talem non dari.

(Dictum de his qualia sint.)

His obseruatis nihil poterit obscurum esse in hac quæstione: Præcipue autem huc referri debet quæstio de Imperatoris potestate, e.g. apud *Limn.I. P.II,9.* itemque de potentia, libertate, & Juribus Statuum Imperii 4,8.

Erudite & diligenter in hac quæstione versatus est *Lampadius in Rep. Romano-Germ.* cuius præsertim admonitio *part.* 3. *cap.* 14. §. 27. *&* 28. notari debet.

LIBER

LIBER IV.

CAP. I.

De Caussis conseruantibus & destruentibus Resp. in genere.

VIdimus, quæ ciuitatem constituant, tum in iis, quæ faciunt vt sit ciuitas; tum in iis, quæ faciunt vt talis sit, id est, tali forma. Non alienum nunc erit de iis rebus agere, quibus ciuitas vel conseruatur, firmatur, augetur; vel infirmatur, diminuitur, destruitur. De caussis conseruantibus & destruentibus Resp. nunc agendum.

Aristoteles initio 5. Polit. ita partitur hanc materiam: agendum *ex quibus rebus & quot & qualibus Resp. mutentur: quiq; sint interitus singularum Rerump. & ex quibus in quas maxime mutentur: praterea quæ sint salutes & communiter omnium & seorsum singularum: præterea, per quæ Resp. quæq; maxime conseruetur.* In quibus verbis præclare illud monet, duos esse huius disputationis veluti fontes; si primum in genere agatur, de iis, quæ Remp. iuuant, firmant, seruant, amplificant; aut vicissim lædunt, infirmant, minuunt, destruunt; deinde specialiter: quid huic aut illi Reip. vtile noxiumue sit. Quod posterius membrum scilicet ita extendendum est, vt non tantum e. g. notet, quid Monarchiæ, Aristocratiæ, &c. prosit ob- Partitio materiæ.

ſitue. ſed etiam quid huic Monarchiæ, quid illi Monarchiæ, & ſic deinceps. Occurrit enim in unaquaque Reip. forma non vna diuerſitas, quæ huius argumenti rationes non ſinit ſemper vnas eſſe.

Lib. 4. polit.

Ad omnem reip. formam ſeruandam iuuandamque quæ pertinent, *Lipſius* in *vim* & *virtutem* tribuit: ſub quibus titulis multa complexus eſt. Nos ad tria capita reuocabimus, quidquid huius generis eſt, vt dicamus: *Omnes Reſp. ſtare, formari, augeri, Fortuna, Viribus ſiue Potentia, & Virtute.*

CAP. II.

De

Diuina Prouidentia in Rebuſp. conſeruandis.

Fortuna Rerump. ſeruatrix & amplificatrix.

F*Ortuna* nobis erit, Diuinæ Prouidentiæ circa Reſpublicas cura & diſpoſitio, quæ vt homines, ita Reſp. facit *creſcere, florere, concidere, reſurgere, Vellei.* 1, 7. adde *Orat. de Hiſt. Vellei.*

Senſu Chriſtiano;

In ſacris literis illuſtria ſunt monumenta huius curæ, in iis, quæ de conſeruatione & incrementis Reip. Hebræorum in propheticis ſcriptis traduntur; de quibus alias. Nunc *Pſalm.* tantum 46. 87. 127. laudabimus. In *Patribus Auguſtinus* ſæpius hoc agit. vide præſertim de *Ciu. D. lib. 5.* Vbi etiam à Stoica neceſſitate, quam plerique Ethnicorum Scriptorum

rum in hanc materiam inferunt, liberat fatalem rerum contextum.

Sicut autem Stoici in eo excesserunt, quod *necessitatis fatalis* nescio quem *rigorem* confingerent: ita vicinum errorem fouerunt, qui *fato Astrologico Respublicas regi* crederent. Epicurei autem *fatum siue Diuinam Prouidentiam plane ab hoc negotio exclusam esse* voluerunt. Aduersus quæ eximie erudita sunt, quæ disputat *Gassendus in Physiologico opere, quod Deus curam rerum humanarum gerat*; tum *in Philosophia morali* de *Libertate, Fortuna & Fato*; itemque rursus in *Physiologia, de Præsignificationibus Siderum.* adde *not. ad Vell.* 1,8,4. Diligens est etiam in hoc argumento *Richterus in axiomatibus.* — Exclusis erroneis sententiis.

Veræ autem huius loci philosophiæ vsus & praxis ita intelligetur, vt quidquid ad rerump. tutelam, salutem, amplificationem pertinere peculiaribus deinceps nominibus docetur, id omne & à diuino munere procedere, diuino auxilio prouenire seu valere, & diuino moderamine dirigi credamus. — translata in rem præsentem hæc philosophia.

CAP. III.
De
Potentia.

Vires & *Potentiam* duabus rebus contineri, palam est: *si & rerum necessariarum vtiliumque abundantia adsit, & non desit facultas tuendi sua, aut etiam acquirendi aliena.* De priori genere alio libro singillatim declarandum, quæ res ad ciuitatis αὐτάρκειαν requi- — Dilatis viribus siue opibus necessariis, de Potentia agendum.

 rantur;

rantur, siue quibus copiis ciuilis vitæ abundantia definiatur.

Ciceronis distinctionem sequendo.

Diuidit ad hunc modum etiam *Cicero 2. de Inuent. 56. illas res, quibus incolumitatem ac libertatem retinent ciuitates, ab iis, quæ jam quiddam magis amplum & minus necessarium conficiunt*; siue, *quibus non illud solum conficitur, vt saluæ & incolumes, verum etiam, vt ampla atq; potentes sint ciuitates.* Et prior quidem illa pars, caussis conseruantibus; posterior, augentibus debetur: vtraque autem, & incolumitas, & potentia, hic tractari posset, nisi certas ob caussas, peculiarem in locum enumerationem ac descriptionem rerum, ad incolumitatem facientium, reseruaremus.

Partes Potentiæ indagando.

De illa igitur, quæ proprie potentia dicitur, hic agendum. Cui *Cicero* tres partes assignat, *Vrbium exornationem & amplitudinem, quandam excellentem pecuniæ magnitudinem, amicitiarum ac societatum multitudinem.* Vnde apparet, Potentiam niti vel *Domesticis* præsidiis, vel *Externis*. *Domestica* clarius retuleris ad *Virorum, Locorum, Pecuniæ, Armorum,* robur atque copiam. Externa in *fœderibus* & *societatibus* consistunt. De singulis actum plenius in *Dissert. de Potentia Ciuitatum.*

CAP. IV.

De Armis.

De Armis.

ADdimus *Arma*, quæ subintellecta *Ciceroni*, vel ex definitione *Potentiæ*, quam subiun-

jungit, licet animaduertere. Nec male huc respicit *Machiauellus*, quando de Viribus ac Potentia Principis ita judicari vult, an tantum virorum ac pecuniarum habeat, vt suis ac domesticis opibus exercitum possit parare, ac alere, quem cuicunque hosti ausit opponere: Qui enim hac facultate destituitur, potens nullo modo dici poterit, quippe qui semper alieno præsidio se tueri cogatur. *in princip. c. 10.*

In hunc locum referuntur, quæ in descriptione Imperiorum & Statuum mundi occurrunt, de Armorum modo, apparatu, dispositione. Quæ diligenter inter se conferenda & judicanda sunt: vt obseruetur, respondeatne magnitudini Imperii aut Status armorum copia? quomodo miles alatur & sustentetur? quomodo respectu limitum, hostium, accolarum, omnia sint disposita?

Lipsius (4. *pol.* 7.) *Arma* partitur in *Milites* & *Munimenta*. Milites rursum facit *Custodes*, & *Exercitum Ordinarium*. Nostro proposito commodius erit, ita partiri: vt Armis tribuamus *Viros*, *Apparatum siue Instrumentum Militare*, & *Munimenta*.

Viros militares, ab officio & vsu licebit distinguere in *Custodes & Satellites*; *Milites Ordinarios ac perpetuos*, *subsidiarias copias siue ciues more militiæ exercitos*. Custodes.

De *Custodibus* & *Satellitibus* præcipuæ cautiones & consilia ad Statum Monarchicum pertinent, de quibus abunde *annot. 2. ad 1. A. Tac. cap.* 7.

Circa *Milites Ordinarios* præcipuæ disputationis Ordinarii Milites.

tionis eſt, quomodo alantur, ac habeantur, ſine ingenti incommodo ciuium. Id enim ſi fiat, inciuile eſt; & herilibus Imperiis, quam ciuilibus, conuenientius. ſicut in dominatione Ottomannica videmus.

Eſtque hæc res in primis ardua: neque illis ipſis militiæ artificibus Romanis diſpoſitu ita facilis, quin ſemper querelis locus fuerit. Cum enim duo ſint bella, quibus hominum vita infeſtatur (ſicut eleganter diſſerit *Libanius Oratione aduerſus ingredientes*) vnum quod armis ferroque conſtat contra extraneos; alterum internum, quod in pace etiam mutuis maleficiis geritur: abſurdum fuerit, illud huius cauſſam facere & fomentum. Habemus imaginem huius mali *in Oratione Libanij de Patrociniis Vicorum.* Adde *Jac. Gothofred. diſc. Hiſtor. ad L. Quiſquis. cap.*10. *&* 13. Quibus autem remediis occurri huic malo debeat, vide erudite deliberantem *Barclaium* 4. *Argenid.* vbi tota materia de habendo commode & vtiliter milite ordinario tractatur.

Subſidiarii milites. De *ſubſidiario milite*, ſiue *ciuibus more militiæ exercendis*, *Lipſius* egit 5. *pol.*11. Nulla hodie pœne eſt Ciuitas, quin tale propoſitum præ ſe ferat: ſed ſatis ſomnolente iſta res adminiſtratur propter has cauſſas, vt arbitror: quia qui nimis ad audaciam militarem imbuuntur, ferociores & ad ciuilis obſequii modeſtiam impromtiores fieri ſolent. Deinde, quia ex militaribus ciuium ſtudiis, ciuilibus opificiis, & negotiationibus, aliisque rebus

quod-

quoddam impedimentum metuitur. Igitur in Germania fere non amplius temporis huic rei tribuitur, quam quod ludo & remissioni conuenit. Pertinet huc mos vulgaris, sclopos ad destinatum scopum explodendi, propositis præmiis & institutis certaminibus. sunt etiam huius loci constitutiones Imperii Germanici, de exercendis in armis subditis. R. A. zu Augspurg/ *de anno* 1555. adde R. A. *de anno* 1564. Addantur Consilia de bello Turcico, in *Anti-Turcico Reusneri*; itemque *Georg. Obrechti*; *inter secreta Politica*.

Ad *apparatum militarem armorum, siue instrumentum militare, pertinet* tota *Armamentariorum* instructio: quæ hodie constat copia *telorum, munimentorum corporis, tormentario apparatu, ornatu equestri, instrumentis ad faciendum opus, variis machinis, puluere pyrio.* Nam *annonam* in alium locum reseruamus. Apparatus militaris quibus constet?

In omnibus hisce spectatur *copia*, pro modo ciuitatis, *habilitas ad vsum*, respectu temporis, *inuentio ad certos casus, dispositio.*

Tela præcipui generis sunt hodie *gladij, sclopi, hastæ.* Nam quæ antiquioris & rarioris formæ tela in armamentariis asseruantur, pompæ & ostentationi, non vsui militari, seruiunt. Estque hæc pars armamentarii extraordinaria. In *sclopis* hodie obseruandum, vt idoneis opificibus vtamur; ne plus nostris, quam hosti noceant. Tela.

Pertinent huc *Heronis Belopoëtica,* & *Mersenni de Ballistica & Acontismologia.*

Munimenta corporis sunt *loricæ* varii generis, *lami-*

laminæ ferreæ, galeæ, scuta, de quibus vid. *Stewechius ad Vegetium.* variant ista, vt & cætera, temporum, locorum, nationumque ingenio & inuentis. vid. *Laurentius Mellietus in discurs. militaribus & Politicis ad Tac. disc.* 4.

Tormenta, vt & bombardæ reliquæ, recentioris sunt inuenti. His præcipua vis hodiernorum bellorum constat; vt frustra sint *Scipio Amiratus* & *Mellietus* ille, quem dixi, antiquorum tormenta (de quibus præsertim *Lipsius in Poliorceticis* agit) eandem vim habuisse disserentes. Longe melius *Laonycus Chalcondylas lib. 5. & alibi* sentit. In his spectatur 1. *Modus vel in præliis,* vel in oppugnatione aut defensione vrbium. 2. *Apparatus idoneus,* eiusque integrandi & reficiendi cura. 3. *Dispositio & libratio.*

Huc referimus statim *ceteras machinas igniarias, pyriumque puluerem* (in quo & ipso bene conficiendo & caute seruando maxima cura) totamque *militarem Pyrotechniam.* de qua vid. *Vannochius Birunguçius.* Pulueris pyrii quanta vis sit, in *cuniculis* præsertim apparet, inuento *Francisci Georgij Senensis*, cuius discipulus *Petrus Nauarrus Cantaber* apud alios inuenti gloriam tulit. vid. *Guicciard. 6. Hist.* & *Vossius Theologia Gentil.* 2, 63. Pertinet huc etiam *Besoldi lib. de Bombardis & Typographia.* Itemque *Meieri de veris Germaniæ inuentis.*

Adiungi statim possunt Machinæ & *instrumenta varia variis belli vsibus seruientia.* vid. *Mersenni Mechanica. Leonardi Fortij de re militari, variisque instrumentis bellicis. Eryci Puteani,* de

de tormento trisphærio. Jac. Bessoni theatrum instrumentorum & machinarum. Leuini Hulsii instrum. mechanica. Tum quæ recentiores, noti Scriptores, edidere.

Ad *armaturam equestrem* referimus omnia, quibus equi militares instrui possint, ephippia, frena, sclopos minores &c. Qualia etiam attingit *Jo. Melch. Maderus in Equestribus. Vid. Herm. Hugonis egregium opus de Militia Equestri.*

Naualis militia iisdem fere armis vtitur, sicut terrestris: tormentisque maioribus præsertim pleraque gerit. vt huc nihil noui pertineat, nisi in Imperio maritimo, *idoneis locis stationes nauium & naualia, portus, ipsæ naues numero & varietate idonea, armamenta naualia.* de quibus *Scriptores rerum naualium alibi consignandi.*

Recensent armamentaria potissima *Arnisæus de I.M.* 2,5,7. *Limnæus I.P.* 4, 8, 210. *& seqq.* vbi etiam de armamentario Veneto refert nonneminis sententiam, quasi 500000. hominibus armandis sufficeret, intolerabili hyperbola. Longe veriora vide memorantem *Ducem Rohanæum en son voyage.*

Munimenta quod attinet, *arces, turres, propugnacula, castella* intelligi, palam est. De his 1. est quæstio: *an & vbi extrui debeant?* vide disputationes *Machiauelli in Principe cap.* 20. *& Barclaium in Argenide lib.*3. Romani in limitibus custodiendis admirabiles. Drusus *per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit. Flor.* 4,12,26. Quo etiam *coloniæ militares* pertinent. 2. *quomodo, qua firmitate, qua* Munimenta.

forma

forma, qua arte sint extruenda. e.g. extant opera *Alberti Düreri, de vrbibus, arcibus, castellisq; condendis. Caroli Theti de muniendis arcibus. Hieronymi Magij de eadem re.* 3. *quomodo i. e. qua cura, dispositione, instructu debeant haberi.*

CAP. V.

De Viris.

Viris instructa esse ciuitas debet.

ACtum est de armis, quatenus *Potentia* pars sunt. Agendum nunc est de *Viris*, non sicut modo factum est, quatenus militant, sed quatenus *Virorum copia* ciuitati in omnem *αὐτάρκειας* constituendæ, & felicitatis perficiendæ habitum inseruit.

Virorum hominumque copia, non solum numero hic intelligenda est, sed varietate, ad ciuitatis vsus scilicet relata. Vnde quis ita partiri potest hunc locum, vt 1. *collectionem.* 2. *discrimina.* 3. *modum seu proportionem.* 4. *dispositionem & ordinem*, intueatur.

quod præstant: Collectio, cuius 1. momentum in fortuna.

Collectio primum momentum in Fortuna & Fato repositum habet. omnino enim *Deus* aliquas ciuitates aliquando amplificat, & copiosas facit, aliquas aliquando diminui patitur, aut augeri non patitur. id quod ab eo pendet, quod supra de caussis potentiæ communiter dictum est.

2. Fœcunditas.

Secundum momentum in naturali fæcunditate quærendum est. Aliæ enim gentes facile augentur, aliquæ minus fœcundæ sunt. Itaque

Tertio

Tertio, Legibus quoque curanda & ordinanda est naturæ ad propagandum genus facultas. ficut supra de societate coniugali dictum est. Legibus juuanda;

Quartum præsidium, inuitamenta complectitur, siue *artes alliciendi homines*, atque vndique congregandi. Quæ vel *bona* sunt, vel *malæ*. an & *mixtas* adiicimus? Quas alii *necessarias*, alii *dubias* vocant. Tales sint in *Asylo* Romuli. de quo vid. *August. de* C. D. 1, 34. & *raptus Sabinarum*, de quo *Idem* C.D. 2, 17. *Euocationes celebrium hominum*, in quorum gratiam confluxuri videntur multi alii. Artes alliciendi homines.

Malarum artium (quæ sine controuersia tales sunt) specimina; *quando, contra pacta confi- ·alia clanculum pelliciuntur, per emissarios ac ·romissores, certi alicuius populi Ciues, & veluti ·bducuntur de corpore alterius ciuitatis. Quando, ·arbaro more, per latrocinia, veluti venatione ab- ·ucuntur homines: quod Turcis familiare.* malis reiectis.

Bonæ artes variæ sunt; *præcipue Commercio- ·m omnis generis copia & commoditas facilitasq́ꝫ, ·iuilegiis & immunitatibus indultis procurata: ·rum necessariarum adeoq́ꝫ victus parabilis facili- ·; Scholæ & disciplina variarum artium; splen- · & paratus aulæ*; & quæ sunt eius generis ·. commendantur bonæ.

Discrimina virorum hominumque ita hic ·enduntur; quatenus nullum genus eius ·ietatis abest, quâ sufficientia beatitudini ·tatis destinata expletur. Ne vnquam ·int sc. qui sacra curent, qui militent, qui ·os colant, qui opificia omnis generis tra- Discrimina porro attendenda in viris

O ctent,

ctent, qui ſcientiis & artibus excellant. Turcarum olim hac in re defectus, & Scytharum, Tartarorum, Septentrionalium aliorum populorum.

itemque Modus.

Modus tamen hic quoque attenditur: ne multitudo exuberet ſupra vires regionis, aut, ſi omnino exuberet, quemadmodum demigrationibus, coloniiſque ad modum reducatur: *ver ſacrum* huius loci eſt; de quo *Liu. XXXIV. 43. & not. Bernegg. ad Juſtin. XXIV, 4, 1. c. Altera pars proportionis* ſiue modi in eo conſiſtit; ne vnum quidem genus hominum abundet; aliud nimis deficiat. ſicut in Turcia milites proportionem ceteræ multitudinis excedunt. Alicubi multitudo Legiſtarum, proportionem ceterorum ſtudiorum, ſupergreditur. Alicubi, non citra malum publicum, nimis multi ſunt, qui artes tractant ludicras, aut deliciis tantum deſtinatas &c.

& diſpoſitio.

Diſpoſitio & Ordo multitudinis, ex confuſa & indigeſta mole, corporis rationem efficit: ſi deſcribantur omnes *per diſcrimina patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorum; adeoque referantur in cenſum, digerantur in claſſes, curiis atque collegiis diſtribuantur*; quod Romæ Seruius Tullius fecit. vid. *Flor. lib.* 1. *cap.* 6. & *Dionyſ. Halicarn. lib.* 4. Hæc pars niſi diligenter curetur, facile fit, quod de conuenarum multitudine auguratur Alcibiades apud *Thucyd. lib.* 6.

CAP.

CAP. VI.

De

Loco Ciuitatis.

quitur, vt videamus, quomodo potentia *cis* juuetur. *Locorum* conſiderationem hic im offert *Natura*; partim conſtruit *Ars*; im concinnat *Prudentia*. Locum Ciuitati

atura debet Ciuitas, ſi habeat fines vndi-limitibus *montium, fluminum, marium* mu-s. Licet enim aliquando, etiam hoc mo-*iſcretis, connexum odium* reperiatur (*Tac.* 1. .) facultas tamen nocendi haud perinde a iis, qui *montibus* aut fluminibus *ſeparan- Tac. Germ.* 1.) Nam hæc *ſeparandis gentibus* ra *pro terminis conſtituit. Plin.* 36, 1. offert natura.

locis ergo *Natura* nobis primo commen-*nes*, ſi ciuitas limitibus arcifiniis cuſto-ır: *deinde, facilitatem commeandi, agendi, unicandiq;, ſiue in commune conferendi, quæ pias & vbertatem ciuitatis pertinent*: cum ı, quæcunque homines arant, nauigant, cant, in terra gerantur, non minima ex præſidia expectari par eſt. *tertio, opes na-*, ſi agri frugibus, paſcua pabulo, flumina aria piſcibus, luci lignis, viſcera terræ me-feracia ſint: *quarto, amplitudinem*, non s diffuſam, neque interiectu alienorum rum interciſam.

mmeandi & communicandi facilitas flu-bus præſertim & maribus juvatur: vn-

de non aliis pronior ad potentiam via, quam maritimis gentibus. Quod exemplis Cretensium, Phænicum, aliorumque patet; de quibus *Thomæ Riuij Historia Naualis, & Morisoti Orbis Maritimus* agunt. *Tyri* potentiam etiam *Propheta* describit *Ezech.* 27. Hinc Romani, cum simul & semel vellent Carthaginis potentiam destruere, à mari Carthaginenses submouerunt.

Opes locorum natiuæ, etiam in *S. literis*, inter instrumenta potentiæ diuinitus concedi solitæ referuntur. Igitur lusus est *Machiauelli*, non semel ingenium ita ostentantis, quando sterilia loca præfert, & augendis ciuium opibus aptiora judicat. Licet enim non negetur, industria naturam aliquando superari ac suppleri: itemque inopiam non leue ad copiam parandam incitamentum: præterquam tamen, quod id non sit in re, sed accidat aliunde, etiam historia nos docet, sæpius imaginem virtutis & industriæ, quam veram virtutem illis gentibus opes parasse; dum bellis vt latrociniis vtuntur, nullumque scelus autumant, ad quod inopia se impelli obtendunt.

Amplitudo locorum, amplitudini ciuitatis scil. respondens, si adsit, potentiæ aliquod momentum adiicit: si non adsit, Artis & Prudentiæ ingenio, vt angustiæ amplitudini æquiparari queant, efficitur.

Artis enim non minima vis, in Locis, potentiæ accommodandis. Ars, inquam, *sterilitatem* & *inopiam* locorum variis commentis sub-

Construit Ars:

ſubleuat: *commeandi & communicandi facultatem* promouet: *ædificat* domos, vicos, oppida, locis opportunis, ſalubribus, amœnis. Teſtem vocemus Germaniam noſtram, quæ *Tacito* olim dicta *informis terris, aſpera cælo, triſtis cultu aſpectuq;* (*Germ.* 2.) at hodie fertilitate, cultu, ſplendore, cum florentiſſimis Europæ prouinciis certare poteſt, niſi quatenus diuturni belli clades vaſtitatem induxerunt. Videmus hodieque excindi ſyluas, conſeri colles, fluminum curſus coniungi deriuarique.

Vrbium exornationem & amplitudinem, ſupra *Cicero* exempli ergo poſuit, cum vellet oſtendere, Locum quoque habere aliquod ad potentiam momentum. Quo præſertim pertinet *Regiarum Vrbium, ſiue earum vnde in omnia regimen*, ornatus. Capita, Metropoles, Vrbes Vrbium vocantur.

(Dictum eſt aliquid in *Annotat. ad Tac.* 1. *Ann.* 9.)

In vniuerſum, *quin commoditas, ſplendor, amplitudo Vrbium* alliciat incolas, & locupletet, non eſt dubium. Hi nerui ſuo quiſque priuatim robore valentes, corpus ciuitatis publice firmant ac mouent.

Tu tamen præterea obſeruabis, vt *locis maxime idoneis*, ſicut dicere cœpimus, *extruantur vrbes*; *vt ad ſe commode reſpiciant invicem ac pertingant*: *vt ſemel bene ædificatæ, tædium incolis demant, deſideriumque aliquid nouandi in ædificiis excutiant*. Quanquam pro re & tempore neceſſitas ſæpe in conſilio eſt. Non potuit Roma primum niſi lateritia ſurgere:

donec aucta imperii magnitudine marmorea facta est.

Notentque rerump. moderatores verum verbum: *studium & propositum exornandi Vrbes amplificandiq; sæpe non promouet potentiam sed impedit*: quando alienis temporibus exercetur, & sumtus, aliis vsibus ac necessitatibus publice priuatimque debitos, interuertit. Qui enim de potentiæ fastigio vult cogitare, antequam fundamenta eiusdem constituit, præposteri consilii pœnam in ciuitatem attrahit.

Conciñat prudentia. Igitur Arti & naturæ, subsidio comparauimus *Prudentiam*. Cuius proprium munus; *Locorum interualla, opes, ornamenta metiri* modulo reip. munire prouisu, connectere subsidiis. Quod quale sit, nullo fortasse melius exemplo doceri potest, quam Augusti illius, de quo diximus ad *Tac.* 1. *An.* 9. vbi magnificis titulis commemorantur: *mari, oceano & amnibus longinquis septum Imperium; legiones, prouinciæ, classes, cuncta inter se connexa: vrbs ipsa magnifico ornatu.*

Vnicum est, quod hic adiici debet in prudentia Locorum amplificatrice: quando scilicet Legibus latis ciues ad ea imbuit, quæ locorum genio sunt aptissima, e.g. maritimis locis, ad studium nauigandi, & negotiandi; fertilibus ad agriculturam; sterilibus ad noua laborum inuenta, &c.

CAP.

CAP. VII.
De
Pecunia.

DE domesticis potentiæ præsidiis super-est *Pecunia*, scilicet non modo ad necessarias erogationes, sed ad quosuis casus vsusue parata. *Pecunia ciuitati necessaria.*

Quantus sit pecuniæ vsus ad bellum gerendum, hac occasione *Lipsius* monuit 4. *Pol.* 9,48. *& seqq. Item* 5, 6, 6. *&c.* Non tantum scilicet ad expensas belli ordinarias, sed etiam ad conciliandos homines, & vincendos sine armis. Quo genere Philippus Macedo celebratur, de quo Poëta:

—— diffidit vrbium
Portas Vir Macedo, & subruit æmulos *Horat. 3. Carm. Od. 14.*
Reges muneribus: munera nauium
Saeuos illaqueant duces.

Sed & extra bellum, magnæ præsertim Ciuitates, pecunia sibi varia hominum genera opportunis in locis & gentibus adiungunt, conducunt & mittunt, qui apud vicinos, apud longinquos, vel speculentur, vel tractent, quæ in rem sint: subueniunt sociorum aut ciuitatum ad quendam communis propositi scopum tendentium desideriis: Aduenas & Legatos munifice habent: præmiorum magnitudine, ingenia & artes alliciunt fouentque: splendore rerum suarum, exteris se faciunt venerabiles.

quibus modis paretur?

Paratur autem pecunia *Fodinis Metallicis*; *Rerum domi nascentium aut manu factarum exportatione*; *Bello*.

Metallis colligendis & eruendis natura viam ostendit: neque vulgari tamen arte & peritia opus est in re metallica tractanda. Pertinent huc *Georgÿ Fabricÿ*, *Georg. Agricolæ*, *Andreæ Cæsalpini* de re metallica, scripta; item *Chronicon Metallicum Albini*: Tum Historia super hoc argumento, ex annalibus omnium gentium colligenda.

de hac vid. Bochardum.

Effodiuntur autem domi, aut *abunde* aduehuntur metalla; sicut ex insula Ophyra Salomon, ex Indiis Hispani, non sine malis artibus hi quidem, petierunt.

Nec terra tantum metallifera est, sed flumina quoque aurifera reperias. Etiam in Germania; vt Rhenus, & alii fluuii, de quibus *Æneas Syluius in Germania sua c. 29.*

Jam *rerum domi nascentium*, & *manufactarum exportatio & venditio*, pecunia incolas ditat. Sed hæc ad mercaturam pertinent, de qua alibi.

Bello, & ex deuictarum gentium spoliis, immensos pecuniarum aceruos gentes bellicosas & victrices collegisse, satis constat. sed hic modus cumulandæ pecuniæ, si justitia bello absit, male audit.

Et quæstio est non expedita, an optari aut affectari debeat? Quia 1. non est, vt iniustitia omnis à bello & bellorum spoliis sequestretur: atque sunt quasi fatales scoriæ auro collecto immixtæ, & nobilitatem eius, vt

ita

ita dicam, vitiaturæ. 2. Quia odium & inuidia, has opes sequitur; quibus fit, vt sua spolia repetere aliæ gentes cupiant, vbi primum occasio & facultas venit. Atque hoc fere fatum pessum dedit felices aliorum populorum prædones. In recentiore Historia graue judicium est, de rebus Gallicis, Petri Puteani, descriptum *Rigaltio in vita ejus*: conferendum cum judicio *Flor.* 3, 12, 6.

Facilius enim quæruntur opes in cumulum, quam ad potentiam Reip. aptantur; de quo hic quæstio est. & ad remp. aptetur.

Nisi enim *iniustitia in quærendo, luxuria in utendo absit*, plus nocebit pecunia, fietque, quod Romæ factum: ubi illæ victis ereptæ *opes atq; divitiæ afflixere sæculi mores: mersamq; vitiis suis, quasi sentina, remp. pessum dedere. Flor.* 3,12,7. confer ceteras historias; videbis sæpe (cum *Sallustio orat.* 2. *de Rep. ord.*) *qui reges, quæ ciuitates & nationes per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant.*

In fine huius tractationis notandum, non agi hic de pecunia, quatenus instrumentum permutandis rebus necessarium est, siue quatenus ordinarium & necessarium in ciuitate usum habet; sed quatenus amplitudo & copia eius ad ciuitatis potentiam valet.

CAP. IIX.

De Fœderibus.

ACtum est de *Domesticis Potentiæ Præsidiis*: Fœdera ciuitatis potentiam

 se-

ſequuntur *Externa*, præſertim *Fœdera* & *Societates*.

Penes quem ſit poteſtas faciendorum Fœderum, ſupra *lib.* 2. *c.*8. dictum eſt, annotatis etiam potioribus huius argumenti momentis, & Scriptoribus.

Hic ea tantum perſequenda ſunt, quæ potentiam ſpectant.

Talia fœdera, ſi quis dixerit, vel ad *Famam*, vel ad *Pompam potentiæ*, vel *ad vſum & effectum Potentiæ*, contrahi; non abſurde exiſtimauerit.

Vtrique generi communia ſunt: 1. *vt licita credantur fœdera, & honeſta.* aliter enim nec fœdera putabuntur: ſed conſpirationes. 2. *vt tuta ſint.* 3. *vt vtilitatis vel vim, vel ſpeciem habeant probabilem.*

Ineuntur autem vera illa Fœdera vel *conſtituendæ potentiæ ergo*; vel *augendæ & amplificandæ.*

Conſtituunt. Qui non ſunt potentes ſatis aduerſus æmulos vicinos inimicos, fœdus plurium ambiunt ſanciuntque: ſicut ab initio ciuitates Belgarum, aduerſus Hiſpanum; Heluetiorum, aduerſus Auſtriacos, fœderatæ ſunt.

Huius generis fœdera quo longius arceſſuntur, eo plus periculi habent: & vix niſi arctiſſimis & intimis nexibus conſolidata valeſcunt.

Cetera, quæ nexu minus arcto remotius quæruntur, plerumque oneribus aut inſidiis externorum fœderatorum intuta ſunt. Vnde qui amant libertatem, Fœdus Patrocinii & Clientelæ, Tributorum, & eius generis valde extimeſcunt.

Fœde-

Fœdera augendæ potentiæ ineuntur pro opportunitate situs, pro respectu politico, ad alios Status Principesque; præsertim vero ex communis alicuius vtilitatis certa destinataque æstimatione. Fixum enim esse debet omnibus Pragmaticis hominibus, nullum fœdus esse firmum; nisi quod communis vtilitatis vinculo colligatum est. Augentque.

Hinc etiam satius est, certum tempus fœderi definire, quam perpetuum facere. Exceptis fœderibus inter eos contractis, quorum rationes publicæ, & vtilitates, perpetuo nexu cohærent, vel ob vicinitatem, vel communem aliquam caussam, ac inseparabile negotium.

Sed nec illud arctissimi fœderis genus, quo eosdem amicos & inimicos habere fœderati debent, sæpe iniri potest: nisi inter eos, qui arctissimis communium vtilitatum vinculis, iisque perpetuis, colligantur. Si autem omnino ineatur tale fœdus cum exteris, certi temporis modus vtiliter definietur.

Tartarorum, Moscouitarum, Turcorum fœdera cum exteris mercenaria, & vix vnquam satis fida sunt.

Sicut autem in fœderibus ad splendorem Potentiæ pertinentibus multa speciose euulgantur, & ad metum tertii cuiusdam adornantur: Ita ex diuerso in veris & solidis fœderibus, haud raro aliqua artificiose occultantur. *Secretos articulos* vulgo vocant: quos ab aliis, quam qui fœdus iniuere, sciri nihil attinet. De secretis articulis fœderum.

Com-

Annotatio.

Commendari hic merentur *Tabulæ & Conditiones variorum fœderum, quæ in Excerptis Legationum post Polybij historiam* exhibentur.

Periculosi & infelicis clientelaris fœderis exemplum ex historia sequioris æui *Bodinus* affert, *de Rep. lib. 5. c. 6.* cum Sigismundus Augustus Poloniæ Rex, Liuonos in clientelam receptos, contrario fœdere cum Moscouitis pacto, plane deseruit, &, vt ipse judicat, potius prodidit immanissimo hosti. Videatur etiam *Orichouius in Annalibus*, quibus eius Regis imperium describit.

CAP. IX.

De

Virtute, quatenus Rempubl. firmat, seruat, auget.

Virtutis vis in regenda ciuitate.

INter ea, quibus omnis Ciuitas firmatur, seruatur, augetur, tertio loco *Virtutem* posuimus.

Sicut enim in constituenda ciuitate primum & potissimum auspicium virtus facit: ita, in regenda eadem, quidquid virtute vacuum est, alienum à fine proposito & infirmum putari debet.

quid huc pertineat?

In hunc locum ergo tota virtutis explicatio conuenit, qualem *Aristoteles, in Ethicis Nicomachicis* præcipue, tradidit. Falluntur enim, vt alias dictum est, qui putant, *Aristoteli* propositum fuisse, hominem priuatum, non

non ciuem ibi informare. Quod si quis sub nobilibus exemplis ad ciuiles vsus propius accommodatam cupit hanc doctrinam cognoscere, *Ciceronis Officia*, incomparabili præstantia celebrari merentur. *Lipsius* quoque *I. & II. libris Pol.* egregie hanc viam triuit. nisi quod pauca quædam, Regno propria, neque ciuitati cuiuis communia insperguntur.

Virtus hic intelligitur tam *moralis*, quam *intellectualis*. Illam nomine generis, *Lipsius, Virtutem*; hanc, *Prudentiam* appellauit. Quanquam & *Prudentia* hic considerari possit vt Virtus Moralis, monente *Gassendo in Phil. Mor.*

De vtraque agitur, *vel* contractius, & summatim, *vel* explicatius & per partes. tractandi de hac re modus distinguitur.

Virtutem Cicero summatim distribuit in *Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam.* vid. *libell. memor. Eth.*

Quando hodie summatim volumus loqui, *servandis* firmandisque ciuitatibus requirimus *Religionem* siue potius *Pietatem, Iustitiam, & Fortitudinem.*

Quando accuratius agendum est, *nullam esse dicimus virtutem, quin seruandis augendisque ciuitatibus aliquid adiumenti adferat.*

Sed hæc facile vel enumerantur, vel describuntur. Illud plus interioris philosophiæ habet, vt vniuscuiusque virtutis munia, in ipsa actione, siue ad singularia applicatione, seorsum ac singillatim perdiscantur.

Verum de his alias.

(Hac

(Hac occasione dictum de controuersia aduersus *Machiauellum*, & libris quibusdam ad specialiorum virtutum intelligentiam facientibus. *Paschal. character. virt. & vit. Barcl. Icon. Anim. Argen. Histor. Poët. Epicis & Tragicis.*)

CAP. X.

De

Prudentia.

Prudentiæ munus in doctrina ciuili: DE prudentia quoque, quæ omnes virtutes moderatur, rectius in singulis argumentis perspicitur. Sane per totum ciuilis doctrinæ corpus id agitur, vt, quomodo in singulis rebus prudenter sit versandum ciuili viro, cognoscatur.

Repetemus tamen aliqua de hac re. Et quomodo quidem veteres ad quotidianam vitæ consuetudinem orationem accommodando Prudentiam partiti sint, *alibi* explicauimus.

Vocabulum Prudentiæ sæpe veteribus idem cum Sapientia notat, nec videtur discernere *Cicero* 1. *Offic. c.*5. & 6. nisi quod in fine libri respicit ad distinctionem *Aristotelicam* 6. *Eth.* 7. traditam.

Annotatio. *Aristotelis* de Prudentia tractationem, quæ fere totum *lib.*6. occupat, egregie ex veteribus *Eustratius*, è junioribus *Gassendus* explicauit in *Phil. Moral.*

Quæstionem, *an sit Prudentia? Sextus Empiricus* (*aduers. mathemat. lib.*10.) fuse tractauit; negantem contra Dogmaticos sententiam tuens.

tuens: non erit difficile, dissoluere eius argumenta, e.g. cum vulgo, etiam à Philosophis, dicitur, *Prudentiam esse artem vitæ*; vocabulum Artis arripit, eiusque descriptionem. Item: *cum Prudentia in bonorum & malorum delectu consistat*; dicit, *diuersis Philosophorum sectis non eadem bona, eadem mala haberi, adeoq; nullam horum scientiam dari. Omnia enim bona & mala esse non re, sed opinione hominum* &c.

CAP. XI.

De

Virtutis efficientia, effectuq; intermedio, ad effectum conseruationis &c.

Cæterum, singularem considerationem meretur *Virtutis efficientia*, ex qua consequitur confirmatio, conseruatio, amplificatio Reip. Efficientia virtutis.

Efficientia Virtutis eo tendit, vt actiones imperantium & parentium *efficaces* sint, & *decoræ*. Tum enim conseruari, amplificari, confirmari Resp. dicitur, cum imperantes parentesque efficaciter & decore suas partes obeunt. actiones imperantium & parentium reddit

Efficax censetur actio, quæ habitu animi idoneo & instrumento sufficienti ad fines, tum particularem, qui & certi alicuius operis ac negotii confectio; tum vniuersalem, qui est Reip. vtilitas, contendit. Efficaces:

Deco-

Decoræ.

Decoram actionem dicimus hoc loco: quæ eosdem ad fines, ordinem & modum & speciem adhibet.

In *Efficacia* actionis, facultatem & vires agentis; in *decoro* actionis, dexteritatem agendi spectamus. Si enim hæc non abesse possunt in actionibus quibuscunque, quæ manu & corpore perficiuntur: quanto magis ad actiones pertinebunt, quæ proprie ciuiles sunt.

Vt ergo actio ciuium (i.e. Imperantium & Parentium) sit ciuilis, efficacia & decoro actionis opus est. Vt efficax & decora sit, virtus efficit. Ad quam virtutis efficaciam consequitur effectus conseruationis, confirmationis, amplificationis Reip. non sine *effectu quodam intermedio*, de quo mox dicetur.

Efficientiæ gradus.

Habet autem ista efficientia virtutis suos gradus, & quandam varietatem, pro conditione agentis, pro circumstantiis negotii & determinatione finium in maius minusue facta.

Ipsa etiam Virtus, quamuis omnis huc pertineat, una tamen magis ad hanc actionem, itemque ad unam actionem plures, ad aliam pauciores virtutes concurrunt sua efficientia.

Efficacia item & decorum actionis uniuerse quidem in ciuibus, qui sunt ciues, siue imperent siue pareant, spectatur: seorsum tamen alia est ratio huius considerationis in Imperante, alia in parente, quatenus his nominibus distinguuntur.

In

In *Imperantibus* efficientia virtutis maiore quodam paratu, copia, artificio ad efficaciam & decus actionis concurrit; in parentibus præter dexteritatem agendi, fides & ars obsequendi, rem absoluunt.

Vnde, *effectu intermedio* etiam, discrimen quoddam notabitur, paulo post. Nunc enim *effectus intermedius, communis omnibus ciuibus,* signandus est: nimirum, *Domi*, concordia & amor siue *beneuolentia mutua & ciuilis*; *Foris*, vniuersæ Reip. auctoritas; & in eam *Beneuolentia*. *Cic*. 2. *Off*. 8. Effectus intermedius communis.

Effectus intermedius, proprius Imperantibus, est Auctoritas apud ciues, tum *beneuolentia ciuium specialiter spectata. Proprius parentibus, gloria obsequij.* proprius Imperantibus:

Vbi rursus efficientia virtutis, aliter auctoritati, aliter beneuolentiæ parandæ seruit.

Aliter item in hac reip. forma; aliter in illa: nec eodem modo hoc tempore, conditione, statu reip. sicut vbi ista diuersimode se habent. Confer locum *Arist*. 5. *pol*. 9. Rursus aliquid diuersitatis cernitur, si virtutis efficientiam, & effectus intermedios consideres, prout incolumitatem, firmitatem, amplitudinem Reip. pariunt, tum si spectes, prout eandem aliquid detrimenti passam restituunt. Tum enim remediorum instar sunt, quæ priori genere ordinariam vim primario opere explicant.

Verum cum, vt jam dictum est, conseruatio, confirmatio, amplificatio Reip. obti- Beneuolentia;

neri nequeat, nisi eadem opera Beneuolentia hominum, & apud eos auctoritas domi forisque Reip. concilietur; hinc nonnulli, & cum
lib. 4. c. 8. & 9. iis *Lipsius*, inter causas iuuantes firmantesque imperia, Beneuolentiam & Auctoritatem ponunt: vt *Virtutes Lipsius* nominat; liberiori sermonis genere, nec absque figura; cum ea, quibus vtraque paratur, virtutis actiones artificiaque sint. In ipsa quoque tractatione, argumentis specialibus sub certos titulos redigendis seruit potius, quam contextæ philosophiæ: atque hinc quæ in *cap.9.* de potentia habet, melius referentur partim ad vim iuuantem, siue vires roburque, partim ad alia loca. Insunt etiam aliqua, quæ vnius imperio, non autem ceteris Rebusp. conueniunt. Quod ei pro ratione instituti faciendum fuit. Illud bene factum est, quod ordinariis extraordinaria; thesi hypotheses; manifestis arcana coniunxit. In quibus subinde aliqua sunt, quæ in naturali rerum consecutione aliam sedem nanciscuntur, huc singulari consilio Scriptoris translata.

Ceterum in Beneuolentia quæri ante omnia solet, *sitne Beneuolentia Imperantibus & Imperio vtilis*? Ita enim formanda fuerit quæstio, cum de mutua ciuium inter se beneuolentia nemo dubitare possit. Negauit inter Iuniores, *Machiauellus*: secutus antiquos tyrannidis magistros, præfractos homines & superbos, qui metu plus valere Resp. autumant. Melioris philosophiæ auctor sequendus est *Cicero 2. Off. 7.* Proxima quæstio est

est, *qua re paretur Beneuolentia?* Hic si quis exactius partiri velit, non debebit negligere caussas à vulgi obseruatione remotiores, quibus multa tamen efficacia est. Tales sunt: *Deus* & *Natura*; hoc sensu: Deus, rationibus & modis hominum scientiæ parum obuiis, huic ciuitati alias reddit beneuolas: itemque hunc aut hos imperantes foris domique facit diligi. Factum imo videmus singulari consilio DEI, vt vnus aut plures huius Reip. ciues aliam Remp. amore prosequerentur. Quæ οἰκονομία divina vsus finesque habet varios & reconditos. Sic in naturis quoque & ingeniis hominum, vt singulorum, ita per totas ciuitates, est aliquid, quod nationem nationi, locum loco, ciuitatem ciuitati; aut ciuitati ciues quosdam alterius ciuitatis conciliet.

Caussa Beneuolentiæ apertior est *Virtus*, intellige omnem, ita tamen, vt ex virtutibus plus efficientiæ huc conferant, quæ sunt *leniores*, & magis, vt sic dicam, sociales, communitatique hominum aptæ. Quo sensu recte *Cicero* 1. *de Off.* 17. *Quanquam omnis virtus nos ad se alliciat, faciatq; vt eos diligamus, in quibus ipsa inesse videtur: tamen Iustitia & Liberalitas id maxime efficit.* vid. etiam 2. *Off.* 9. Addi potest *Comitas*, *Mansuetudo*, *Modestia*, cum similibus virtutibus, seu quæ pertinent ad mansuetudinem veram ac facilitatem, vt *Cicero* loquitur. Quæ omnia suis non modo regulis, sed inuentis & artificiis constant.

Huc accedunt, si de hominibus loquimur,

Species virtutibus similes, vt *Tacitus* vocat, 15. *A*.8. tum *fortuita* & *externa*, etiam in rebus inanimis. Sicut in alio quoque genere obseruamus, & mox in *auctoritate* cernemus;

Auctoritas: Quæ cum Beneuolentia fere cohæret; hoc sensu: Vbi auctoritas adest ciuitati, inde non abest Beneuolentia. Quæ sententia invicem commeare potest, sed non æqualiter, in hunc modum; Auctoritate præditus semper diligitur, siue, quem complectitur hominum caritas, interdum quidem eodem actu admirandus habetur, interdum admiratio seu auctoritas abesse potest salua caritate. Alia enim est earum virtutum indoles, quæ beneuolentiam; alia earum, quæ auctoritatem conciliant proxima & propria efficientia. Auctoritas etiam maius quiddam & altius dicit, aptaque est sub se comprehendere benevolentiæ parandæ vim; à qua, si quis ordine velit proficere, ad auctoritatem scilicet ascendendum est.

Ceterum, vtriusque necessitudinem veteres studiose inculcant. Ita *Cicero* 2. *Off*. 8. differit, quomodo possimus facilime eam, quam volumus, adipisci, cum *honore & fide caritatem*. Et *Curtius* hanc philosophiam secutus ostendit, *quibus vel ingenij dotibus, vel animi artibus Alexander effecerit, vt pariter carus ac venerandus esset*. (l. 3. c. 6.)

Atque, vt ad necessitudinis illius modum redeamus, *Cicero* beneuolentiam auctoritatis partem facere non dubitat, cum (2. *Off*. 9.) perfectam *gloriam* tribus ex rebus constare dicit:

si

si diligit multitudo: si *fidem habet*: si *cum admiratione quadam honore dignos putat*. Sumitur alias gloria apud ipsum *Ciceronem* & alios de fama & laude meritorum virtutis: quo sensu vel est pars auctoritatis, si populariter cum quibusdam loquendum esset; vel effectus, ad auctoritatem, quam virtus efficit, intermedius. Quales effectus intermedii etiam caussis accenseri solent. In quam sententiam recte illud est à *Cicerone* positum: ipsa fama & opinione virtutum, etiam beneuolentiam generari. At eo loco, quem produximus, *gloriam pro auctoritate* accipi ipsa tractatio docet.

Ex tribus autem illis partibus, secunda & tertia proprie auctoritatis sunt, quatenus à Beneuolentia distinguitur. Quod si enim summatim agendum est, auctoritas omnino adesse ei creditur, cui fidem habent homines, & quem admirantur.

Fidem porro Justitia & Prudentia comparari, hoc modo differit *Cicero*, quatenus Justitia voluntatem; prudentia facultatem aliis bene consulendi, siue aliorum res juuandi, habere intelligitur.

Admiratio excellentia quadam virtutis & singulari præstantia & amplitudine parari dicitur. Hæc, inquam, summatim, & ὡς τύπῳ.

Magis partite, quanquam alio consilio, & declarandæ rhetoricæ argumentationis gratia, quæ ab auctoritate sumitur, ita philosophatur *in Topicis*. Auctoritatem aut *natura*, aut *tempus* adfert. *Natura* auctoritas in *vir-* *cap. 19.*

tute ineſt maxime. In *tempore* autem multa ſunt, quæ afferunt auctoritatem; *ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio, etiam nonnunquam rerum fortuitarum.* His, ſi Deum, cuius maxima & prima vis eſt, tum admirabilis prouidentiæ diſpoſitio, in auctoritate ſingulis & ciuitatibus conſtituenda adiunxeris, *neceſſitatem* detraxeris, pleraque omnia habebis, quæ auctoritatem faciunt. Figura tamen in verbis notanda eſt. Quod enim *Cicero* hic *naturam* & *tempus* vocat, illi, qui ad docendi perſpicuitatem vocabula accommodant, dicerent *cauſſam per ſe efficientem*; *& cauſſam ex eo, quod rebus accidit, efficientem.*

Veriſſimum autem eſt, quod *Cicero* monet 2. *Off.* 12. *gloria & quærenda & collocanda ratione eſt.* Ratione, id eſt, prudentia, conſilio, ad reip. ſtatum & tempora, fineſque vel perpetuos, vel temporarios, congruente.

Pars ejus rationis eſt, ſimulacra à veris diſtinguere; quorum in his ſolida efficacia, in illis fragile ſubſidium eſt: tenere ordinem rerum, ne in primis ponantur, quæ ſecundo, aut infra ſecundum locum valere debent. Qualia exempla tractantur à Cicerone diligenter; vt de eloquentia forenſi, de magnificentia ſpectaculorum & munerum. Vbi verba (2.*Off*.17.) probe notanda: *Tota ratio talium largitionum, genere, vitioſa eſt; temporibus, neceſſaria; & tum ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.*

LIBER

LIBER V.

CAP. I.

De
Caussis Ciuitatem corrumpentibus & destruentibus.

Dictum est de iis, quæ communiter Ciuitates seruant, firmant, amplificant; sequitur, vt de iis agatur, quæ communiter ciuitatem infirmant, minuunt, mutant, corrumpunt, destruuntque. Quæ *Lipsius* ad vim & vitium refert, ἀντίστροφα scilicet ad vim juuantem & virtutem. Vis ei est, *proditio* & *insidiæ*: *Vitium* duplex ponit, *odium* & *contemtum*, rursus eo proposito, quo supra eum vti vidimus. Si enim accuratè & subtiliter vis fuisset explicanda, non poterat seditio, factio, bellum ciuile externumque omitti. Quæ ille libro vltimo ex alia methodi serie ordinat. Jam, vbi de odio tractat, vniuersum argumentum de *Suppliciis*, *Tributis*, *Censura*, per accidens tantum huc spectantibus, exequitur. Partitio hujus argumenti.

Ante omnia autem faciendum hic nobis putamus, quod fecit *Aristoteles lib.5. Pol. c.*1. vt constet, quid sit illud, & quàm varium, quod infirmandi, minuendi, corrumpendi, de-

ſtruendi vocabulis hactenus ſignificamus. Licet enim effectus hic ſit ex cauſſis nunc explicandis ſecuturus: plurimum tamen intereſt ſtatim ſciri, quid rei hic intelligatur. Veteribus ergo Græcis Latiniſque familiare eſt, *Mutationis* vocabulo, late patente, omnia complecti. Sed ſubtiliter agentibus illud obſeruatur, quod non omnis mutatio lædendi & deſtruendi, ſed quædam etiam conſeruandi juuandique vim habet. Igitur vident, diſtinctione hanc vocem opus habere.

Complexus forte videbitur omnia, qui dixerit: *Mutationem, Corruptionem, Deſtructionem* Ciuitatis eſſe, de quibus hic conſideratio ſuſcipitur.

Mutatio. *Mutationem* bene diſtinguit *Ariſtoteles in eam qua ipſe ſtatus reip. in alium commutatur; & qua ipſo ſtatu ſiue forma reipub. manente aliquid commutatur.* Hoc poſterius mutationis genus iterum diſtinguitur tripliciter. 1. quando in eodem ſtatu perſonæ perſonis deturbatis aliæ ſuccedunt. 2. quando ſtatus reſtringitur aut laxatur. 3. quando magiſtratus aliquis inducitur, aut abrogatur. Hæc diuiſio ſubtilis eſt & ſufficiens, & exemplis bene à Piccarto illuſtratur.

Si modo illud ſimul obſeruetur; *Mutationem* aliam eſſe *apertam* & omnium intelligentiæ expoſitam; aliam *occultam*, & diſſimulatam, de qua prudentes tantum judicant. Sicut etiam in *corruptione* fieri videmus.

Corruptio. *Corruptio* ſæpe via eſt ad mutationem; & invicem mutatio ſæpe via ad corruptionem.

niſi

nisi quod mutatio etiam in melius tendere potest. Est enim hæc illa latior.

Corruptio ergo erit cum mutatione illa quidem semper coniuncta, in deterius scilicet; sed hic intelligitur mutatio magis particularis, quæ ab illa modo nominata differt: illa enim termini rationem habet; hæc ad illum terminum interdum tendit, interdum citeriori termino destinatur.

Corrumpi enim tum civitas dicitur, quando in fine civitatis destinando, tum in rationibus ad destinatum finem dirigendis, vel uniuerse, vel pro statu certæ Ciuitatis, id quod rectum est & bonum, deflectitur, infirmatur, aliqua labe inficitur; adeoque degenerat: aut quando ea, quibus Ciuitas constituitur, firmatur, amplificata est, vitium capiunt.

Destructio est, quæ corpus aut speciem Ciuitatis tollit. Quod probe explicat *Grotius* 2. *de I.B. c.9.* vocatur etiam *euersio, interitus, excidium.* Destructio.

Quo loco probe notandum est discrimen inter *mutationem cum corruptione coniunctam*; *itemq; corruptionem magnam & notabilem*; tum *veram destructionem.* Illæ enim cum sæpe huius caussæ sint, intuentium aut deplorantium judicio pro destructione habentur. An autem vere destructio sit, non caussis in efficiendo constitutis, sed effectu consummato æstimandum est. Destructio enim rationem integri effectus habet, ad quem caussæ mox nominandæ per effectum intermedium mutationis ac corruptionis tendunt. Cuius

effectus quæ sit natura, ante explicatum est. Accurata est ergo distinctio *Curtij lib.4. c.14. n.20.* qua *concussionem* ab *afflictione* seu interitu Reip. distinguit. Sicut & *conuersio* ab *euersione* plurimum differt.

Interim *conuersiones* illæ vix solent sine magna & horribili concussione accidere: & hostilia portendunt; sicut insequentia amplius docebunt.

Caussæ ergo, quibus mutationes, conuersiones, destructiones Ciuitatum fiunt, sunt: *Fortuna, Vis,* & *Vitium*; non sine effectu intermedio.

CAP. II.

De

Fortuna vt est caussa mutationis aut corruptionis in ciuitate.

In mutationibus ciuitatum Imperiorumque causa præcipua referenda est

FOrtunam quo sensu hic accipiamus, libro priore, cum de conseruatione & auctu Ciuitatum ageretur, monuimus. Itaque proprie huius loci sunt, quæ de *Fatalibus mutationibus, corruptionibus & destructionibus Rerump.* olim & hodie, non sine solidis erroribus, & confusione disputantur.

Fato enim hic locum esse, etiam Ethnici agnouerunt: *Sallust. Or.2. de Rep. Ordin.* Si *morbo,* aut *fato, huic imperio secus accidat &c.* sed non omnes eodem modo explicant. Imo nec iidem eodem semper modo capiunt. Itaque

que distincta consideratio oritur quæstionum illarum:

I. *An Diuina voluntate & dispositione mutationes, corruptiones, euersiones Ciuitatum accidant?* Aff. Dictis S.S. manifestis. Quibus *Augustinus* accinit 5. *de Ciu. D.* 8. cum probat eos, qui *caussarum ordinem & connexionem Dei summi tribuunt voluntati & potestati, qui optime & veracissime creditur & cuncta scire antequam fiant, & nihil inordinatum relinquere: à quo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sint omnium voluntates.* Et cum *ostendit*, Deum omnia curantem regnorum quoque & ciuitatum prospera aduersaque non negligere: *Deus*, inquit, *nullo modo credendus est, regna hominum, eorumq; seruitutes & dominationes, à sua prouidentia legibus alienas esse voluisse.*

ad voluntatem & dispositionem diuinam.

II. *An Astris in hos effectus aliqua vis sit, idq; fato contineatur?* Negatiua & ab *Augustino lib. 5. de C.D.* & ab aliis luculenter tractatur.

An astris in hos effectus aliqua vis sit?

III. *An ipsi tempori aliqua vis sit*, quam fatalem nonnulli dicunt; *vt certis temporum spatiis decursis, sequatur deinde mutatio reip. corruptio, euersio*: siue an *termini temporis, quo mutantur aut vertuntur resp. definiri ac numero designari queant?* 1. vbi notum est, tempori nullam propriam esse in his talibus efficientiam; figurisque accenseri debere; quæ passim in hunc sensum obuia sunt. 2. Sicut & illud frequentissime, sed figurate, dicitur: Certis temporibus decursis, mutationes & similia accidere. Nam illud certum tempus, quod vulgo ita ponitur, incertum est. Mutatio-

An tempori?

tionibus, vt alia, ita Resp. & Ciuitates subjacere, certum est: At tempus definiri certum nullo modo potest: etiamsi præter propter & in latitudine velis loqui. Citius, tardius, mutantur, conuertuntur, euertuntur Ciuitates. Atque, si aliqua exempla eodem pœne annorum numero decurrere videntur, fortuitum id est, & longe plura discrepare deprehendentur.

An certa mutationum periodus statuenda?

IV. *An Periodus eiusmodi mutationum certa statui debeat, vt ista mutatio illi; hæc isti succedat; itemq; an illa periodus mutationum sit circularis, & ad id redeat vnde cœpit?* Vtrumque affirmari potest: sed ex parte. Vniuersè enim non est verum. Dictum est aliquid de Doctrina Periodica Platonicorum alibi: itemque de *ἀνακυκλώσει* seu circulari revolutione rerump. ad 1. *Ann. Tac. annot.*2. *ad cap.*1. *Polybius* præsertim videndus *lib. 6.* Notus est locus *Ciceronis de Diuinat. lib.*2. *c.*2. *Id ipsum à Platone philosophiaq; didiceram, naturales esse quasdam conuersiones rerump. vt eæ tum à Principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à singulis.*

An vitari humana ope fatales mutationes possint?

V. *An fatales mutationes humana ope vitari, prauerti, declinari possint?* Hoc totum pendet à conciliatione fati cum voluntatis humanæ libertate, de qua alibi.

CAP. III.

De Vi.

Vis quotuplex?

NUnc de *Vi* agendum est: quatenus resp. corrumpit, labefactat, euertit. Quam *Lipsius*

Lipsius distinxit in *apertam* & *occultam*. *Illius* 4. *Pol.* 10. posuit tres partes; *Factionem, Seditionem, Bellum*. Hujus duas; *Insidias* & *Proditionem*. *Illam* in alium locum distulit; *huic* sedem concessit in loco, quem tractauimus.

Accurate partiri cupientibus, vis alia est *maior* viribus humanis, alia ab *hominibus* oritur: *Illa* vere dici solet *vis maior*; *hac* citra adiectionem *Vis* appellatur.

Ad *vim maiorem* pertinent *Fatalia*, & quædam *Naturalia*. Fatalis interitus est e. g. cum igne cœlitus demisso per miraculum euertuntur 5. Ciuitates: cum per diluuium deletur Ciuitas generis humani, pauculis tantum in semen relictis. Ita *naturæ* violentia, totas nationes absorpsit terræmotus, inundatio. &c. Vis humana maior:

Vis humana est vel *externa* respectu ciuitatis; vel *interna*. humana

Vtraque, vel *aperte*, vel *occulte* admouetur.

Vis externa aperta, vix alio quam ad bellum & bellicos actus pertinere potest. Bellum enim est illa exitiabilis bellua, quæ incursat Ciuitates, earumque vel firmitatem pestilenti halitu vitiat; vel corpus immani rictu dilaniat. Externa aperta:

Vis externa occulta, quando incendiarii, insidiatores, corruptores vario astu reip. labefactandæ aut destruendæ adhibentur. occulta.

Vis interna aperta est, cum vel unus aut plures, sæuitia: vel plures factionibus, vel omnes aut maxima pars concertationibus ciui- Interna aperta:

tatem

tatem perturbant aut affligunt. Quæ mala aliquando etiam miſceri ſolent.

occulta. *Vis interna occulta eſt*, quando aliquis aut aliqui, ciuitatem vel incendiis ac cædibus perdere, vel proditione aliis ſubiicere, vel inſidiis omnique alio conatu ſuæ tyrannidi vindicare ſatagunt. Huius generis ea eſt conditio, vt plerumque in vim apertam deſinat, & tranſeat.

Effectus vis externæ apertæ: *Vis externa aperta* i.e. bellum & arma ciuitatem 1. vel minuit viribus, e. g. pagis, vicis, hominibus perditis deletiſque. 2. vel euertit, vt quando tota gens excinditur, quod eſt quaſi ſupplicium capitale, aut diſſipatur, vt amittat rationem corporis. 3. vel mutat formam, vt quando inter leges pacis alius ſtatus ciuitatis præcipitur. 4. vel ſimul euertit ac mutat, ſiue coniungit mutationem cum quadam euerſione, vbi forma ſiue ſpecies ciuitatis interit, corpus autem ipſius ciuitatis in partem alterius ciuitatis contribuitur. 5. vel manente corpore & ſpecie, varie inducit vitioſum habitum.

occultæ. *Vis externa occulta* iiſdem operibus efficiendis noſcitur: via tantummodo diuerſa.

internæ: *Vis interna aperta & occulta*, quibus rebus conſtet, jam dictum eſt: quomodo autem tendat ad ciuitatis labefactationem aut euerſionem, explicandum reſtat.

Tyrannis. *Tyrannis* vel vnius, vel paucorum, vel multitudinis ad hunc finem tendit; vel dum conſtituitur; vel dum conſtituta durat aut viget.

Constituitur omnis tyrannis, & firmatur continuaturque malis artibus. Illæ malæ artes, siue *dolo* exercentur, siue violentia, siue *mixtis* vtrisque.

Talia sunt: jura & leges, quibus se tyranni alligarunt, opprimere; vi pro jure vti; judiciorum acerbitate ciuitatem vastare; disciplinæ corrigendæ specie, aut securitatis publicæ muniendæ prætextu innocentes aut claros viros circumuenire &c.

Tumultus vocatur repentinus ille motus à multitudine excitatus, metu, aut consternatione, aut indignatione, sine altiore proposito mutandi status, aut res nouandi. Tumultus.

Caussa vel *perpetua*, vel *temporaria*. *Temporariam* modo exempli ergo declarauimus. *Perpetua* est; ingenium ferocioris populi, aut laxior viuendi ratio, nec adstricta bene compositæ vinculo ciuitatis disciplina.

Exempla in Historiis passim obuia.

Remedia constant vel vi *militari*, eaque aut ostensa, aut adhibita; vel *auctoritate* & *consiliis*. Eum in vsum, præter ceteras vtilitates, arma ciuitati semper in promtu esse debere alibi diximus.

Factio, quando inter familias aut partes quasdam ciuitatis ducatum præbentibus nonnullis dissidia exercentur, præsertim in administranda rep. aut circa religionem, aut honores, aut commoda. *Lips. 6, 3. Liu. 9, 26.* Dictator quæstion. habendæ de factionibus creatus. Factio.

Tumul-

Seditio. Tumultus facile in seditionem transit. Itaque vocabula etiam, prisca recentique loquendi consuetudine, haud raro inuicem permutantur.

Accurate tamen loquendo; Seditio est motus populi, vim minantis aut facientis, mutandi regiminis ergo, vel quoad personas, vel quoad formulam reip.

Caussa seditionis perpetua. *Caussa perpetua* itidem est ingenium multitudinis secundum magis & minus, pro nationis, morisque ac disciplinæ, diuersitate. Ita apud Polonos & Hungaros perpetua sunt, quæ alibi rariora.

Temporaria. *Caussa temporaria* vel est à *potestate magistratus popularis nimia* (vid. quæ *Cicero* differit de Seditiositate Tribunorum plebis Rom. 3. *de ll. c.8. & 9.*) vel à *sensu, aut metu, aut opinione iniuriæ aut damni.* Huc enim redeunt, quæ apud *Aristotelem 5. Pol. c. 2. & 3.* disputantur. Quibus autem modis fiat, vt sentiant aut opinentur aut metuant, iniuria se damnoque affici, qui seditionem mouent, rectius postea tractabitur, cum de vitiis agetur. adhuc enim de vi agitur.

Exempla. *Exemplorum* plena est omnis historia, tum ciuilium, tum militarium seditionum. vid. *Liu. à lib.2. per seq. Tac.1. A.16. & seq. &c.*

Remedia. *Remediorum* primo obseruanda sunt *discrimina.* Alia enim sunt *violenta* (honestiori vocabulo fortiora, strenua &c.) alia *moderatiora,* mollia &c. 2. mixtura vtriusque generis. 3. οἰκονομία siue dispensatio per momenta

ta temporum, per occasiones euentuum, per gradus effectuum.

Quæ de gradibus & progressu ipsius seditionis erudite disputantur à *Lips. 6. Pol.4.* ad naturam & ingenium seditionis pertinent. Diximus etiam de ea re ad 1. *A. Tac. 16. & seq.* Pertinet huc oratio breuis, sed copiosæ philosophiæ descriptio *Virgil. 1. Æn.* Annotatio.

Bellorum Ciuilium largam quidem segetem omnis ætas, omnis historia suppeditat. Ex iis tamen qui descripserunt, nemo superat diligentiam *Dionis, Appiani, Plutarchi in Vitis, Ciceronis in Epistolis ad Atticum, Taciti in Libris Historiarum*; qui Romanorum bella Ciuilia descripserunt. E recentioribus *Acta publica Hortlederi & Lundorpij in Germanicis*; *Thuanus in Gallicis*; *Meteranus & alij, in Belgicis*, obseruandi studioso lectori, hoc argumentum probe explanabunt.

CAP. IV.

De

Vitiis Ciuitatem infirmantibus &c.

SEquitur, vt de *Vitiis* agatur, quæ Ciuitatem infirmant, corrumpunt, destruunt. Quæ philosophia his, vt arbitror, nititur regulis. I. Sicut omnes virtutes, vna tamen potius quam alia, conseruant, firmant, amplificantque ciuitatem: ita omnia vitia, vnum tamen altero magis, efficiunt contra- Vitia remp. destruentia sunt:

rium. II. Potiſſimum id præſtant, *Imprudentia, Iniuſtitia, Ignauia, Intemperantia.* III. Aliter tamen, apud ſubditos, ſeu in ſubditis; aliter apud Imperantes: Aliter in Monarchia, aliter in reliquis formis.

Imprudentia.

Imprudentiam fere in Imperantibus, quique iis conſulunt, ſpectare fas eſt. ſicut prudentia propria Imperantium virtus eſt. Imprudentia Ciuitati noxia, vel eſt *Naturæ*, vel *Morum*. *Natura* enim quidam tam ſunt hebetes, ſtupidi, abſurdi, aut ſpeculationibus potius, quàm vllis agendis rebus apti, vt ad Ciuitatis negotia vel judicanda vel tractanda cœcutiant. Exempla olim & hodie non deſunt. Claudius, Vitellius &c. Rom. Principes.

Imprudentia quæ moribus tribuitur, vel *imperitia ſtatus* conſtat; vel *imperitia actionis*.

Imperitia ſtatus ita capi debet, quatenus illi, qui Ciuitatis felicitatem curare debent, interiori illa & accurata ſua reip. cognitione, ſine qua nihil recte in publicis geri poteſt, deſtituuntur. e. g. Quis putet Appios pleroſque, quales à *Liuio* deſcribuntur, ſatis intellexiſſe, vel Ariſtocraticas, vel mixtæ ex Ariſtocratia & Democratia reip. rationes? Galbam & poſtea Neruam parum intellexiſſe, quid eſſet regnare, non abſurde opinantur, qui dicunt. Ex hoc fundamento philoſophatur *Criſpus* apud *Tacit.* 1. *A.* 6. &, quanquam in mimo, Aſinius Gallus *cap.* 12.

Pertinet ad Imperitiam Status, etiam *illa imprudentia, quando momenta & gradus, in ipſo*

ſtatu

ſtatu non recte judicantur, diſcernunturq;, vel dum fiunt, vel dum facta ſunt. Non enim tam conſtanter & æqualiter ſe res humanæ habent, vt forma Ciuitatis eodem ſemper gradu, iiſdem momentis, æſtimanda & penſanda ſit. Monarchia e.g. modo arctius aſtringit, modo lenius ſua vincula. neque eadem ratione conſultatur viuiturque illo & iſto tempore.

Imprudentia, quæ ad *actiones* refertur, ita intelligitur, quando abeſt 1. communis dexteritas actiones ciuiles obeundi. 2. ſolertia totam vim actionum & partes judicandi, ſiue expedito judicio complectendi. 3. temperandi moderandique actiones ex re & vſu præſenti, ſiue ex variis ſubnaſcentibus momentis, juxta omnes denique, vt vocant, circumſtantias ſubtilitas. Qui in primo genere deficit, æque ineptus eſt ad ciuitatis felicitatem curandam, ac, qui ingenio hebeti, abſurdo, denique mere ſpeculatiuo vtitur. Duo poſteriora plerumque ſe comitantur; poſſuntque etiam in eo reperiri hi defectus, in quo primus defectus non inuenitur. itaque minus apparent; donec euentus de noxa teſtetur. Ad quam judicandam ſæpe ſolis prudentium oculis proſpectus patet.

Exerit ſe Imprudentia, tum in conſultando, i.e. in judicando de ſingulis ciuitatis negotiis, honeſtaque à deterioribus, vtilia à noxiis diſcernendo; tum, in adminiſtrando, ſiue in exequendis quæ diiudicata ſunt & conſultata.

Noxa imprudentiæ, vt ante dictum eſt, à capite quidem, id eſt, ab imperantibus præcipue diffunditur: Sed prudentia actionis ſiue adminiſtrationis reip. indiget adiutoribus idoneis & miniſtris. Nam alias etiam præcipua Principis aut Optimatum, Imperantium denique, prudentia, imprudentium actorum opera corrumpi, & ad Ciuitatem damnis afficiendam degenerare poteſt.

In hunc locum pertinent exempla totius hiſtoriæ antiquæ & veteris bene explicata, & ad hanc philoſophiam examinata. Vt, ſi quis ſibi ſumat demonſtranda, quæ in Rep. turbanda imprudenter, & quomodo, & quo effectu acta ſint, in iis, quæ deſcribit *Appianus, Plutarchus, Dio, Ciceronis Epiſtolæ* & *Philippicæ*, de *bellis Ciuilibus*, ſic in recentiore hiſtoria.

Iniuſtitia. *Iniuſtitia* hic ſpectatur, vel quatenus *Imperantibus & parentibus communis* eſt: vitium ſcilicet vere inciuile & inſociabile, ſicut Juſtitia vnice ciuilem ſocietatem continet: *vel* quatenus *alterutris* propria intelligitur.

Communis Imperantibus & parentibus, id eſt, omnibus ciuibus, iniuſtitia in duabus præcipue rebus cernitur. I. quando *peruertitur ordo officiorum* juſtitiæ conſentaneus. *In ipſa* enim *communitate* (quod recte *Cicero* notat 1.*offic.*45.) *ſunt gradus officiorum*; *ex quibus quid cuiq; præſtet intelligi poſſit*: *vt prima, Diis immortalibus*; *ſecunda, patriæ*; *tertia, parentibus*; *deinceps gradatim reliquis debeantur*. Ita ſi priuatis nominibus ſtudetur ante publica &

præ publicis; si diuinarum rerum non ea, quæ illis debetur, æstimatio fit, disciplina ciuitatis, & subinde fortuna, vitiatur & corrumpitur. II. *Inviolanda rerum contractarum fide.* Sicut enim iterum bene hoc à *Cic.* positum est (2. *Off.* 24.) quod *nulla res vehementius remp. contineat quam fides*: Ita fide violata, dissoluitur facile resp. Ingens ea domi forisque noxa. Domi enim concussa fides seditiones excitat: sicut historia Romana ostendit, quotienscunque de agrariis legibus & nouis tabulis actum est. Foris infamia paratur ciuitati, odium, & sæpe, ob contractus non seruatos, bellum.

Imperantium Iniustitia partim ad vim spectat, jam supra notatam: partim sine vi considerari potest; referturque vtraque ad fontem *Ambitionis* & *Auaritiæ*, *vel* in occupando, *vel* in mutando, *vel* in administrando Imperio. Ad hæc fundamenta commode pertinet, quidquid est sophismatum, artium, arcanorum dominationis tyrannicæ. Enumerantur talia apud *Aristotelem l.5. Pol.* 10. *&* 11. & *Clapmar. de Arcan. Rerump.* Si quis partiri & disponere velit, non poterit meliorem methodum sequi, quam per *jura maiestatis* e.g. *iniustitia in legibus ferendis, in judiciis, in bellis suscipiendis gerendisq́, ac eminente dominio exercendo &c.*

Iniustitia parentium vel ad detrectanda ciuilia munia, *vel* ad iniuriam Status, *vel* ad iniuriam & contumeliam personarum imperan-

perantium; *vel* ad iniuriam ciuium (quæ in inæqualitate consistit) pertinet.

Noxa iniustitiæ sæpe ab initio non satis obseruatur, dum latet sub prætextu & præscriptione justitiæ; & ab euentuum ad se inuicem consecutione pendet.

Ignauia. *Ignauia* comprehendit 1. *animum mollem in consultando.* 2. *inertiam in agendo.* Resp. enim generosis consiliis, nec raro fortibus armis, opus habet.

Cerniturque vel in negociis pacis, vel in militia.

Ignauia pacis in eo est, quando effectus & profectus disciplinæ ciuilis actionumque nec curatur, nec vrgetur.

Ignauia belli in apparandis, sumendis, tractandis inefficialiter armis versatur.

Ignauiæ plerumque assidet imprudentia & intemperantia.

Noxa præsens, in historia omni & vita. Ita ignauos Asiaticos populos facile Alexander, antea autem Sardanapalum Arbactus vicit. Quare quibusdam inter artes fuit, ad ignauiam traducere, quibus seruitus parabatur. vid. *Justin.* 1,7,12. *Tac.*4. *Hist.*64.

Extant passim querelæ prudentum, ex eo calamitatem & interitum Ciuitati ominantium, si à generosis consiliis & strenuo actu cessari viderent.

Intemperantia se prodit:

Intemperantia. 1. In profusis sumptibus, mensæ, vestium, supellectilis, ædificiorum, spectaculorum &c. *Tac.*

Tac.3. A.52.53.54.55. Liu.34,1. vsque ad 9 Sallust. Catil. 12. & 13. It. Orat. de Rep. Ord. Seneca in epistolis passim.

2. In libidinibus, petulantiis, lasciuiis. Quas in Romanis exagitant, noxamque ostendunt, præter *Senecam* & *Sallust. Poetæ Satyrici, Horatius, Iuuenalis, Persius.*

Noxam ad detrimenta reip. pertinentem, ostendunt iidem; tum, magnis casibus exemplisque *Tragici.*

Hac occasione tractantur variæ quæstiones. e.g. de lupanaribus tolerandis aut vetandis. vid. *Gerhard. l. de Coniug. &c. De LL. Vestiariis, sumtuariis &c.*

CAP. V.

De

Effectu vitiorum intermedio ad corrupt. ciuit. &c.

AD infirmationem, corruptionem, destructionem Ciuitatis, vitia perueniunt, non *sine effectu intermedio.* **Vitiorum**

Qui vel spectatur, vt est omnibus ciuibus communis, vel vt est imperantibus aut parentibus proprius. **Effectus intermedius,**

Effectus intermedius, omnibus ciuibus communis, est 1. *neglectio scopi siue finis ciuitatis.* i. e. quando in rep. ita viuitur, tanquam si non esset resp. 2. *neglectio aut violatio ordinis ad hunc scopum ducentis.* **Communis,**

Imperantibus proprium Lips. facit *odium* & *contemtum,* de quo *lib. 4. Pol. c. 11. & 12.* Vbi, more **Imperantibus proprius,**

more suo argumenta quædam huc trahit, alias aliis in locis tractanda.

Parentibus proprius. *Parentibus proprius est, obsequij imperitia & ignavia.*

CAP. VI.

De

Remediis Rerumpubl. corruptioni opponendis.

Corruptioni rerumpubl. opponenda cum iudicio. IN *judicio de reip. corruptione aut diminutione ferendo, ratiocinanda sunt probe* 1. *tentamenta, præludia, præparationes.* 2. *gradus corruptionis, noxæ, pericula.* 3. *temporis præteriti, instantium, imminentium, specimina, habitus, omina & signa.* 4. *idq; in singulis ciuitatis partibus.*

Remedia. quorum 1. Genera notanda: Hoc facto ad *Remedia* transeundum. Quorum considerantur 1. *Genera.* Alia enim sunt *strenua & præsentanea, alia tarda & moras trahentia.* Quædam *lenia, mollia, placida*: Quædam *aspera, dura, fortia.* His in *pauca*, illis in *multa*: his *in istam*; aliis *in aliam partem* ciuitatis ac negotiorum salutaris vis inest. In nonnullis, *aperta*; in aliis, *occulta* est efficacia &c.

2. Vsus: 2. *Vsus*, qui singulari & exercitata prudentia opus habet, & industria siue dexteritate agendi applicandique. Nisi enim accurate judicaueris de natura cuiusque remedij, nisi efficaciæ momenta & seriem præuideris, haud felicem in medendo operam sumes.

3. *Tem-*

3. *Tempus* seu potius tempestiuitas: prodest ab initio, quod nocet in medio; aut inuicem. Prodest ex occasione, & emergenti, vt sic dicam, symptomate, quod ordinario rerum morbique habitu non prodest &c. 3. Tempus.

Videatur omnino, exempli caussa, & vt praxis huius philosophiæ *Sallust. Orat. de rep. ordinand.* siue, ex corrupto statu post bella ciuilia in meliorem referenda & restituenda. Item *Jul. Pflug. Orat.* (1560. scripta) de Ordinanda Rep. Germaniæ. Vbi præsertim examinari merentur, quæ de jure Cæsareo disserit, an morbo reip. an tempori aptum remedium, & aliis præferendum sit. Juuaret etiam examinare *Ostermanni Palladium Pacis exulantis*: in quo multa prudentiæ eius, de qua hic agimus, deliquia. It. *Hippolit. à Lapide.* Annotatio.

Propter comparationes crebras à re medica petitas videatur *Canonhier in Aphorism. Polit.*

Atque hæc est quasi *generalis* tractatio, de Remediis. *Specialia* in re præsenti spectantur. e.g. Quomodo medendum Monarchiæ corruptæ, quomodo Oligarchiæ; quomodo Ochlocratiæ, aut mixtarum formarum vitiis &c.

Colligendæ sunt præsertim obseruationes & regulæ ad omnem de remediis philosophiam pertinentes, ex historia inprimis, quæ omnia referuntur 1. vel *ad Notitiam morbi*, vbi e.g. mature initia orientis morbi obseruanda; parua non negligenda, conse-

quentiæ rerum & euentuum ſpeculandæ &c. 2. vel *judicium practicum*, de morbi indole, fatiſque. e.g. quo velit modo tractari morbus; vbi cautam, vbi audacem manum requirat; &c. 3. vel *ad effectum remediorum obſeruandum, ſufflaminandum, promouendum &c.*

Legendæ hic præſertim deſcriptiones mutationum, reformationum, emendationum in Rebuſp. vt Florentinæ in Principatum &c. vide omnino memorabilem locum *Ariſtotelis* 2. *Pol.* 8. de medicina ἀτόπῳ καὶ ἐ πολιτικῇ. *Liu.* 23, 5.

LIBER VI.

CAPUT I.

De Ciuium numero & qualitate.

In adminiſtratione Reipublicæ reſpicitur

HOc libro agendum eſt I. *De Ciuium numero & qualitate.* II. *De Loco Ciuitatis.* III. *De partibus Ciuitatis, ex præcipuis actionibus, quas certa hominum genera in certis rebus obeant neceſſe eſt.*

1. ad numerum ciuium.

7. Polit. 4.

Incipiendum eſt de *Ciuium* numero, & qualitate. Ac de *numero* quidem non opus erit multa verba facere. Nihil enim ſimpliciter pronunciari poteſt. Et jam ſupra, cum de potentia ageretur, fundamenta huius philoſophiæ jacta ſunt. *Ariſtotelis* regulæ hæ ſunt: 1. diſtinguendam eſſe frequentiam à magni-

tudine ciuitatis. Non enim, illa posita, statim hanc sequi. 2. in numero modum optandum; immodice enim numerosas Ciuitates vix ad εὐνομίαν comparatas esse. Adduntur & aliæ rationes, quas ibi videre est. 3. Multitudinem siue numerum ciuium definiri, præsertim inde, si instructus ille cœtus sit rebus ad beate viuendum pertinentibus.

At *qualitatem Ciuium* ad duo capita refert *Aristoteles*: vt sint 1. διανοητικοί, *intelligentia præditi, dociles*, minime hebetes: 2. θυμοειδεῖς, *animosi, fortes, impauidi*. 2. ad qualitatem ciuium. 7. Pol. 7.

(Ratio huius philosophiæ explicata.)

Coniunctim sunt hæc exaudienda, non *alterutrum* seorsum. Quod Aristoteles exemplo *Asiaticorum* & *Europæorum* illustrat: *Græcos* autem, ceu vtroque præditos, suo more dilaudat.

Vt autem tales sint Ciues aut fiant, partim *natura & ingenium* præsto est; partim disciplina adhiberi debet.

De *natura & ingenio* diuersorum populorum actum est in *Politicis Lipsianis*; allatis cautelis. collegitque ad hoc caput aliqua *Piccartus*, addantur etiam *Joach. Camerarius & Sepulueda*.

De *Disciplina* notandum. 1. *naturam disciplina facile emendari*, & *ad vtrumq; institui*. 2. *disciplinam* illam partim confieri *legibus huc relatis*; partim 3. *educatione, Scholis, moribus*. 4. *genio sæculi mutato*.

CAP.

CAP. II.

De

Loco Ciuitatis.

3. ad Locum Ciuitatis: LOcum *Ciuitatis* diligenter tractat *Aristoteles lib.7. Pol. c.* 11. Et dicta sunt supra à nobis pleraque *lib.*4. *c.6.*

Quæ autem de loco *Vrbis* eximiæ dici solent, etiam ad *Ciuitatem totam*, sensu politico acceptam, pertinere possunt.

In loco igitur totius Ciuitatis spectatur: 1. *Salubritas*. Ita prouinciæ quædam *grauioris cœli* apud *Suetonium* memorantur: Vt, si magna Ciuitas sit pleraque parte salubris, etiamsi quædam loca insalubria occurrant. 2. *Sufficientia rerum necessariarum & vtilium*; tum *colligendarum*, tum *communicandarum*. hoc sensu: Si talia locus ciuitatis vel ferat, vel facile importanda aut communicanda admittat. 3. *Defensionis facultas*. De qua supra. Add. *Aristoteles lib.7. c.5. & 6.* cum *Interpretum* annotatis.

DIGRES-

DIGRESSIO
DE
CIVITATE MARITIMA.
CAP. I.
Vocum explicationem præmittit.

Ciuitas hic vocatur, vt ex disciplina supra tradita patere poteſt, quæ ſuis ipſa auſpiciis, ſuis legibus vtitur, totumque, & ſeparatum ab aliis, ciuilis conſociationis corpus conſtituit; neque vt pars alterius corporis ſpectatur. Qua ratione ab vrbe quid differat, manifeſtum eſt: quanquam fieri poſſet, vt ciuitas integra vnius vrbis ambitu contineretur. Sæpius tamen ciuitas, vt nunc accipitur, amplioribus ſpatiis, agro, pagis, vicis, vrbibus, pluribus paucioribus deſcribi creditur.

Maritima autem Ciuitas dicitur, quam vel tota amplectitur Amphitrite, vt Inſula ſit; vel ex maxima parte, vt Peninſula habeatur; vel notabili loco, & ad accedendum egrediendumque opportuno alluit mare. Nam & huic generi fauet vſus & conſuetudo loquentium, ſcribentium, negotiantium. Quinimo, ſi Ciuitas habet vrbem aut vrbes maritimas, vtitur illa in parte iis rationibus, quibus vti licet toti, ſi tota maritima ſit. Videre licet pulcerrimam quæſtionem de Pha-

lib.22.c.41. Pharo insula & Heptastadio, apud *Ammianum* *cap. 20. n. Marcellinum*: disceptatam *Joanni Gryphiandro* *115. usq. ad* in erudito *de Insulis* Commentario. Quid? si *127.* quis destitutam Cleopatram tueatur? Liceat hoc facere, sicut in judicio nemini patronus inuideri solet.

Permiscetur autem persæpe hæc quæstio, cum de commodis incommodisue situs maritimi, vel vrbis, vel totius ciuitatis exemplo, *ad lib. 7. Polit. c.6.* disputatur: sicut videre est apud *Interpretes Aristotelis*. Et sane pleraque, quæ de vrbibus maritimis dici possunt, sua quadam ratione ad totas, etiam maximas, ciuitates pertinent. nisi quod Ciuitates & regna, antiquitus suas sedes adepta, non opus habent illa deliberatione, de situ eligendo, sicut interdum de Vrbe consultatio incidit, penes mare ne sit, an ab eo longius propiusue constituenda. Et *Ad Attic. lib. 6. ep. 2.* quanquam apud *Ciceronem* Dicæarchus, & in *principio libri quarti de legibus Plato*, maritimum situm non valde probent: nos tamen eum hac vice commendabimus, & ad amplitudinem Ciuitatis ac potentiam haud paulo plus conferre, quàm situm mediterraneum, statuemus.

CAP. II.

Qua forma reipublicæ Ciuitas Maritima vtatur, an intersit. Nullam formam excludi, neq; comparationem inde

inde recte peti in hoc negotio. Legibus tamen in quauis forma opus esse, rem maritimam regentibus. Discerni illas leges varie.

Qua forma autem reipublicæ Ciuitas maritima vtatur, parum refert. Omnem enim reipublicæ formam ei aptam esse, præterquam quod vsu magistro docemur, nulla dubitandi ratio ostendi potest.

Quanquam enim *Libertatem* & *plurium regimen* aliquis præferre videatur posse, ex illa ratione, qua *Sallustius in Catilina* vtitur, quando, exactis regibus, *homines magis ingenium in promptu habuisse, & se suaq; magis extollere cœpisse*, putat; id quod etiam Belgarum exemplo, postquam Hispanica ditione exempti sunt, nonnulli ostendere parant: non tamen recte instituitur comparatio talis, aut ad formam statumue Ciuitatis refertur; cum aliunde pendeant, qui hic memorantur, euentus; & ad casus quosdam temporum, rerumque, in quauis republica exoriri solitos, pertineant. *cap.7.*

Jam, si quis dicat, in singulari vnius imperio in expedito magis esse maritimam administrationem, hæc ratio non spectabit magis ad maritima, quàm ad reliqua negotia Ciuitatis gerenda: quæ nonnulli, dum formas inter se contendunt, præsentius efficaciusque vnius nutu confici demonstrant.

Nam,

Nam, cum in rem præſentem ventum eſt, in *Monarchia* quidem antiquitus *Minois* exemplum præcellit; &, ſi propiora quærimus, *Magnæ Britanniæ,* id eſt, Ciuitatis maritimæ, hac imperii forma ad ſumma prouectæ: *Ariſtocraticæ* Ciuitatis maritimæ incomparabile ſpecimen *Veneti* præbent: ſicut in *populari imperio, Athenienſes*: in *mixto ex Ariſtocratia & Politia ſtatu,* ſi multos ſequimur, *Confœderati Belgæ.*

Quæ res facit, vt quamuis reipublicæ formam Ciuitati maritimæ aptam nihil dubitemus pronuntiare. Illud autem ſatis intelligitur, cum adminiſtratio Ciuitatis Maritimæ in rebus haud paucis differat ab adminiſtratione Ciuitatis non Maritimæ; Legibus opus eſſe ad hanc Ciuitatis conditionem pertinentibus. Argueretur enim inſignis defectus ab hac parte, ſi non eſſent proviſa omnia ac deſtinata. Exemplis clarius fit, quod dixi. Si Ciuitas aliqua oppoſita eſſet, non dicam expoſita, barbaris, à fide omni ac virtute alienis; non bene conſtitutam dixeris, niſi leges, quibus aduerſum illos defendatur & excitetur, ſollerter excogitatæ, grauiter perlatæ fuerint. Nam & latrones ac piratæ non poſſunt hoc genere legum carere: ſi quidem velint non in diem viuere. Ferri autem ſolent tales leges, *vel* de *jure nauigandi*, ſiue *vtendi mari*; *vel* de *eiuſdem vtilitate*; *vel* de *eiuſdem ordine.* Poterit qui volet, & aliter, ac fortaſſe ſubtilius, partiri. Exempla autem habemus in antiquitate, *Leges Rhodias*; & *Romanas,*

manas,

manas, aliasq; collectas *Morisoto*. Addi debet jus nauticum *Wisbyense, Lubecense,* (de quibus doctissimus *Gryphiander*) tum *statuta variarum Ciuitatum nautica.* *Orb.marit. lib.1.c.30.& lib.2.c.9. de Insul. c.13. §. 83. &c. & œcon. leg. lib.1. c.25. n.32. &c.*

CAP. III.

De Imperio maris alibi agitur. nunc quæstio est, quid Ciuibus Ciuitatis maritimæ concedatur aut interdicatur? Tum, quid sibi reseruet Ciuitas? Religio. Locus. Tempus. Quæstus.

Ciuitas Maritima, in quantum sibi vindicare possit imperium in mare, aut non possit, alii diligentius exquisiuerunt: in his *Grotius*, & qui aliquid annotant. Relictis ergo iis, quæ de externorum jure quæruntur, hoc tantum monemus: Ciuitati Maritimæ jus esse, vsum maris suis Ciuibus laxandi restringendiue (extra vsus innoxios & necessarios) prout Reipublicæ salus postulat. *de I.B. 2,2. & 3.*

Neque enim audiendi sunt, qui nauigationibus (celeberrimo frequentissimoque maris vsu) plane abstinendum, vix serio, scribere tamen non dubitarunt. Quos enim Deus apud mare constituit populos, illis vsum maris vltro videtur commendasse.

Reſeruat ergo ſibi Ciuitas omne, quod ad arma pertinet, arbitrium. Ita munire Inſulam, claſſem armatam in mare educere, non eſt priuati arbitrii. Non tamen vetita cenſentur priuatis munimina & aggeres mari, ne agris cuiuſque ingruat, oppoſiti, niſi quod hæc quoque cura (ob lites de hac re inter vicinos, diuerſa commoda allegantes, exoriri ſolitas) ad jura ſummæ in Ciuitate poteſtatis transferri cœpit. Naues non bellicas ob fines non bellicos è portu proficiſcentes armare, naturaliter licet illis, quibus itineris maritimi poteſtas facta eſt. Sicut viatori gladium neceſſariæ defenſionis cauſa geſtare licet. Sed vix conſultum aut vſitatum eſt, hanc quoque partem inſpectione aut cura legislatoris vacare. Vectigalia à præternauigantibus exigere, non ſingulorum ciuium, ſed Ciuitatis eſt. An & jus naufragii colligendi ſibi vindicare Ciuitas poteſt? Ita. niſi vrbibus quibuſdam ad mare ſitis permittat; aut ciuibus ſuis. vtrobique tamen temperamento opus eſt: vt, ſi de naufragis conſtat, facultas recipiendi eis non adimatur, repenſa impenſa.

vid. Grot. I. B. 2.7,1. De cetero, Ciuitas maritima merito conſtituit, quæ ad nauigationem religioſe ineundam & peragendam pertinent. Apud Ethnicos quoque non mos tantum, ſed lex erat, diis preces in principio, grates in fine operum dicare. Gallorum hac in re legem *De venatione c.35.* laudat Arrianus; & addit: ἀλλὰ καὶ ὅσοι ναυτίλλονται, ἀπὸ θεῶν ἄρχονται, ὅσοις τι τοῦ σώζεσθαι μέλει,

μέλει, καὶ ἀνασωθέντες χαριστήρια θύουσι τοῖς θεοῖς τοῖς θαλαττίοις, Ποσειδῶνι, καὶ Ἀμφιτρίτῃ, καὶ Νηρηίσιν. *Lucas Holstenius* ita vertit: *nam & rem nauticam exercentes à diis faciunt principium, quotcunque suam sibi salutem cordi habent, & vbi salui euaserunt, diis marinis, Neptuno, Amphitritæ, & Nereidibus, gratiis referendis sacra faciunt.* Et de Fortuna, quæ dea marina πηδάλιον gestans, Antii, aliisque vrbibus maritimis colebatur, vel ex Horatio notum. Quidni Dei notitiam vberius adepta Ciuitas cultum lege publica decernat ei, cui venti & maria obediunt? *lib.1 carm. od.35.* Ita videmus in regnis maritimis, classem perpetuo, expeditiones seorsum, Deo custodi & seruatori, publicis precibus commendari. multæque bonæ consuetudines, etiam citra legem, inter Christianos nautas inualuere. Quanquam hoc genus ad superstitiones multas procliue, & vento secundo licenter viuere assuetum, rerum aduersarum & prosperarum rationes, raro, cum Diuino numine putat. Bodinus in amplissimo *de abditis rerum sublimium arcanis* opere nunquam edito, sub initium, cum cadaueris conditi (Mumiam vocant) jactu tempestatem sedatam retulisset, Dæmonibus & geniis nimis multa videtur attribuere in his rebus. Aduersus quæ vna Lex Ciuitatis Maritimæ valere debet: vnum esse,

Quem maris & terræ tempestatumque potentem
respicere & venerari omnes oporteat ciues.

Potest etiam loca quædam nauigationibus priuatorum interdicere: tum ad quæ loca ci-

ues suos velit excurrere, quibus abstinere; denique quas exterorum naues admittere, quas non admittere velit, decernere licet Maritimæ Ciuitati; dummodo juris & commercii humani reuerentia regantur eæ leges. Idem debet nimirum juris esse maritimis, quod in mediterraneis agris sibi Ciuitates vindicant. Sicut de Neruiis antiquis (hodie Hænouii & Cambresiani illam partem incolunt) Julius Cæsar testatur: *nullum aditum ad eos esse mercatoribus; nihil pati vini reliquarumq; rerum ad luxuriam pertinentium inferri.* Quod & *Sueuos* statuisse, ad quos de cætero mercatoribus aditus erat, apud *eundem Historicum* legas. Chinenses cum naufragio male multati essent in freto Zeilano, pœnam capitis statuisse in eos, qui in illas partes nauigarent, *Boterus* auctor est: atque id consilium, suis se continendi finibus, multis laudibus fert. Iidem *homines exteros difficillime in vrbes suas admittunt, ne moribus externis obliti, ab institutis suis paulatim deducantur*: teste *Osorio*. An hæc ratio, quæ crebro auditur, justitiæ sit vsquequaque consentanea, dubitare queas. placet, disputandi causa, negare.

de Bell. Gall. 2, 15.

B. G. 4, 2.

in Polit. Reg.

de reb. Immanuel. Lusit. lib. 11.

Tempus (καιρὸν πλοῦ ἐπιτήδειον) Natura demonstrat, Sapientes obseruant, Lex decernit. Igitur quæ *Hesiodus* suauissimis 77. *versibus* de tempore ad nauigandum idoneo aut non idoneo disserit, merentur pro Suasoria Legis maritimæ haberi. Neque *maris clausi & aperti* discrimina, in ciuitatibus maritimis, tantum inter obseruationes Nautarum, sed inter præ-

lib. 2. ἔργ.

cepta

cepta legislatorum leguntur. Notæ sunt *Imperatorum constitutiones*, de *hyematione* & *naufragiis*, quatenus huc pertinent. Pro conditione autem & diuersitate locorum, nauium, causarum, non vno vbique & semper isthæc talia modo statui consueuerunt. Sæpe atroces casus Legislatoris animum huc aduerterunt. Ita, cum anno 1468. Nauis Lubeca Reualiam tendens, vna cum mercibus, & vectoribus 200. diuersi sexus & ordinis, in faucibus scopulorum Sueciæ & Finniæ, naufragio interiisset, *inde* lege *constitutum est*, vt *post Martini festa nulla nauis in Liuoniam soluat ex portu Lubicensi*, referentibus *Alberto Krantzio fine libri XII. Vandaliæ*; & *Jo. Regkman.* in *Chron. Lubec. Germ.* daß niemand nach Martini von der Drave solte segeln. Addit tamen *Chronicum*: und diß wird nicht gehalten. Idem contineri in *statutis nauticis Hamburgensibus*, vt *terminus nauigandi fine Octobris aut principio Nouembis concludatur*, memorat *Gryphiander*.

l. 6. C. de offic. rect. prov. & l. 3. C. de Naufrag.

Oecon. legal. lib. 1. c. 25. §. 149.

Quæstum piraticum nec conniuendo tolerabit Maritima Ciuitas, & seueris vltro legibus interdicet suis ciuibus: quinimo ad coercendos aliunde infestos piratas sedulam operam, sui & aliorum causa, nauabit. *Necessariam Piraticam*, nullo tempore, in præteritum aut futurum agnoscimus, neque ita excusari posse illum rudi vetustati apud ethnicos quasi probatum acquirendi modum, statuimus, de quo *Interpretes Aristotelis*, & *Clar. Schefferus de militia Nauali*: licet prætexatur, vel victus quærendi, vel sedium requirenda-

ad 1. polit. 5. l. 1. c. 3. & in Add.

rum necessitudine. Non magis Septentrionalium populorum, iisdem in Medio Æuo consiliis suffragari fas est. Cordate *Crantzius in Dania*: *Compertum est, apud veteres huius ditionis homines, iustum esse habitum quæstum, exercere piraticam. Fuere tamen inter reges huius nationis, qui rem scelestam perosi, summis conatibus improbitatem illam sunt insectati. Christianis autem temporibus, omnis ea deprædatio piratica abolita est.* Alibi, de Winulis ob piraticam bello petitis, *piraticæ*, inquit, *nullum faciebant finem, arbitrati (barbaro sensu) honestum id esse militiæ genus.* Iterum: *arbitrantur in paganismo barbari, iuste possideri quicquid vi aut armis quæreretur. Quam sententiam inter Christianos nec dum multi antiquauere, armati, præsertim militiam sequentes.* Licet enim Christianis, vt ante dixerat, ex instituto sui ordinis, abominabilis esse debeat piratica, tamen neglecto conscientiæ dictatu, multi, quod verbo damnant, factis æmulantur. Quærat curiosus aliquis: an illa piratica, quæ auctore Wethemanno Roskildiæ cœpit, tempore Suenonis IV. & Canuti V. etiam improbanda sit, cuius disciplinam describit *Saxo Grammaticus?* sed illa nomine *piratica* dicitur: ceterum auspiciis publicis vtiliter aduersus piratas instituta militia haberi debet. Rectius diceretur militia nautica voluntariorum, spe prædæ de piratis capiendæ auctorata.

lib. 1, c. 38. *Wandal. lib. 3. c. 35.* *Wandal. 1, 7.* *lib. 14. pag. 259. & seq.*

CAP.

CAP. IV.

Studium rei nauticæ Ciuitati Maritimæ necessarium. In structura nauium Ciuitati accommodanda. In arte nauigandi tradenda. In mechanicis & mathematicis physicisq́ disciplinis colendis. In exercendis nautis. In præmiis & priuilegiis decernendis.

VT Maritima Ciuitas maris & patiens & sciens sit, primarii est consilii. cumque vsus maris nauigando potissimum absoluatur, ad rei naualis studium ciues assuefaciendos esse, satis intelligitur.

Non dicemus de illa consuetudine, qua in vndis prolem educari constat, ab iis, quibus maria & flumina atque adeo naues pro patria sunt. Quanquam hoc non apud *Chinenses* tantum factitari, ob exuberantem hominum multitudinem, comperimus, sed cotidie fieri videmus, vel ob nauigationis moras, vel ob pontium naualium custodiam, aliisque de causis. Nam de longinquis nauigationibus, vbi multos sæpe per menses non descenditur in terram, nunc non loquimur.

Naues certe, in quibus magna pars Ciuitatis maritimæ, sæpe ipsum robur & compendium, versatur, summo sunt studio comparandæ, prout earum varietatem, structuram, ornatum, maris conditio, vsus negotiorum, temporum & casuum circumstantia postulat. Rebus enim angustis & modicis, rudimenta quoque & tumultuariæ naues aliquando sufficere potuerunt. plura & exactiora, cupido habendi, aut subnati æmuli inimiciue admonuere. In Aremoricis siue litoralibus Venerorum in Gallia ciuitatibus, laudat *Cæsar* inprimis, quod habuerint illis Oceani partibus penitus accommodatas naues. Pro magnitudine autem Ciuitatis, vtile est, magnum numerum omnis generis nauium præsto esse. Potest enim fieri, vt bello ingruente, ad alios, quàm ad quos factæ sunt, vsus valeant. Belgis certe hæc res fiduciam non exiguam semper, & vsum eximium sæpe præstitit.

de B. G. lib. 3. c. 13.

Non autem diligentia tantum ædificandis nauibus opus est (de qua etiam *Vegetius* ad vsus bellicos aliquid præcepit, & ex eo *Ægidius de regimine Principum capitulo vltimo, in Manuscripto codice supplementum libri tertij professo*) sed etiam frequenti repetitione structuræ. Nam quæ exempla antiquitus fuerunt, de valde longæuis nauibus, in exemplum trahi non debent.

lib. 4. c. 34. & seqq.

Ars porro nauigandi constat, rudimentis, obseruationibus, experimentis. Nam rudis aliqua meditatio, etiam ad adolescentiorem

tiorem ætatem pertinet. variæque exercitationis ſpecimina etiam in Ludis Nauticis & Piſcatoriis edebantur. quamuis, vt in reliquo hoc genere, Naumachiarum ingens apud Romanos abuſus eſſe cœpit. Videatur *Cl. Schefferus de milit. Nau. lib.1. c.5. & l.2. c.2.*

Obſeruationes ad ſcientiam referri par eſt mathematicam, qua & ratio conſtituendi naues judicatur, & peritia ἱστιοδρομίας ſeu velificationis comparatur, & vſus pyxidis nauticæ intelligitur. Sed hæc ſubtilius oſtendenda ſunt.

Siderum quoque notitia, Geographica & Hydrographica ſcientia, ventorum cognitio, Ciuitatis Maritimæ inſtitutis vnice conueniunt. Quid de Æſtu marino dicemus? cuius deſperata pæne eſt hactenus explicatio. Probandi autem in primis ſunt, qui ad eam ingenium & obſeruationes ſuas conferre velint. Quin enim hæc cognitio, labores, & pericula nauigationum, totiuſque negotii maritimi, plurimum ſubleuare queat, nulla eſt dubitatio.

In his ſtudiis duæ cautiones videntur opportune adferri poſſe: quarum vnam *Strabo*, alteram *Ptolemæus* ſuppeditant. *Strabonis* hæc *lib. 1.*
eſt admonitio: Καὶ γὰρ εἰ μὴ δυνατὸν, κατὰ τὴν *γεωγραφ.*
ὑπόθεσιν τὴν τοιαύτην ἅπαντα ἀκριβοῦν διὰ τὸ *p. 8.*
εἶναι πολιτικωτέραν, τό γε ἐπὶ τοσοῦτον ἐφ᾽ ὅσον καὶ τῷ πολιτικῷ παρακολουθεῖν δυνατὸν, προσήκει ἂν εἰκότως. *Etenim ſi in hoc genere non poſſunt omnia exactius inueſtigari, eo quod ciuiliter philoſophan-*

dum est; eousq; certe procedendum fuerit, quo viri ciuilis industria queat pertingere.

lib. 1. Geogr. c. 1. *Ptolemæi* autem cautela, de Geographia vniuersè, ad maritima studia pulcre congruit, quando exertius suadet, ὅτι ταῖς ἐγγυτέραις τῶν ἱστοριῶν προσεκτέον, διὰ τὰς ἐν τῇ γῇ κατὰ χρόνον μεταβολάς, *quod nouissimis historiis potissimum attendendum sit, propter multas in variis terrarum locis tempore procedente factas mutationes.* Sane quantum obseruationis nouissima quæque nauigatio prioribus adiecerit, volumina & Descriptiones vnius & alterius sæculi abeunde demonstrant.

Ciuitati ergo maritimæ consultum fuerit, semper Artifices mechanicos, & insignes Mathematicos, denique præcipuos talium studiorum auctores, in promptu habere; eosque animosis mercedibus conducere: vt nunquam huius disciplinæ cupidos vlla possit occasio deficere.

Nec in ampliore ciuitate impensæ deesse queant. Ex annuo enim quæstu nautico facile aliquid in hos vsus seponeretur. Accederent liberalitates extraordinariæ, mercatorum, & aliorum qui hæc studia amant, peculiari fisco inferendæ. Disciplina quoque, vt parabilis esset, sæpe lingua vernacula institui posset. quod vtiliter hodie alicubi factitatum nouimus. Instrumenta quoque omnis generis & machinæ impensis publicis ad manum esse debent, ne vel pauperculis adiumenta denegari videantur. Jam, quæ volet esse Maritima Ciuitas, quæ non

ingenia aliquot idonea peculiaribus inuitamentis ad culturam horum ſtudiorum traducat? Hos poſtea peritiſſimis naucleris commendari, & experimenta maris, in minoribus primo & propioribus, mox in maioribus & longioribus itineribus, capere, fas eſt.

An aliunde in Ciuitatem Maritimam multitudo hominum nauticorum conducenda ſit, dubitatum eſt. Periculoſum hoc eſſe, oſtendit *Iſocrates in Panathenaico*, vbi ait: potentiam maris augeri ἐκ τῶν τεχνῶν, τῶν περὶ τὰς ναῦς καὶ τῶν ἐλαύνειν αὐτὰς δυναμένων, *ex artibus nauticis & hominibus qui remos agere poſſunt: & hos eſſe plerumque homines, quibus nulla domi bona res, omnis de alieno victitandi ſpes; qui ſi in Ciuitatem confluant, mores & fata eius ne mutentur, periculum eſſe.* Vbi notandum, non de mathematicis artibus & artificibus, & machinatoribus eximiis, ſed de nautica turba ſermonem eſſe. Nam rariores illi & maiores artifices, quin aliunde pelliciantur, nihil vetat. At vt ciues ipſi nautica obire munia diſcant, vel Lacedæmoniorum exemplo intelligi poteſt, quàm ſit neceſſarium: qui cum domi rei nauali non dediſſent operam, aliunde nautarum omne genus, magno ſuo cum incommodo & periculo arceſſere cogebantur. Athenienſibus autem domi naſcebatur hæc peritia. quos Ciuitas Maritima imitari debet, efficiendo, vt ſæpe ciues nauigent. Veriſſime enim *Xenophon*; ἀνάγκη γὰρ ἄνθρωπον πολλάκις πλέοντα κώπην λαβεῖν καὶ αὐτὸν καὶ τὸν οἰκέτην, καὶ ὀνόματα μαθεῖν τὰ ἐν τῇ ναυτι-

p. 506.

de rep. Athen. p. 404.

κῇ

κῆ, δι' ἐμπειρίαν δὲ τῶν πλοίων καὶ διὰ μελέτην· *Necesse est vtiq; hominem, qui sæpe nauiget, remum in manus accipere, & ipsum & famulum ipsius, atq; adeo condiscere vocabula rei nauticæ partim experientia nauigiorum, partim meditatione.* Et de meditatione subiicit: ἐμελέτησαν δὲ οἱ μὲν πλοῖον κυβερνῶντες, οἱ δὲ ὁλκάδα. οἱ δ' ἐντεῦθεν ἐπὶ τριήρη κατέστησαν, οἱ δὲ πολλοὶ ἐλαύνειν εὐθὺς ὡς οἷοί τε εἰσβάντες εἰς ναῦς, ἅτε ἐν παντὶ τῷ βίῳ προμεμελετηκότες. *Meditatio autem fiebat, dum alij nauem gubernabant, alij onerariam regebant; alij hinc ad triremes transibant: quidam statim vt naues sunt ingressi, remigabant, per omnem scilicet vitam meditationibus talibus præparati.* Dum autem variis ex causis sæpe nauigatur, (vnde vel ad celebre tribunal, vel ad nobilem mercatum suscipi itinera maritima, ratio erat) fieri nequit, quin ciues, quasi ignorantes, & aliud agendo, nautica quadam scientia, quod *Xenophon* ait, imbuantur.

Sed & præmiis huc inuitandi sunt. vbi iterum exemplum Atheniensium singulare est: qui honoribus & muneribus ciuilibus plebem ad studia nautica excitarunt, popularesque maximam partem imperium instituerunt; ne, qui potentiæ in Ciuitate Maritima effectores essent, commodis & honoribus carere viderentur. ὅτι ὁ δῆμός ἐστιν ὁ ἐλαύνων τὰς ναῦς, καὶ ὁ τὴν δύναμιν περιτιθεὶς τῇ πόλει. καὶ οἱ κυβερνῆται καὶ οἱ κελευσταὶ, καὶ οἱ πεντηκόνταρχοι, καὶ οἱ πρωρᾶται, καὶ οἱ ναυπηγοὶ, οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν δύναμιν περιτιθέντες τῇ πόλει πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ πολῖται καὶ οἱ γενναῖοι καὶ οἱ χρηστοί. *quia plebs est,*

Xenophon. de Athen. rep. pr.

quæ

quæ naues agit, & potentiam Ciuitati conciliat; tum gubernatores, hortatores, Pentecontarchi, proretæ, nauium fabricatores. hi sunt, inquam, qui potentiam Ciuitati conciliant magis, quam ciues alij, & nobiles; & fœneratores. sicut *Xenophon* explicat. qui & reprehensum ab aliis hoc institutum pro conditione & ex ὑποθέσει popularis Ciuitatis defendit laudatque. posset fortè etiam ex hypothesi Ciuitatis Maritimæ defendi. *vid. Xenophon. Em. de rep. Athen.*

Pertinent huc etiam alia præmia, quæ ciuibus incitandæ industriæ, vt ad alia studia, ita ad rem nauticam, varie excogitantur decernunturque.

CAP. V.

Ciuitatis Maritimæ consilia & instituta circa rem Piscariam. Distinctio nauigationis & vsus naualis Piscatus, modus acquirendi, ad αὐτάρκειαν Ciuitatis referendus. Controuersiæ de piscatu inter Ciuitates maritimas. Leges Ciuitatis Maritimæ, quibus regitur piscatus, vel quoad artem, vel quoad jus, vel quoad mercimonium.

Maria

MAria & flumina Deus dotauit piſcibus. Igitur Ciuitas Maritima non negligere debet has opes: ſed potius prouidere, ne vnquam deſint, qui huic rei operam dent; tum aliis modis, tum nauibus & nauigationibus.

Solent enim *Nauigationis* illa noſcitari genera; *Piſcatoria, Mercatoria, Militaris, Curioſa.* Quæ & miſceri aliquando videmus.

Et *Piſcatum* quidem ad modos acquirendi
1. Polit. 5. ex venatione peti ſolitos, *Philoſophus* refert, occaſionem & conſilium & ingenium ſubminiſtrante loco & ſitu eorum, ὅσοι λίμνας καὶ ἕλη, καὶ ποταμοὺς ἢ θάλατταν τοιαύτην προσοικοῦσι, *qui lacus, paludes, fluuios aut mare accolunt.* Quod de generibus hominum hic dicitur, recte ad totam Ciuitatem Maritimam refertur. Quæ, natura demonſtrante, hoc victus & copiæ parandæ inſtrumentum non omittit. Quin etiam, pro conditione loci & temporis αὐτάρκεια Ciuitatis, ſiue rerum neceſſariarum ſufficientia, magnam partem hinc inſtruitur. Et ſane mirum eſt, etiamſi de illis nil dicamus, quibus ſiccati piſces pro pane ſunt, quot myriades hominum Deus paſſim alat præcipue piſcibus & marinis animalibus & ſalſamen-
lib. 7. de Ll. p. 641. tis. Vt fortaſſe non bene *Plato*, de venatione agens, maritimam venationem ſiue piſcationem diſſuaſerit, Legiſlatorem ita loquentem ad juuenes inducens: ὦ φίλοι, εἴθ᾽ ὑμᾶς μήτε τις ἐπιθυμία μήτ᾽ ἔρως τε περὶ θάλατταν θήρας ποτὲ λάβοι, μηδὲ ἀγκιστρείας μηδ᾽ ὅλως τῶν ἐνύδρων ζώων, μήτε ἐγρηγορόσι μήτε εὕδουσι κύρτοις ἀργὸν θήραν.

θήρειν διαπονουμένοις. *Ne capiat vos, ô amici, vlla cupido venationis maritimæ aut hamatilis piscatus; neq; omnino, vt velitis aquatica animantia, vel interdiu, vel noctu, sagena otiosam capturam exercendo, venari.* Nisi quis putet, ad mores eum respexisse talium hominum, ipsarumque, quibus vita vtitur, discrimina artium, quo sensu Cicero non probat illas artes, *cetariorum, piscatorum*, comparatione scilicet instituta honestiorum & vtiliorum artium. Imo verò *Plato* sibimet ipse potest esse interpres, quando ex omnibus venationis generibus eam probat vnice honestissimamque decernit, quæ equis, canibus, robore corporis perficitur. Vt ab hac mente minus probanda videatur, quæ minus laboriosa ac exercita est; & ad otium propius accedit. Sicut fere *Philostratus* piscatores suos ἀμηχανῶντας circa thynnorum capturam deliciantes inducit.

l. 1. off. 42.

Icon. lib. 1. tit. ἁλιεῖς p. 752.

Halecum captura abundantissima, circa Rugiam insulam olim celebris, postea apud Scanienses increbuit, hinc ad Noruegos, ab his ad Scotiæ Angliæque oras migrauit. Vbi frequentissima in hunc diem exercetur, & Europæ quodam modo sufficit, ex quo artem muria hunc piscem condiendi circa annum Christi 1416. Gulielmus Buckeldius Belga inuenit, atque,vt durare & longe lateque asportari posset, effecit. De periodo huius piscatus notabilis est Camdeni annotatio: *Haleces Britanniam nostram non sine Diuino consilio, numerosis examinibus quotannis cir-*

Is. Pontan. hist. Dan. lib. 6. pag. 242. & discuss. hist. lib. 1. c. 18.

in Britannia p. 642.

cumna-

cumnatant. *Circa solstitium æstiuum ex alto litora Scaniæ petunt, quo tempore quum pinguiores sunt, statius diuenduntur. Inde Anglica litora adeunt, & ab Augusto medio ad Nouembrem optima & vberrima eorum est captura à Scarborrough vsq; ad Tamesis ostium. postea aliqua vehementi procella in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Christi vsq; natalitia se piscantibus offerunt. hinc Hiberniam vtrinq; pernatantes in septentrionalem Oceanum circumnauigata Britannia se transferunt, & ad Junium quasi subsistunt.* Hæc copia effecit, vt Belgis facile concederetur illis in locis piscatus, sicut *Seldenus* amplius ostendit. vnde Dominii Anglorum Marini argumentum speciose extruit *idem Seldenus.* Alii mallent, vi conuentionis quàm titulo Imperii hunc piscatum niti. Controuersiæ inde magnæ, & nuperæ, necincruentæ. De quarum compositione pax inter Britannos Belgasque inita docere potest.

Mar. Clauf. lib. 2. c. 21. adde Loccen. de jure marit. l. 1. c. 9. §. 4.

Quid contentionis circa piscationem Islandicam & Noruegicam, Anglis & Danis intercesserit, legas licet apud *Seldenum in Mari clauso*, & præsertim *Jos. Isac. Pontanum, in Discussionibus Historicis.* Quibus addi potest *Camdeni Historia Elizabethæ in annis* 1600. *ac subsequentibus* : & *Morisotus* contra *Seldenum.* Elegantes ibi quæstiones de Imperio maris probando ex petita & concessa facultate piscandi: an continuatio huius rei & exercitium vtrinque non omissum, seruitutis mari impositæ nomine à petentibus allegari possit: an omissa diutius *propter incertum regni concedentis*

orb. marit. l. 2. c. 18.

dentis statum petitio, necessitatem petendi extinxisse, & facultatem piscandi præscripsisse, credenda sit: an facultas illa diu continuata, & post interruptiones, ad prædictum modum instaurata, juris patrimonialis nomine possit laudari. & quæ sunt huius generis alia.

Legibus piscatum ordinabit Ciuitas Maritima, quantum ad artem piscandi attinet, & instrumenta, & tempora, & modos. Neque enim obtentu juris vel naturæ vel gentium huius rei libertatem infinitam statuere, fas est. ordinabit, vt cœpimus dicere, summa potestas, vt ceteras ciuium actiones, ita piscatum, vt rationibus reipublicæ conuenit; & id jure suo se facere non dubitabit. Vere nimirum, quantum res patitur, locutus est *Oppianus* ad Imperatorem Romanum:

σοῖς μὲν γὰρ ὑπὸ σκήπτροισι θάλασσα lib. 3. ἁλιευτ.
εἱλεῖται, καὶ φῦλα ποσειδάωνος ἐναύλων. 4. & 5.

Tuis enim sub sceptris voluitur & mare, & quicquid est incolarum siue domesticorum Neptuni. Qua de re satis explicite egerunt *Cl. Loccenius* in *Jure Maritimo*, & doctissimus *Jo. Strauch*. Si modo duæ cautiones efficiant, ne contra externos, aut contra ciues nimis omnia adstringantur. *lib. 1. c. 9. dissert. de Imp. mar. c. 8. n. 4. & seqq.* Id enim ne fiat, videmus, plerasque summas potestates temperamentum alicuius licentiæ reperisse, ac humane non minus quàm vtiliter vsurpasse. Altera cautio prouidebit, ne laxata piscandi disciplina, foris contemtus, domi confusio, litium paulo post mater, subnascatur. Et quando quidem hac de re cogitatio suscipitur, valde profuerit

S cogno-

cognouisse, quæ *Poëta* modo laudatus, & in hoc genere incomparabilis *Oppianus*, præsertim *libro nominato*, non explicauit minus quàm suasit: tum etiam juuerit, exempla talium legum inspexisse, non indiligenter ex diuersis Ciuitatibus collecta *Gryphiandro*, & aliis.

Sicut autem, vt dictum est, de omnibus rebus ad piscatum pertinentibus, Ciuitas præcipere potest: ita ipsum jus piscandi his illisue locis, circa hoc aut illud genus piscium, hoc illoue instrumentorum genere, non ciuibus modo, sed vbi sine iniuria horum fieri potest, externis quoque gratificari, elocare, vendere, sub vectigali concedere, aut etiam non concedere, non nequit. quod & de fœderibus hac de re ineundis vltro intelligitur. vbi, ex tot in vtramque partem prosperi improsperiue successus exemplis, satis apparet, quid factu optimum consultissimumque haberi debeat.

Vt & circa *mercimonia* piscium, exportandosque aut importandos pisces. Sanitatis ratio in his habenda: ne veneant e.g. salsamenta, quæ corrupta, aut pisces pridem mortui, vnde graues & contagiosi morbi generari queunt. Quare forum piscarium diligentissime & seuerissime ordinandum est. Jam, si abundat Ciuitas piscibus, qui exportari commode nequeunt, nil prohibet lege statuere, vt certis diebus carnium esu ciues abstineant. Ratione, vt dixi, magistra; non superstitione. quæ in alteram partem duxit

Græ-

Græcos, vt ex Stagno Neptuni apud Ægias pisces eximere vererentur, ne piscator in piscem mutaretur, referente *Pausania,* qui de Mercurii fonte, cui Hama nomen, similia memorat: σοῦ ἢ ἰχθῦς σὐκ αἱρῶσιν ἐξ αὐτῆς (πηγῆς) ἀνάθημα εἶναι τοῦ θεοῦ νομίζοντες. *pisces exinde non educunt, eo quod Deo sacros credant.* Pretia quoque piscium, vt aliorum cibariorum, finiri, probabilis plerumque est consilii. etiam tempora venditionis. non enim omnes pisces omnibus temporibus, vel valetudinis, vel fœturæ & propagationis habita ratione, venum ire ratio est. Atque huc referuntur medicamenta è piscibus, (de quibus *Plin. hist. nat. lib.*32.) & varia instrumenta, adiumentaque. Non autem piscatus modo ipse sæpe mercimonii celebritate vrbem aut Ciuitatem in profectu mercaturæ potest attollere, sicut de halecum, asellorum, & aliorum generum mercatu hodie constat; & *Tyrum* olim natiuæ purpuræ piscatu immensum celebratam esse legimus: Sed piscatorum quoque stationes & casulæ admonuerunt non raro fatali augurio homines de maximis & summam postea nobilitatem adeptis vrbibus, portubus, munimentis extruendis; quod de *Malmogia,* in *Scania,* &, vt aliqui tradunt, *de Hafnia* in *Sialandia,* de *Ostenda* piscatorum in litore *Flandrico* quondam sede, de *Dunkerka,* & aliis, manifestum est.

in Laconicis p. 203.
in Achaicis p. 441.

CAP. VI.

De Nauigatione mercatoria, siue mercatura maritima. De Consulatu Maris. De Magnis societatibus mercatoriis in ciuitate maritima. De Hansa Teutonica.

MErcaturæ consideratio alibi suum habet locum: hic non aliter, quàm vt maritima est, spectatur. Et inter ea quidem, quibus publicæ curæ & consilia inuigilare debent, *exportanda* & *importanda* numerantur. Quid efferat ergo, quid inferat Mercatura maritima, ante omnia probe decernendum est: ne efferat e.g. quibus domi indigemus; ne inferat, quibus felicius caremus. Tum de hominibus mercaturæ maritimæ destinatis destinandisue per ordines ciuium ac genera operis laborisque dispiciendum est. Denique, disciplina, ordine, legibus vel maxime hæc res vincienda & ordinanda est.

Sicuti autem priora alibi fusius tradita repetere non attinet; ita postremum in *Consulatu Maris* accurate perscriptum explicatumque reperitur: additis *legibus inclytæ Reipublicæ Venetæ* ad hanc rem pertinentibus. Quanquam autem antiquioribus ista hærent radici-

dicibus; constitutionum tamen nauticarum, sæculis à Christo nato, vndecimo, duodecimo, tertiodecimo, celebris in Italia, Gallia, Hispania, prouentus fuit, sicut indidem discas: Quo referas licet consuetudines marinas probabiles; quibus absque esset, non procederet compositi moris disciplina, in genere hominum licenter agere cupiente. Sicut alias videmus, in opificiis quibusdam fieri.

De collegiis & societatibus mercatoriis naualibus longam historiam texere, non est huius loci. Duæ sunt hoc sæculo valde celebratæ apud Belgas, *Societas Indiæ Orientalis*, & *Societas Indiæ Occidentalis*, *Orientalis illa*, inter dura & aspera rerum, quasi necessitate admonente, societas plurium laboribus & impensis priuatis, vt ærario parceretur, inualuit. Inuitante successu, propior cura rei adhiberi cœpit. cum enim singuli æmulatione accensi pretia rerum apud Indos intenderent; &, propter dissociatas aut infirmas collegiorum vires, hostibus aliquando prædæ essent; Respublica ex pluribus vnam societatem fecit, certisque curatoribus ex diuersis ciuitatibus in vnum coituris, quotiens res postularet, rem administrandam tradidit. *Ex hoc tempore*, inquit *Grotius*, *velut nouo bello per orientem exorto, Societas Indicana magna pars reipublicæ cœpit haberi, cum non modo pars prædarum ad ærarium perueniret, sed priuato ciuium sumtu hostis publicus per rapinas & impendia exhauriretur.* Vnde intelligitur, præter mercaturam,

1602, & 1603.

hist. lib. 11. p. 429.

hist.lib.130. p.1087.&c. etiam ad armorum consilia, huius Societatis rationes pertinuisse. Addi debet *Thuanus.*

Creuit subinde mercatorum & nautarum, sed & pecuniarum numerus; neque jam ademto Hispaniæ commercio, India Orientalis suffectura videbatur. Igitur Americam respicere cœpit nautica mercatorum industria, vnde sal & succinum; & pretiosa ligna, medicamenta, itemque metalla asportarentur. Verum insessis ab Hispano litorum præcipuis, priuatæ opes publica auctoritate muniendæ erant. Hinc deliberatum, & disputatum de Societate Indiæ Occidentalis instituenda: sicuti *Grotius* describit amplius. Dilata negotii perfectio in annum sæculi XXI. Quamuis enim in nouo Belgio ab anno 1614. loca quædam frequentarentur & tenerentur: postea tamen Diploma Ordinum Fœderatorum Societati huic amplissima formula concessum, haud parum mercatorios successus deductis coloniis promouit. Diploma variis linguis publicatum est. Operæ pretium fuerit notare in progressu fata prægrandium cœptorum. Non enim ex æquo hactenus vtraque societas floruit: imo, quomodo alteri subueniretur, aut non subueniretur, non paruæ consultationis & molitionis negotium fuit. Sed de illa re alibi.

hist. lib.1.6. p.505. &c.

Jo. de Laët. Nou. orb. lib.3. c.9.

Nunc, qui florentem Galliarum statum non modicis incrementis attolli animaduertunt, huius quoque generis consilia agitari, & *Gallicanam Societatem* commercio Indiæ Orien-

rientalis destinatam non industria minore quàm sollertia parari, obseruent licet. Qua de re eximii prorsus Viri extat dissertatio: subiectis conditionibus, Regia auctoritate firmatis.

De *Hansa Teutonica*, siue *Ciuitatibus Hanseaticis*, plerumque agunt, & *Lexica Juris Publici*, quod vocant, & ipsi *Scriptores* systematum. Imprimis *Jo. Angelius à Werdenhagen*, vasti operis partibus posterioribus, *quarta, quinta, sexta*. Singulare id esse exemplum *Societatum Mercatoriarum*, præsertim *Naualium* (id enim ab initio & postea actum est) negari nequit. Sed *Notitia* tanti corporis atque adeo *historia*, magnos hiatus patitur in hunc diem. neque in hoc transcursu licet moras trahere, aut ad ea aliquid notare, quæ summatim *Chytræus in chronico Saxoniæ*, & ex eo potissimum *Thuanus* in *digressione de Hansa* consignarunt. *lib. 23. pr.* *lib. 51. p. 783. & seqq.*

De initio præsertim, & primo profectu, obscura est satis memoria; mereturque notari quod *Chytræus* dicit: *de quatuor emporiorum initiis, vt de ipsius etiam Hansicæ societatis certa origine, quo anno Christi cœperit* (assignant quidem vulgo 1200. sed documenta non afferunt) *& quomodo emporia singula occuparit; sæpe multumq; ex aliquot præcipuarum vrbium Syndicis, Secretariis, Consulibus, & aliis sciscitatus sum, qui non modo de emporiorum origine certi nil docebant, verum etiam, quo anno ipsorum ciuitates in Hansæ societatem primum receptæ essent, pleriq; non indicabant.*

Ad hunc notitiæ plenioris defectum licet aliquo modo pertinere negari nequeat, prorsus tamen referri non debet, quod *Recessu Augustano* 1548. §.48. præcipitur Circulis, *vt inquirant de conditione Ciuitatum Hanseaticarum, quænam & vbi essent, qui vocarentur, an & quomodo Imperio aut aliis Statibus subjicerentur, cum similibus circumstantiis.* Quia enim vnius nominis obtentu, non vnius conditionis ciuitates ad alia, quàm postulabatur, vti affectabant; discrimen illud in literas referendum fuit, & haud dubie relatum est: sicut distinctius jam loquentes *Recessus Ratisbonensis* 1557. §.53. & *Augustanus* 1566. §.50. indicare videntur.

Vt mirum forte sit, aliquos de conditione & statu Ciuitatum Hanseaticarum, securius, si non negligentius, loqui. Licuerit homini peregrino forte existimare, Ciuitates Hanseaticas, esse Ciuitates Imperiales & Immediatas; illud autem capere non possumus, quomodo in *Obseruationibus* Wehneri asseratur; in *Recessu Augustano* 1548. §. 47. *dici*, daß die See- und Ansee-Städt weder dem Reich noch andern Chur-Fürsten / Fürsten oder Herren unterworffen seyn wollen. Licet enim, non de jure quod sit, sed de jure *quod prætendatur*, hîc sermo sit; res tamen ipsa clarissime ostendit, agi non de Ciuitatibus Hanseaticis indefinite & communiter, sed de *illis tantum* in eo corpore, *quæ nec Imperij nec Statuum alicujus jurisdictionem agnoscere velint. de illis* enim ad erogationem communis denarii inuitandis

actum

actum decretumq; erat. ceteræ autem, quæ Imperio mediate vel immediate parebant, quid deberent, ratione suæ conditionis, in publicis indictionibus, non poterant ignorare. Sed cum in exequendis, quæ decreta erant, *Commissarij* vltra decreti formulam, communiter *ad omnes omnino Ciuitates Hansæ destinati* viderentur; quædam Ciuitates Hanseaticæ, casum illum in compendium suum versuræ, *Principum suorum edicta de collecta Imperiali, atq; adeo non subcollationem modo, sed collationis omnem ordinarium modum subterfugere instituerunt.* Quibus molitionibus vt iretur obuiam, decretum est, *inquiri & in literas referri debere, quæ ciuitates Hanseaticæ, extra Imperij Jurisdictionem, quæ Imperio immediate vel mediate subiectæ essent.* Tria enim genera Ciuitatum Hanseaticarũ in illo *Recessu* disertis verbis enumerantur; & prouidetur, ne vel Imperium vel quisquam Statuum sui in ciuitates illas Juris detrimentum sentiat. Quare *Wehnerus* recte de cetero subiicit: *Ciuitates Hanseaticas esse partim Imperiales ac liberas,* (paucas scilicet) *partim mediate Imperio subjectas, partim etiam plane extra Imperium sitas.* Cumque in posterum de collectis Turcicis cum toto corpore Ciuitatum Hanseaticarum ageretur, *cautio* illa diserte interposita est, *ne quid decederet de ordinaria subcollectatione à Principibus Statibusque in subiectis sibi Ciuitatibus fieri solita*: Mediatis eiusmodi Ciuitatibus scilicet, propter *insignem opulentiam,* etiam ordinariæ subcollectationis portioni, aliquid cum & in cor-

pore societatis adiecturis. vt habetur in *Recessu Augustano* 1566. §. 50. Quomodo interpretetur illos textus *Magnificus vir Reinkingius*, videas licet *lib.* 1. *class.*4. *c.*20. §.61. *& seqq.* & quæ ex *Klockio Limnæus* annotat *Addition. tom.* 1. *ad lib.*7.t.1. *n.*79. *p.*141. in primis vero, quæ disputat *Knipschildius de Ciuitatib. lib.*1. *c.*4. *n.*38. *&c.* vbi de mixtis ciuitatibus citra omnem necessitatem videtur pronuntiare. quod in colloquio de hac re ostendi poterit.

In enumeratione Ciuitatum Hanseaticarum, quàm varie consignentur, quæ suspectam reddunt notitiam enumerantium, totiens & tot modis discordem; non est tam breuis annotationis exhibere. Si in summam stare debet, quod plerique de potentia & numero intra vnius sæculi spatium tantopere exaucto iactitant, quomodo *Regkmanni Chronicum Lubecense anno* 1370. non plures quàm 37. numerat? Notanter enim ait Historicus, se demonstraturum, was vor Städte gewesen/ die zu der Zeit in der Hense gewesen. Etiamsi velis opinari, plures intelligi per illa verba, und alle die Städt so in Preusen ligen/ &, und andere Städt in Lyfland gelegen &c. ne sic quidem, vel ratione loci situsue, vel ratione ὁμογνωμίας corporis, vel singularum ciuitatum nomine poterit res expediri. cur enim (ne de aliis dicam) Brunsuiga non numeratur? quæ si anno 1374. exclusa est collegio (quod ex *Krantzii Wandalia* scimus) vix dubitabile est, quin anno 1370. in collegio fuerit. sed hoc ex minimis est, quæ annotari hic possunt.

lib. 2. *p.*26.

*lib.*9. *c.*7.

Non

Non dimittenda eſt *Alberti Crantzij* auctoritas, qui memorabili deſcriptione *communionem Hanſæ* ait eſſe *participationem priuilegiorum, quæ in quatuor emporiis* (vt tum erant) in *Flandria Bruggis, in Anglia Londoniis, in Noruagia Bergis, in Ruſſia Nouguardiæ permiſſa ſunt olim mercatoribus, ac retro principibus & terrarum gubernatoribus, vniuerſis eius communionis participibus.* Hæc ſi ſatis conſiderentur, facile apparebit, cur etiam Principes aliqui nonnullis ſuis ciuitatibus permiſerint, vt jungerentur Hanſico fœderi. Neque ſtatim hinc *jus fœderis proprium*, ſi aliæ probationes deſint (nulli enim Ciuitati vel minimam opinionem juris detractam cupimus) recte inferri videtur. *l. c.*

Quid autem ex ipſo fœdere tacite vel aperte permiſſo conſequatur, e. g. *an jus proprij præſidij, ærarium & libera eius diſpoſitio, libera condendi ſtatuta poteſtas,* & ſimilia, non confuſa & obſcura, ſed liquida explanataque tractatione opus habent. quam noſtram non facimus. Ex ampliſſima enim materie, paucula attingere in tam præcipiti feſtinatione ſuffecerit.

CAP. VII.

Nauigatio Militaris. Claßis & claßicus apparatus. in eo notanda. prælia naualia. victo-

victoriarum naualium fructus. Nauigatio Curiosa.

VT Ciuitas Mediterranea, terrestri defensione, ita Maritima, nauali militia opus habet. Nam ad propulsandam vim semper intendendum est: inferendæ enim minus fauoris adest: nisi quod interdum defensionis pars est offendere. Huius rei necessitatem ostenderent tot direptiones & inuasiones hostiles ac piraticæ, impune in eas terras factæ, quæ nauali armatura carebant: nisi indicanda verbo magis essent, quæ supersunt, quàm declaranda exemplis.

Mercatoriæ quoque nauigationi, coniungi aliquando militarem, ex ante dictis potuit intelligi. De cetero, Ciuitas Maritima habebit, pro modo virium opumque, *Classem* vel *classes*. Præcellunt hic hodie exempla Britannorum, Hispanorum, Gallorum, Venetorum, Belgarum, quæ imitantur Dani & Sueci. Minor, quàm pro cetera potentia, naualis militiæ vis Turcico Tyranno: & fortasse Fortuna hic viam vel monstrauerat vel patefecerat Christianis ad victoriam, si coniunctis viribus consiliisque niti placeret. Jucundum esset comparare, quibus rebus conueniret aut differret Vetus ac Noua Militia Naualis. *Classis* autem nequaquam hic de vna & altera naue (sicut accipi interdum posse *Seruius* & *Albericus Gentilis* notant) sed de idoneo numero hostibus resistere & obuiam ire parato capitur.

ad 1. Æn. de I.B. 328.

In

In *Apparatu* eius variæ formæ, & præſertim optima bellicas ædificandi ratio, armamenta, rudentes, vela, tormenta, ſuum habent ſingula conſilium & artificium. De incendiariis & igniuomis inſtruendis, peculiaris itidem diſciplina eſt. De ſtationibus etiam in pace, & excubiis perpetuis, curaque & curatoribus claſſium, idem dixeris. Ad bellum milites, duces, nautæ, mechanici, fabri, tormentorum libratores, omne ex diſpoſitione & ordine, robur accipiunt. Atque huc ærarii militaris nautici rationes etiam congruere debent.

In *Expeditione* claſſica, notitia marium & portuum, ad accuratæ peritiæ normam exquiritur. In prælio, primum eſt venti ſuis partibus conciliandi beneficium: tum accurata ratiocinatione pugnæ vel ſubterfugiendæ vel committendæ, & mobiline potius impetu recurſuque, an ſtabiliore certamine res gerenda ſit. imprimis, quàm longe aut prope, quàm tutum aut periculoſum receptum habeat claſſis. Obſidionum quoque naualium vel faciendarum vel ſoluendarum præcepta & artes ſunt.

Victoriarum naualium ingentes ſæpe fructus fuerunt. Sæpe ciuitas ſalua fuit in muris ligneis. ſæpe naues auro onuſtæ impenſas belli & ſecuritatis præſidia ſupplevere. Sæpe corona naualis vnico patriæ ornamento fuit. Sed hæc ex hiſtoria peti debent; cuius ſummas texit *Moriſotus in orbe maritimo*; vt nihilo minus tamen deſideremus vehemen-

menter, *Historiam Naualem nouissimam, Thomæ Riuij*, *Antiquæ* & *Mediæ* pari diligentia addendam.

In *Nauigatione Curiosa*, ne valde curiosi simus, expletus huius scriptiunculæ modus imperat. Neque decuerit huc afferre, quæ ad lusoria instituta, & voluptatum potius inania, pertinent, quam ad *inquisitionem rerum naturæ, & inexploratorum cognitionem*. Homo non sit oportet, qui non capiatur spectandis Diuinæ sapientiæ & prouidentiæ speciminibus, in sideribus, animalibus, plantis, mineralibus, hominum longius propiusue ab humanitatis cultu remotorum aut eodem inuitatorum institutis, moribus, fatis; nauigatu demum perspectis. Sed alterius ista sunt operæ. Ciuitas Nostra Maritima, omnes sui actus quæstusque rationes ad diuini humanique iuris reuerentiam exigere, summam & legem Felicitatis arbitratur.

Hactenus Digressio.

CAP. III.

De Partibus Ciuitatis.

4. ad partes Ciuitatis.

POst Digressionem, in viam redeundum est. Et actum est quidem *supra* de lemmate præscripto, cum *de Ciuitatis natura & constitutione* tractaretur.

Sedes huius argumenti iis, qui Philosophiam Aristotelicam sequuntur, est *Pol.VII,8.*

quæ constituuntur.

Vbi partes Ciuitati necessariæ constituuntur, 1. in *Alimentis*, & sufficientia huc pertinente,

nente, de quo *Bornitius, Gryphiander,* & *alij.*

Res primo aſpectu facilis, quæ enim terra, inquies, non alit ſuos? ſed vſu & negotiis compertum eſt, aliquando multa hominum millia fame obiiſſe, qui mediocri cura ſeruari poterant. Patetque hæc prouidentia ampliſſime. Et dictum eſt aliquid in *diſſertatione de Annona Auguſta.*

2. *Artes & Opificia* merito proximum occupant locum, quibus ſcilicet humana vita & Ciuitas, excellentiſſima ſocietatis ſpecies, carere nequeunt. Sed de his *Bornitius* & *Gryphiander in Oeconomicis* abunde.

(Dictum de erratis apud nationes & Ciuitates, in hoc genere.)

3. De *armis & militibus* ſupra actum. 1. Vbi de jure belli: 2. Vbi de potentia eſt tractatio ſuſcepta. Neque opus eſt hic multa addere Diligens hic fuit *Lipſius lib.5. Pol.* Addantur *Syntagma Gabrielis Naudæi de ſtudio militari,* & *Machiauelli libri de arte Militari.*

4. *Pecunia* ſupra *lib.4.c.7.* conſiderabatur, vt ad potentiam facit: hic ſpectanda eſt, vt ad ordinarias & extraordinarias erogationes pertinet. Politici hunc locum inſcribunt de *Ærario*: & interdum alteram partem addunt, de *re nummaria.* quam alias nonnulli ad ærarium referunt. vid. *Bodinus lib. VI. Pol. c.2. & 3.*

5. *Sacerdotia*, de quibus ſupra, cum de *Jure ſummarum poteſtatum circa ſacra* ageretur, aliquid dictum eſt, & ſubinde dicetur.

6. De

6. De *Iudiciis* supra actum, vbi inter jura Maiestatis jus judiciarium explicaretur: & subinde aliquid annotabitur.

CAP. IV.

De
Alimentis.

1. in alimentis. HOc vocabulo complectemur, quidquid est, quod ad victum pertinet & vitæ sustentationem. *Besoldus* hunc locum inscripsit *Vitæ & mortis considerationem Politicam*, tribus libellis; 1. de *Vitæ sustentatione*. 2. de *Cura Sanitatis*. 3. de *Sepultura agens*.

Tractatio hæc istis membris potest includi: 1. *Quæ Alimenta*; 2. *quomodo parari*; 3. *conseruari*; 4. *dispensari*, ex re ciuitatis sit? 5. *Quæ amplius ad vitæ curam pertineant?* 6. *Quæ mortis consideratio huius loci sit?*

1. *Alimentorum* maxime necessaria sunt *cibus & potus*.

Ciborum magna varietas; Panis tamen primus vsus; adeoque *Frumentorum*. Glandibus victitasse quosdam populos, ante *frugum* inuentionem, siue fabula, siue pars historiæ est. Ægyptum quoque, frugum parentem, carere posse frugibus, *Plinius* existimauit, ciborum ex herbis abundantia contentam. Sed Frumenta, vt dixi, præcellunt: varii ea generis, pro varietate nationum regionumque. Accedunt olera, legumina, pirorum, pomorum, cerasorum fructuumque omne genus. Tum carnes quadrupedum,

auium, piſcium. Addi debent condimenta: in quibus maxime neceſſarium *Sal*: minus neceſſaria aromata, & ſaccharum, varii generis.

Potum partim *aqua* præbet, partim *vinum*, partim *cereviſia*; tum apud nonnullas gentes confecta ex aqua & melle, ex aqua & aromatibus aut ſaccharo potio: etiam *vinum*, quod cum vulgo *aduſtum Bornitius* vocat, ex frumento confert.

Politici circa cibum & potum cura eſt: 1. vt parabilis copia vtriuſque ſit pro modo ciuitatis. Et ſi natura locuſque fauent, 2. vt, quod abundat, cum aliis rebus mercibuſque commutetur, aliorumque populorum neceſſitatibus ſubueniat, opibuſque quærendis accommodetur. His tanquam magnetibus attrahi pecuniam externam, non male dixit *Boterus*, vbi oſtendit, quantum *Francia frumenti* dimittat in Hiſpaniam & Portugalliam; *vini*, in Flandriam, Angliam, & ad maris Balthici incolas; *Salis* itidem ad vicinos &c. *Polonia* quoque frumento & melle exportandis plurimum juuatur. *Daniæ* ex halecum captura & pecoribus, *Norwegiæ* ex aſellis arefactis, magnus prouentus eſt. 3. Si natura parcius conſuluit, vt induſtria ſuppleatur. vid. exemplum *Batauiæ* apud *Joſeph. Scaliger. in Sylua, Carm.* 52. cuius initium:

Ignorata Tuæ referam miracula terræ &c.

II. *Parandis alimentis* inuigilabit Politicus his fere modis, quos *natura loci, ſolers ingenij inuentio, fortuna temporis*, ſuggerit. *Agriculturæ ſtudium* in primis eſt; ne, vbi domeſtica copia res

T geri

geri poſſet, externæ opis indigeat ciuitas, quod de Italia conqueritur Tiberius ap. *Tac.3. A. 54. 6.*

De *Agricultura* pleraque diligenter congeſſit *Gryphiander in Oeconom. Legal. lib.1. c.17.* & *Bornit. tract.1. c.11. & ſeqq.*

Pertinet etiam huc vniuerſa *res Hortenſis.* de qua vid. *Bornit.* l.c.

Et *vinearum* cura. Quæ omnia *Gryphiander* in cap. de Agricultura exequitur.

Pecuaria & Paſcuaria proximum in parandis alimentis locum occupat, quam eodem cap. *Gryphiander* attingit: & *Bornitius tract.1. cap.19.*

Venatio etiam huc facit. De qua vid. *Gryphiander Oecon. Legal. c.18.* & *Bornit. tractat.1. c. 20. & 23.*

III. *Conſeruandis alimentis* inſeruiunt *Horrea* & *Cellæ.* Romanorum diſpoſitio.

IV. *Diſpenſandis alimentis* inſeruiunt 1. *Diſpoſitiones Juris,* de facultate ferendi, plantandi, venandi, piſcandi &c. 2. *leges contra luxuriam.* 3. *beneficentia in pauperes.* 4. *leges fori cibarij,* de pretiis rerum ad victum ſpectantium. 5. *mores ad parcimoniam & frugalitatem facti.* Q. de *Mendicis* huc pertinet ap. *Beſold. Conſid. Vit. & Mort. c.3.*

V. *Ad vitæ curam* amplius pertinet, *amictus, ſupellex:*

(De quibus agunt partim JCti, *Philoſophi, Philologi.* Dictum de diſcrimine.)

Medicina, vid. *Beſold. Conſid. Vit. & Mort. lib.2.*

VI. *Mortis conſideratio,* qualis huc pertineat,

neat, itidem ostendit *Besold. de Vit. & Mort. lib.* 3.

Ad hunc locum de Alimentis, omnino addatur *Gryphiandri lib.* 2. *Oecon. Legal. c.* 5.

CAP. V.

De

Opificiis & Artibus.

IN hunc locum refertur 1. *enumeratio*, ex vsu plurium pauciorumue gentium. 2. *æstimatio*, ratione necessitatis, vtilitatis, dignitatis, tum in thesi ad omnem rem publicam, tum in hypothesi ad hanc & illam. 3. *Historia siue exemplum.* 2. in opificiis & artibus.

Regulæ prudentiæ sunt 1. *ne deficiant.* 2. *ne superfluant.* 3. *vt bene disposita sint ad inuicem.* 4. *vt bene composita legibus*, Collegiis, *moribus siue consuetudinibus.* 5. *vt artes ludicræ absint.*

Videndus *Bornitius* de sufficientia, *tractatu* 2. *per tot. Garzon. in Piazza Vniuersale.* Addend. *Boter. Polit. Illustr. l.*8. *c.*2.

In Imperii nostri legibus vniuersalibus, der Policey-Ordnung/multa etiam occurrunt, circa opificiorum ordinationem.

CAP. VI.

De

Armis & Militibus.

ARma hanc subeunt considerationem 1. *ex officinis*, *& fabricis.* 2. *ex variis generibus.* 3. *ex vsu.* 4. *ex custodia.* 5. *ex ornatu.* vid. *Boter. de Polit. Illustr. lib.*9. *c.*3. *&* 4. 3. in armis & militibus.

Militis sors spectatur, 1. vt *legendus*. 2. vt *alendus*. 3. vt *armandus*. 4. vt *instituendus*. 5. vt *regendus* est. De quibus omnibus jam fontes indicati, vt dictum est *cap.3. h.l.*

CAP. VII.

De Pecunia, Ærario, re nummaria.

4. in pecunia, ærario &c.

PEcunia 1. vt *conficienda*. 2. vt *colligenda*. 3. vt *dispensanda*, huc pertinet.

In *conficienda pecunia* spectatur res *Monetaria*, das gantze Müntz-wesen. Vbi 1. de *metallo*. 2. de *varietate pecuniæ maioris & minoris*. 3. de *intrinseca bonitate*. 4. de *forma & pretio legali*. 5. de *Officinis monetariis*. 6. de *Legulatione varia circa nummos & monetam*. e. g. *in Constitutionibus Imperij Nostri*, Müntz-Ordnung; itemque in *particularibus Statutis*: in *Goldasti Catholico Rei Nummariæ*. vid. omnino *Gryphiander Oecon. Legal. lib.1. c.6.*

In *colligenda pecunia*, 1. *domi*, *tributa* & *exactiones variæ*, de quibus supra. 2. *foris*, *mercatura*. 3. de *pecunia mutuo sumenda*. 4. de *pecunia fœnori collocanda*. 5. de *rationibus pecuniariis diligenter tractandis*. Præter Scriptores suis locis nominatos, huc refer *Boteri Pol. Illustr. Librum 7. Besoldum de Ærario*, & *Gryphiandr. Oecon. Legal. l.1. c.24. de mercatura. c.25. de nauigatione. c.26. de permutatione & cambio. c.27. de fœneratione & vsuris* &c. *lib.2. c.2. de administratione pecuniæ. c.3. de ratiociniis*, &c.

In *dispensanda pecunia* spectatur 1. *modus siue quantitas erogationum.* 2. *caussa erogationum.* 3. *consilia peculiaria erogationum.* de quibus *Scriptores ante laudati*, & *sub aliis titulis positi.*

CAP. IIX.

De

Sacerdotiis.

SAcerdotum, qui sacra curant, spectatur 1. *numerus.* 2. *gradus & ordo.* 3. *locus in rep.* 4. *leges circa hanc rem.* 5. In Sacerdotiis.

I. *Numerus* is esse debet, qui sufficiat Ciuitati ad negotia religionis probe curanda; non autem, qui abundante multitudine, ignauiam alat otiosorum hominum, eosque ciuitati graues reddat. Non enim melius habet religio inter numerosos greges monachorum & cœnobitarum: sed contemtibilior redditur. Agnoscit hoc quodammodo *Bodinus lib.*4. *de Rep. c.*3. *sub fin.* Nam quæ *Boterus* pro multitudine disserit de *Origin. Vrb. lib.* 2. *c.* 3. arcanis accensenda sunt, non simpliciter laudandis. Magis ad rem faciunt, quæ suadet *Politia Illust. lib.*2. *c.*14. si sano sensu accipiantur.

In primis ad instituendos in religione, & bonis moribus formandos ciues, omnia debent hic referri.

II. *Gradus* inter Sacerdotes & Clericos esse, respectu maioris minorisque dignitatis, & ad ordinem facit, quo nulla pars Ciuitatis carere potest; & exemplo veteris Ecclesiæ non caret. Quanquam de primordiis Ecclesiæ, non sine

studio partium, acriter disputatum est. Nota sunt scripta contraria *Dionysii Petavij*, & *Salmasii*, de *Presbyteris* & *Episcopis*. *Blondelli* eiusdem argumenti operosus liber extat. *Anglicanæ Disputationes circa hanc rem*. Addatur *Epistola Samuelis Bocharti, ad Sacellanum quendam Anglum.*

III. Quantum attinet ad *locum in Rep.* debent Sacerdotes partem Ciuitatis, non aliam ciuitatem in ciuitate constituere; adeoque agnoscere imperium Principis, aut eorum qui par Principibus jus habent: excluso Dominatu Pontificis, & licentia priuilegiis abutendi. Collegit multa *Besoldus de maiestate in genere: sectione 2. c. 2. de potestate sæculari in personas & bona Ecclesiastica.* Gallia regnum libertatis. Opus nobile *Petri Puteani, Libertates Ecclesiæ Gallicanæ.*

IV. *Leges* de omni re Ecclesiastica à Principibus & Imperatoribus constitutæ, occurrunt magno numero. Pauca in exemplum nominanda. *Capitularia Caroli M. à Luca Holstenio edita.* In primis *Capitularia Caroli & Ludovici, in Codice LL. antiquarum Lindenbrogij.* Vbi & in *aliarum gentium Legibus* multa huc pertinentia. In *Constitutionibus* item à *Goldasto* editis, *præsertim 3. tom.*

CAP. IX.
De *Judiciis.*

6. in judiciis. IN his spectatur, vt 1. *bene constituantur.* 2. *bene exerceantur.*

In

In *constituendis* spectatur 1. *numerus tribunalium.* 2. *numerus collegarum seu judicum.* 3. *Assessores & consiliarij judicum.* 4. *Notarij & Scribæ.* 5. locus *dicasteriorum & tribunalium.*

In *exercendis* judiciis considerantur 1. *leges secundum quas judicatur.* 2. *ordo tribunalium ad se inuicem, respectu appellationis.* 3. *pœnæ judicibus male judicantibus imminentes.* 4. *processus & formula judicij.* quo pertinet etiam *temporis litibus præfiniendi* mentio. 5. *Reuisiones & examina.*

Præter ea, quæ supra dicta, *Historia rei judiciariæ apud varias gentes constitutæ* huc pertinet: & monita eximia sunt *Boteri de Polit. Illustr, lib.*1. *c.*16. & 17.

LIBER VII.

Tanquam Appendix.

CAPUT I.

De

Arcanis Rerump.

HIc locus habet illas partes: 1. quæ ita appellentur, & quomodo definiantur. Multi enim abutuntur hoc vocabulo, & regulas ordinarias consiliaque solennia ita appellant. Hac occasione Q. *quomodo ex ordinariis arcanum fieri possit?*

2. *Distinctio arcanorum* ap. *Tacit.* de qua egimus ad *cap.*6. *lib.*1. *Annal.*

3. *Enumeratio Arcanorum Regiorum.*

4. *Enumeratio Arcanorum Tyrannicorum.*

5. *Enumeratio Arcanorum Herilium*, quatenus Dominatus à Tyrannide distinguitur.

6. *Enumeratio Arcanorum Aristocraticorum.*

7. *Enumeratio Arcanorum Oligarchicorum.*

8. *Enumeratio Arcanorum Popularium.*

9. *Enumeratio ArcanorumOchlocraticorum.*

10. *Enumeratio Arcanorum mixti Status,* pro diuersitate mixturæ.

11. Q. An *simulacra Politica, & quomodo differant ab arcanis Politicis?*

12. *Arnoldi Clapmarij* opus de *Arcanis*: & de eo judicium.

13. Crisis huius philosophiæ, in *Besoldi discursu de Arcanis Rerump.* demonstrata.

14. Grauium virorum circa vsum huius vocabuli mos & ratio.

CAP. II.

De

Ratione Status.

1. De origine huius appellationis.

2. Abusu eius tum in { *confusione cum Arcanis*; *confusione cum ordinariis regulis & consiliis politicis*; *exempla Antonij Palazzi.* }

3. Nomina alia. *Prudentia mixta*, ap. *Lips. lib. 4. Pol. c. 13. & 14.*

(Dictum de illa tractatione.)

Prudentia extraordinaria, ap. *Gabriel. Naudæum* in

in *Bibliographia Politica.* Συνυποκρισις πολιτικὴ ap. *Polybium.* vid. *præf. Casauboni.*

4. Scriptores huius argumenti, præter dictos, Itali *Bonauentura, Scipio Chiaromonti, Septalius.*

(Dictum de singulis.)

5. Quæ obseruanda circa hanc philosophiam, ostensum in *libro Hippolithi à Lapide in Prolegomenis*, quæ percurrebantur, *6. sectionibus* constantia: Tum de exemplis, quæ in *ipsius operis parte secunda* ponuntur, disquisitum.

CAP. III.

De

Historia Politica Rerump. siue de descriptionibus Rerump.

OMnis historia præcipue ad institutionem Ciuilis prudentiæ referenda est. In primis *descriptiones singularum rerump.* magno disciplinæ momento huc pertinent.

II. Non vna huius generis ratio. In præcipuis istæ: 1. *per nudam descriptionem.* 2. *descriptio politice explicata & illustrata.* 3. *censura rerump. & κρίσις.* 4. *secundum & tertium genus miscetur.* Atque hæc *vel* peculiari opere scribuntur, *vel* historicis operibus inseruntur.

In Veteribus habemus *Aristotelis libr. 2. Polit.* vere *Criticum*: vbi celebriores Resp. ad rationem ciuilis philosophiæ examinat. *Opus enim maius,* descriptiones Rerumpub. com-

plexum 158. Cap. (*Diogen. Laert. in Vita Aristotelis*) interiit. *Xenophon duobus suauissimis opusculis* descripsit *Remp. Lacedæmoniorum, & Atheniensium. Heraclidis Pontici de Rebusp.* pauca supersunt fragmenta. *Historiæ* autem *pragmaticæ* plurimas inseruerunt *Græci & Latini* descriptiones Rerump. *vel* nude (e.g. ap. *Tac. 2. A. 60.*) *vel* explicatius.

In *Junioribus* quidam *Veteres Resp.* explicarunt; quidam *Nouas.*

Veterum Rerump. Scriptores e. g. habemus *Vbbonem Emmium,* qui *Græcas Resp.* descripsit. Addi debent *Meursii Attica, & Laconica. Nicol. Cragij Resp. Spartana.* Molitus est quædam huius generis, successu impari, *Keckermannus, & Arnisæus. Hebræorum Remp.* descripserunt *Bertramus, Sigonius, Cunæus. Persarum Regium Principatum,* ad exemplum exquisitæ scriptionis, *Brissonius. Remp. Romanam* Wolfgang *Lazius* &c.

Nouas Resp. descripsere, *Boterus, Caspar Ens, Philippus Honorius , Gothfridus in Archontologia Cosmica,* quibus cottidie aliqua accedunt. Exquisitiora sunt: *Contareni Resp. Veneta. Smithi Anglia* &c.

Historiis inseuerunt nobiles descriptiones Rerump. variarum tum alii, tum præcipue *Thuanus.*

(De cuius digressionibus huius generis dictum.)

Etiam fictis argumentis hic locus fuerit, *Thomæ Mori Vtopia, Baconi Atlantis* &c.

CAP.

CAP. IV.

De


Bibliotheca Politica.

OMnino laudabilis eſt hoc loco *Gabriel. Naudæi Bibliographia Politica* à doctiſſimo *Conringio* nuper denuo edita; vna cum *Grotiana Epiſtola*, & *Coleri de Studio Politico*. Addatur *ejuſdem Conringÿ præfatio ad Pædiam Politicam Scioppÿ*.

Sed Bibliothecam Politicam ordinaturus rationem habebit I. *Librorum Iſagogicorum*, de qualibus jam dictum. II. *Librorum Dogmaticorum*, qui vel præcepta ſcribunt, idque tum *Epitomice*, tum plenius *Syſtematice*; vel ſingulas materias exegetice ac diexodice tractant. III. *Librorum Hiſtoricorum*; quorum varia diſtinctio alibi copioſe traditur. IV. *Librorum, qui acta continent publica*, varii generis locique. V. *Librorum certi temporis, perſonæ, generis, geſta politica epicriſi commentantium.* VI. *Librorum Diſſertationes politicas varÿ generis continentium.* VII. *Librorum controuerſias de jure aliquo publico continentium, præſertim domeſticas*: aut *jus aliquod publicum demonſtrantium explicantiumq;*. VIII. *Librorum, qui priuata jura & inſtituta, quatenus ad remp. ſpectant, varie commentantur.* IX. *Librorum, conſilia judicibus ſuggerentium.* X. *Librorum, conſilia in publicis negotiis faciendis omittendiſue ſuppeditantium.* XI. *Librorum, Secreta politica continentium.* XII. *Librorum, eloquentiam ciuilem juuantium.* XIII. *Librorum miſcellaneorum.*

FINIS.

JO. HENRICI BOECLERI
DISSERTATIONES
POLITICÆ
Ad
SELECTA VETERUM
HISTORICORUM
LOCA.



C. B. D.

DISSERTATIONES POLITICÆ JO. HENR. BOECLERI.

PROOEMIUM. SIVE DISSERTATIO I.

De ſcientia & ſtudio politices.

DE origine, auctoribus, diſciplina & ratione ciuilis prudentiæ doctrinæque, prima initia repetere, & deinde per ſeriem deducere hiſtoriam volentibus, partim ex argumentis rerum, partim ex monumentis Scriptorum inſtituenda eſt tractatio.

Ac primum quidem de ejus gentis Politica agendum eſt, quæ omnium gentium, diſciplinarum, artium mater, gens ſancta, Deoque peculiariter dilecta, ſub notis Hebræorum Judæorumque nominibus celebratur. Deinde ſubtexenda ſunt aliorum populorum in hoc genere ſtudia.

Primam ergo originem ciuilis diſciplinæ, ad primos mundi ciues, & primam ciuitatem referri debere, ratio oſtendit. Adamus primus hominum parens, vt familiarum, ita ſocieta-

cieta-

cietatis cuiusdam ciuilis, quæ ex familiis constat, Auctor, legibus, exemplo, auctoritate talem viuendi modum inter suos haud dubie formauit, qualem naturæ hominis ciuili, adeoque animalibus πολιτικῶς viuentibus conuenire, recta ratio monstrauit. Sapientia enim in cognoscendo, & prudentia in agendo singulari & supra captum posterioris æui instructum fuisse, satis constat. itaque omnium fere artium inuenta ad hunc auctorem referuntur. *Suidas in voc. Adam.*

Viguit iste mos deinceps, vt principes familiarum, & primi mundi patres, regiminis cuiusdam ciuilis inter suos arbitri imperantium loco essent, quorum propria est ciuilis scientia: quique ob id πολιτικοὶ reuera sunt dicendi. Horum auctoritas postquam spernì ciuilisque modestiæ vinculum solui cœpit, prima illa respublica generis humani, horrendo & fatali supplicio diluuii, euersa est: relicta tamen paruula quasi ciuitate, & πολιτείας humanæ quodam compendio simul atque seminario.

Primæ autem huius ætatis historia politica, vt sic dicam, non est sigillatim perscripta: vnde coniecturis & sententiis doctorum variis locus datus. (vid. *Danæum, de antiquitatib. primi mundi.*) Quæ diximus, per ea, quæ Scriptura S. tradit, satis illustrari possunt. Neque dubitamus, incidere in hoc æuum plenam ἀνακύκλωσιν siue circulum ambitumque vitæ politicæ; tum quatenus boni regiminis specimina fructusque; tum quatenus vitiosæ πολιτείας opera & fata spectantur. Se-

Secunda mundi ætas Noachum ostentat, ciuilis disciplinæ maximum auctorem; legibus, moribus, institutis: atque diuidendi orbis, id est, condendarum passim ciuilium societatum, formula promulgata. Hinc jam periodus imperiorum, regnorumque, segregatis in varias mundi partes gentibus, veluti sollenniore exordio, & diffusiore auctu procedit. Hinc Assyriorum, Ægyptiorum, aliaque regna memorantur: ex quorum forma institutisque studii politici & ciuilis disciplinæ non obscura ducuntur argumenta. (*Reinecc. monarch. prim.*)

Sicut autem jam ante diluuium Cainica secta à piorum societate discesserat, diversaq; vitæ genera prodiderat; quorum alterum Dei voluntati, consiliis, legibus; alterum humanæ sollertiæ, cupiditati, inuentioni parebat: ita deinceps etiam in posteritate Semi & Heberi sanctior quædam Politica, vt sic dicam, conseruata est, quæ sc. ipsum Deum habuit magistrum, præceptorem, moderatorem.

Huc pertinent illustrissima Patriarcharum nomina: Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus; in quorum singulis quantum fuerit politicæ prudentiæ, ciuilisque disciplinæ, præter ea, quæ sacris paginis traduntur, *Josephi, Philonis, & Scriptorum Ecclesiasticorum* obseruationibus declaratum est.

Litteris autem proditum operis Politici exemplum, ante Legem Mosis non extat. Hic est ille, cuius prudentiam, vitam, legislationem νομοθεσίαν politicam, præter *Joseph. & Philon.*

lon.Clem. Alexandrinus, Eusebius, aliique prolixe demonſtrarunt.

Sequuntur Judices, Reges, Prophetæ, Optimates,qui in gente ſancta puriorem Politicam, diuinis reuelationibus, oraculis, concionibus, ſententiis, legibus, ſtudiis, ſuſtinuerunt atque excoluerunt: donec appropinquantibus finiendi ſceptri Judaici temporibus, humanarum traditionum mole & *ſuperflua diligentia* (περιεργίας) grauitas *ciuilis tractationis* (τῆς πολιτικῆς πραγματείας) obſcurari minuique cœpit.

Hinc ſummi atque vnici Prophetæ JESU Chriſti doctrina ſonuit,quæ Scripturis Nouo Teſtamento comprehenſis totam doctrinam ciuilem repurgauit, atque fundamentis idoneis denuo conſtabiliuit.

Eſt enim omnino tota doctrina ciuilis, quatenus ad vitam ſocialem bene beateque degendam refertur,accurate in Scr. vtriuſque Teſt. & copioſe tradita. id quod adeo verum & obſeruatu dignum eſt, vt Eccleſiaſtici Scriptores nonnulli monſtrent, Ethnicos auctores, quidquid in philoſophia, præſertim practica,boni habent, ex S. litteris tranſcripſiſſe. Quod ita tamen capiendum eſt, ne interim illud negetur: Rectæ rationi & intelligentiæ humanæ inſcripta eſſe βίου πολιτικοῦ ſiue ciuilis vitæ decreta & leges.

Modus porro tradendi, propagandi, conſeruandi doctrinam ciuilem, varius ſane & multiplex fuit: Simpliciſſimus & antiquiſſimus; quando rationis bene inſtitutæ dicta-

to (cui apud Sanctos Heroas aliquando accedebat diuini oraculi inspiratio) in operibus potius politicis, quam regulis & legibus; agendoque potius, quam docendo Politica exercebatur.

Proxima Legislatorum occupatio fuit. Leges enim ferre, siue legibus remp. condere, opus est *maxime ciuile* (πολιτικώτατον,) atque in se pleraque alia continet. Hic Mosis νομοθεσία principatum ducit: quæ hoc nomine laudatur explicaturque, vt ante cœpimus innuere, apud *Eusebium Præparatione Euangelica octaua. Joseph. contra Appionem, Philonem* passim. Apud profanos populos Minos, Solon, Lycurgus, Zaleucus, Charondas Llatores Πολιτικώτατοι celebrantur. Qui cum legem Mosis diuinitus datam forte accepissent, ipsi quoque diuinitatis speciem suis legibus accomodauere, sicut autumat *Clem. Alexandr. Stromate I.* de quo commento paganorum memorabilis extat digressio *Strabonis XVI. γεωγρ.* *Plutarch. in vit. & Diog. Laërt.*

Et quoniam itidem *praua imitatione* (κακοζηλία) quadam gentis sanctæ sacerdotium cum regno & ciuili functione junxerunt plurimæ gentes: vt operibus politicis legibusque & imperio aliquid sanctitatis conciliarent: itaque hoc loco non omittendum est, Politicæ doctrinæ auctoritatem atque magisterium aliquando penes Sacerdotes fuisse. Sic (vt de Hebr. & S. Scripturæ exemplis taceamus) Assyriorum & Persarum Magi, Celtarum Druides, præter sacram functio- *vid. Brisson. de regn. Pers. de Magis. Jul. Cæs. de B. Gall. VI. 13. Phil. Cluuer. in Germ. antiq.*

 nem,

nem, ciuilium rerum consulti siue Politici fuerunt.

Alii Oratorum officio tituloque politicæ disciplinæ professionem apud antiquas gentes accommodarunt. Qua de re locus est valde eximius *Ciceronis I. de Inuent.* 2.

Vsi autem sunt Gentiles (cum iis vera origo artium disciplinarumque, quibus humanitas vitæ continetur, ob ignorationem S. litterarum non innotuisset) istis coniecturis siue hypothesibus: Primis & rudibus forte sæculis, ob indigentiam rerum, & metum iniuriæ, agrestes populos in ciuilem cœtum formamque coiuisse; ingenioque præsertim alicuius hominis *ad regendum apto natoq;* (ἡγεμονικῷ) statum accepisse. Sicut, præter *Ciceronis* & aliorum loca, vel *Polybij* digressio *lib.6.* ostendit. Itemque (vt cum *Tacito* nunc loquamur *ex* III. A.26.) *vetustissimos mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoq; sine pœna aut coërcitionibus egisse; neq; præmiis opus fuisse, cum honesta suopte ingenio peterentur; & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetari debuisse*: adeoque nec legibus, nec imperio, aut vlla politica arte opus fuisse, cum Politica naturalis, vt sic loquar, omnium fuerit animis insita. Quæ partim à veritate remota sunt, partim non nisi ad vmbram quandam veri aut comparationem referri queunt.

Hoc interim satis apparuit etiam Gentilibus; Politicæ disciplinæ auctores, quocunque nomine fuerint, Heroico ingenio officiisque vsos esse. vnde non alius sollennior titu-

titulus, in honoribus Heroicis, quam institutio ciuitatum, descriptio legum &c.

Sed veniendum est propius ad monumenta Politicæ disciplinæ, non tam opere actuque demonstrata, quam litteris perscripta. Hic neminem mirari velim, si antiquissimos Poëtas in censum primorum auctorum Politicorum retulero. Non intelligo nunc Dauidem aliquem (nam de S. monumentis ante dictum est) sed profanos poëtas. quorum fabulæ de diis deabusque quid sunt aliud, quam historiæ regnorum, & exempla politica rerum bene vel secus in ciuili societate gestarum? Sic in Osiride totam πολιτείας siue reip. formandæ regendæque *descriptionem, tractationem πραγματείαν* inesse, vel *Synesii Fabula Ægyptia, siue libri de Prouidentia*, demonstrant. Quo accedit character scribendi pragmaticus & politicus, siue ad institutionem ciuilis disciplinæ comparatus. E.g. Homero, ad quem præcipue hîc respicimus, quid πολιτικώτερον? Vide *Horatij* judicium de Homerica poësi *Epistol. II, 2.* Mos in Epico & Tragico inprimis carmine mansit. (Ouid. Metamorph.)

Antiquiores enim & hi modi fuerunt tradendi Politicen: per carmina, per parabolas, sententias, prouerbia, symbola, typos; sicut tum ex S. tum ex profanis libris constat.

Tempore Socratis nondum fuere, qui exquisitius & ad formam exculti studii Politica meditarentur; plerisque physica & mathematica tractantibus, atque de ratione offi-

ciorum vitæ parum cogitantibus. Socrates ergo primus περὶ τοῦ βίου disseruit: hominesque ad studia ciuilia tractanda assidue excitauit, sicut *Laërtius in vita Socratis* testatur.

Et quanquam scripta non reliquerit, imaginem tamen philosophiæ eius habemus in *Platonis* operibus politicis: inter quæ eminent *Libri XII. de ll.* & *Libri X. de Rep.* Sunt illa opera suauia quidem & reconditæ eruditionis sapientiæque, sed in quibus politica genere disputandi non admodum politico, adeoque practica *more contemplationis & speculatiuæ tractationis* θεωρητικώτερον, quam vsus vitæ postulat, tractantur. Platonem ergo nemini in Politicis ducem commendare possumus, nisi qui imbutus jam prudentiæ mysteriis sciat tam censorem quam lectorem agere.

Perfecti ergo operis Politici gloria relicta est *Aristoteli*: cuius admirabili ingenio Deus studia Tertiæ Monarchiæ, quam vocant, siue summi Græcorum imperii, ornauit instruxitque. Hic plenum perfectumque opus molitus, Ciuilis doctrinæ partem generalem, in Ethicis præsertim Nicomachicis, profluenti facilique eloquentia pertractauit. Politica autem proprie sic dicta (τῆς πολιτικῆς generaliter sumtæ partem specialem alteram) incredibili grauitate, breuitate, arte conscripsit:

(Dictum hac occasione est 1. de numero librorum operis Politici. 2. de charactere dictionis & scripturæ. 3. de perfectione τῆς φιλοσοφίας in hoc opere. 4. de commentatoribus.)

adiecit

adiecit etiam Oeconomica, è partibus ciuilis doctrinæ specialibus alteram.

Aristotelis propositum cum totius Scholæ Peripateticæ auctoritate excepit *Theophrastus*: qui diuina quadam suauitate multa elegantissima opera politica, etiam systematica, scripsit: sicut catalogus *Laërtio* annotatus demonstrat. (adde *Joh. Meursii Theophrastum.*)

Post Theophrastum, *Demetrij Phalerei* duo libri *de politica* περὶ πολιτικῆς: itemque *Antisthenis* opus περὶ νόμου ἢ περὶ πολιτείας, de lege siue de republica, celebrantur. *Laërtius* in vtriusque vita.

Stoica schola, inde à magistris, Zenone & Cleanthe, philosophiam practicam, sub titulo & locis officiorum vitæ, τοῦ καθήκοντος, satis quidem subtiliter & elate tractauit: sed interdum minus accommodatè ad remp. in argumentis politicis versatur; aut disputationibus de summo hominum fine immoratur; aut quæstiones de virtutibus concise persequitur. Multa tamen hinc salubria petas; Et sicut comprehensio argumenti politici, methodus, dispositio, connexio, propriè Aristoteli debetur: ita grauitas sententiarum, pondus & species collectionis, non parum Stoicorum *granditate loquendi* μεγαληγορίᾳ iuuatur.

Academici quoque in philos. pract. ἠθικώτεροι quam πολιτικώτεροι, locis Ethicis magis dediti, quam tractationibus politicis, quas presse sic vocamus, comperiuntur. (vid. *Cic. Acad. quæst.*)

Pythagorica Schola mathematicis potius & physicis occupabatur, sicut discere licet ex *Gell. Noct. Attic. I, 5. Ouid. metamorph. XV, 2.* Ciuilia tamen, sub imaginibus, symbolis, figuris, ænigmatibus tradiderunt.

Migrauit autem apud Græcos professio Politices in Scholas Sophistarum (ita, vocabulo in bonam partem accepto, eloquentiæ doctores vocabantur) & Rhetorum. Hinc θρόνος πολιτικὸς cathedra politica Athenis celebris erat. Videndus omnino *Cresollius in theatro Rhetorum I, 3.* Certe ex quo eloquentia cœpit florere, studia Politices, sicut apud Græcos, ita post apud Latinos, cum eloquentia, indiuulso studii nexu copulabantur.

Creuerunt porro, sicut alibi notamus, cum augmento imperii: decreuerunt, cum respublica siue imperium minui inciperet. Quid, quod enecta super alias gentes imperii potestate, victori populo, studiorum gloria vindicata est, victarum autem gentium nomina præumbrante vnius fama delituerunt? Sic Græcorum studia vnice celebrantur, cum eorum Principatus emineret.

Inde cum Imperii majestate ad Romanos translata est studiorum gloria: qui Græcis eam laudem veluti eripuerunt. In politicis *Cicero* duo potissimum opera scripsit: vnum ad imitationem Platonis, *Libros sc. de Republica*; alterum ad imitationem Stoicorum, *Libros sc. de Officiis.* Hunc enim librum vere politicum esse, in quo Ethica dogmata ad exempla nego-

negotiaque politica accommodantur, alibi ostendimus. *v. præfat. nostr. in Officia Ambros.*

De cetero viri politici maluerunt ad ſcribendum, hiſtorias, orationes, theſes ac hypotheſes politicas, tractationes materiarum ſingularium &c. quam præcepta, & formam diſciplinæ artiſque eligere.

Scholæ politicæ, cum ſtudiis eloquentiæ, ſub eiuſdem diſciplinæ auſpicio, pari paſſu ambulabant: exemplaque Græcorum, & conſuetudo docendi diſcendique cum ipſo Athenæi (auditorii) nomine Romæ valebant. Qua de re aliquid attigimus in *diſſert. de eloq. Politici.*

Poſt conuulſum plane imperium Romanum, horum ſtudiorum decus & vigor, qui hactenus ſubinde minuebatur, deceſſit. Hinc ſilentium & pauſa omnis accuratioris litteraturæ, vſque ad tempora Scholaſticorum doctorum, qui ex Philoſophia practica diſputationes quaſdam de juſtitia & jure ſectati, itemque de ſupremo hominis fine, etiam circa virtutum officia, ſatis ſpinoſe interdum & perplexe, cetera negligebant.

Cum inſtaurari cœpiſſent ſtudia, plerique magnorum virorum commentariis in Ariſtotelem & Platonem ſcribendis occupabantur; aut diſſertationes componebant de ſingularibus argumentis politicis. donec poſt *Bodini, Andreæ Fricij, Gregorij Tholoſani &c.* Syſtemata ingens cupido & certamen Politica ſcribendi ſyſtematicè ſæculum inuaſit, & vſque ad nauſeam ac ineptias in hunc

diem increuit. dum qualicunque methodi siue ordinis nouitate (quæ tamen sæpius scribentis ingenio, quam discentium vsui congruit) absque doctrina aut solidioris propositi sapientiâ, non pauci valde sibi animaduertuntur placere.

Ex qua diuersitate temporum, & comparatione cum melioribus sæculis, apparere potest: plerosque studii politici modum hodie metiri præceptionibus potissimum & libris Systematicis; contra morem & mentem veterum: qui tractationibus politicis jam ad certa argumenta accommodatis & in rem præsentem traductis; itemque historiæ (quæ verissima studii Politici palæstra est) præcipue operam dabant, præceptis non nisi vsum ὑπομνηματικὸν, vt commentariorum fungerentur ritu, siue locorum & librorum memoralium, assignabant.

Sed de his aliàs. Neque enim nunc constituimus agere de iis, quæ ad studium Politices pertinent, & quomodo tractari debeat. Factum à nobis est, & fiet, si Deo visum fuerit, alibi. Nota sunt etiam eruditorum consilia & labores: *Coleri Epistola, de studio Politico*; *Clapmarij nobile triennium*; ceteraque scripta ab Editoribus Amstelodamensibus in vnum volumen conducta, sub titulo, *Consiliorum & Consultationum de Studiis* &c. In transitu commendamus Studiosis Politices exemplum Augusti, de quo *Dionis historia*: τὰ πολιτικὰ ϗ ἀρχικὰ ἐδιδάσκετο ἰσχυρῶς. *politica, & quæ ad imperandum pertinent, docebatur solide & valide.* Nullum

lum enim maius certiusque hodie profectus politici impedimentum, quam superficiaria illa tractatio horum studiorum, qua fit, vt præceptis & regulis quibusdam, locisque exemplorum communibus, oretenus instructi, plerique solidis artibus politicis animum non accommodent. Vide, si lubet, *differt. nostr. de Polit. Lips.*

Quantum ad propositum harum dissertationum attinet, non est nobis constitutum, agere actum, & nihil aliud quam conducere & repetere aliorum labores. Verùm, nec de noua aliqua forma methodoque multum erimus soliciti. Solidioris disciplinæ specimen præcipuus nobis laboris terminus: ad quem ita contendemus, vt per amplitudinem Politices vniuersæ, delectis argumentis nobilioribus, primum quæstio juris, ex diuinis humanisque litteris confirmetur; deinde tractationis siue ἐπιχειρήσεως καὶ πράξεως πολιτικῆς ratio & artificium in exemplorum exquisitorum explicatione demonstretur: qua occasione intelligetur, quomodo possint ac debeant ista ad varios ciuilis vitæ vsus apta oratione conformari. Inter quæ, & ad hunc vsum, laudabimus atque ad notitiam nostram vocabimus Scriptorum antiquorum & recentium præcipuos: in quibus *Tacito* & *Liuio* hunc honorem habebimus, vt tum in iis, quæ communis philosophiæ politicæ sunt; tum alterum, præcipue in rebus ad monarchiam spectantibus; alterum, in liberarum & mixtarum formarum πολιτείᾳ in occasionem

nem nostri propositi adhibeamus. Cuius disciplinæ ratio, in re præsenti, quod Deus faxit! apparebit.

DISSERTATIO II.

De Discrimine Honestorum & turpium, vtilium item & noxiorum.

Ad loc. Tac. IV. A. 33.

IN hoc tota institutionis & intelligentiæ politicæ ratio sumatim continetur. Officium enim hominis ciuilis est, vt intelligat & eligat, quæ honesta sunt & vtilia; scilicet vt scopus vitæ civilis seu felicitas per honestas & vtiles actiones obtineatur. Huc respexit *Tacitus*, cum de studio Politico nobilem locum ita claudit: *Pauci prudentia, honesta ab deterioribus, vtilia ab noxiis discernunt; plures aliorum euentis docentur.* Hæc nobis huius dissertationis materia esto. *4. Annal. 33.*

Hic locus continet 1. *impedimenta prudentiæ politicæ* (quæ est in discretione honestorum & turpium, utilium & noxiorum.) 2. *instrumenta & præsidia.*

Impedimentorum

1. Primum est *naturæ humanæ imbecillitas.* Licet enim discretio honestorum & turpium ingenita hominibus esse videatur, tamen illud lumen non pertingit ad omnia, & facile obscuratur, sicut seq. docebunt. *Seneca IV. de benef.* 17. ait: *Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum*

per-

permittit; etiam qui non sequuntur eam, vident. Sed *Epistola* 120. explicat & restringit, cum disputat, *quomodo ad nos prima boni honestiq; notitia peruenerit. Hoc nos*, inquit, *natura docere non potuit: semina nobis scientiæ dedit, scientiam non dedit.* Etiam *Cicero de ll. I,* 10. *&* 11. disputat quidem: *jus natura constitutum esse; justos natura nos esse factos; non esse quenquam gentis vllius, qui ducem naturam nactus ad virtutem peruenire non possit.* Sed fatetur naturam deprauari, sicut mox dicetur. Christiani ex historia corruptionis humanæ sciunt amplius, quanta sit non minus intellectus humani in judicando imbecillitas, quam voluntatis in eligendo deprauatio. Etiam in ciuilibus. præsertim quoad casus speciales, & exempla particularia. Quo fit, cum dubitatur, honestum ne factu aliquid sit, an turpe, *vt sæpe animi in contrarias sententias distrahantur.* verbis *Cic. ex I. offic.* 3. Vide omnino *Cl. Hornei. lib. 2. Eth. cap.* 2.

2. Accedit *Deprauatio naturæ.* non enim intus modo contumacia appetitus obluctatur intellectui, eumque rapit ad lubidinem suam: sed præsto sunt etiam praua educatio, consuetudo, exempla; è quibus nata improbitas nihil patitur in discernendo honesto à turpitudine, liquidum, sincerum, perfectum. Eximia hic sunt loca *Ciceronis de ll. I,* 10. *Deprauatio consuetudinum, opinionum vanitas, imbecillitatem animorum torquet & flectit, quocunq; cœpit.* Et *cap.* 12. *tantam esse,* ait, *corruptelam malæ consuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur natura dati, exorianturq;, & confirmentur* 2.

mentur vitia contraria. Quod si, quo modo est natura, sic judicio homines, humani (vt ait poëta) nihil à se alienum putarent, coleretur jus æque ab omnibus &c. Et *Tusc. quæst*.III,1. *Natura paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusq; deprauati sic restinguimus, vt nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc autem, simulatq; editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo prauitate, & in summa opinionum peruersitate versamur: vt pœne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. cum vero parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat*. Sic apud Persas, Medos, Indos, Æthiopas, incesta matrimonia honesta & licita habebantur; quæ tamen inhonesta & illicita esse naturalis pudor clamat. Si quæris caussam, prauam educationem & consuetudinem tibi assignabit *Dio Chrysostomus orat*.20. Idem de nonnullarum gentium latrociniis judicandum est. vid. *Justin*.XLIII,3.5. & adde *notam*; itemque *Bodinus de Rep. lib.III. cap*.7. Ad prauam educationem refer etiam varios Scriptores, qui honestatis speciem rebus parum honestis induunt. Non dicam de Machiauello, & nonnullis eorum, qui de ratiône status animosius quam par est philosophantur: quotusquisque ex iis, qui sanctiorem Politices institutionem profitentur, non immiscet ea artibus politicis, quæ flagitiorum & nequi-

tiarum

tiarum nomine signari debebant. Accedunt figuræ poëtarum, oratorum, denique omnium eorum, qui hypothesi suæ scriptionis inseruientes, à seria philosophia, licet non animo, stilo tamen aut artificio discedunt. Neque frustra *Cicero* loco ante laudato erroris circa discrimina honest. & turp. etiam poëtas auctores facit: *hi*, inquit, *cum magnam speciem doctrinæ sapientiæq; præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhærescunt penitus in mentibus.* Sed de poëtis quidem caute legendis tractandisque *Plutarchus* peculiari libello *πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, quomodo juueni audienda sint poëmata*, explanauit. De cetero exempli gratia, si quis legat illos Rhetorum ac poëtarum locos, qui apicem laudis, qui ex honesto petitur, ponunt in fama & gloria populari, in audacia militari, in potentia & imperio: nisi doctrina & judicio felicius vtatur, hauriet aliquid de sensu prauæ opinionis. Et quanquam hæc ineruditis solidaque disciplina nondum firmatis fere accidant; mirari tamen licet, etiam magnos viros, admiratione nimia scriptorum, & amore sententiarum, in sequiora abreptos. Cato, cum legisset Phædonem Platonis, ad vim suæ vitæ adferendam animatus est. quanquam ille tum ex Stoicorum arroganti audacique philosophia libidinem moriendi hauserat. Maius dabo exemplum. Lipsius lectione Senecæ præsertim, Stoicæ philosophiæ sententias, plus quam Christiana religio patitur, amauit, extulit, imitatus est. Qua de re agit erudi-

Tusc. quæst. III, 2.

Appian. B. C. l. 2.

eruditus libellus de *Idolo Hallensi.* auctor, qui nomen suum celauit, est *Petrus Denaisius Assessor olim Cameræ Spirensis.*

Ad hunc locum volumus referri, omnes illos errores in discernendis honestis & turpibus, vtilibus & noxiis, qui vel securitate arripiendi obuia, vel persuasione auctoritatis (id est, cum non tam ratio quæritur, quam auctoritas personæ spectatur) hominibus obrepunt.

3. Quanquam & in ipsis rebus est aliquid, quod cum honestum non sit, speciem tamen honesti mentitur. Illa (3.) *Falsa species,* & similitudo vitiorum virtutes imitantium, discrimina honestorum & turpium euertit. *Seneca epist.* 120. *Mala interdum speciem honesti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit: Sunt enim, vt scis, virtutibus vitia confinia & perditis quoq; ac turpibus recti similitudo inest: Sic mentitur prodigus liberalem &c.*

Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra,
Cum sit triste habitu, vultuq; & veste seuerum.

Juvenal. Sat. XIV, 109. Quem locum expressit *Prudentius in Psychom.* vbi de vitio loquens, inquit;

Fit virtus specie, vultuq; & veste seuera. Exemplum *Augustinus* dabit de C. D. *lib.* 5. *cap.*12.13. 15. vbi ostendit, quomodo Romanis ambitio & cupido gloriæ specie laudis imposuerit.

4. 4. *Mutatur & variatur ipsa honesti natura:* Hæc *natura variabilis* non tantum locum habet in eo genere honesti, quod mediis rebus constat, & de quo per integrum locum communem

munem ostendit *Corn. Nepos (præfat.) non eadem omnibus esse honesta atq; turpia*: Sed etiam in vera ratione officii. Hinc *Cicero 3. offic. 4. Sæpe tempore fit, vt, quod plerumq; turpe haberi soleat, inueniatur non esse turpe.* Ponit exemplum homicidii per se illiciti, sed cum tyrannus familiaris occisus est, laudandi. Et *cap. 25. Sic multa, quæ honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. facere promissa, stare conuentis, reddere deposita, commutata vtilitate, fiunt non honesta.* In ratione vtilitatis hoc eo magis euenire solet, quia futura magis in incerto sunt: honestas statim & in præsens se prodit: vtilitatis perfectio in posterum speratur. Et commutata vnicâ sæpe circumstantiarum, quas vocant, consultum esse desinit, siue omittit rationem vtilitatis, quod alio habitu, aut conditione paululum alia, profuisse visum est: Huc pertinet illud Othonis apud *Tacitum 1. Hist. 83. Sæpe honestas rerum caussas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur.* Exempla ad vtrumque membrum, falsæ speciei scilicet, & mutabilis naturæ negotiorum. *Cicero* de Catone *ad Attic. lib. II. ep. 1. Cato, optimo animo vtens & summa fide, nocet interdum Reip. dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romlui fæce, sententiam.* Ponit deinde exempla. Præsertim imitatio exemplorum sæpe ancipitem similitudinis & vtilitatis coniecturam habet. Brutus & Cassius in occidendo Cæsare Julio secuti sunt exemplum & propositum Junii illius Bruti, qui Tarquiniis eiectis populo R.

X liber-

libertatem peperit. Sed quam in hac imitatione aberrauerint, erudita dissertatione ostendit Vir Illustr. *Christoph. Forstnerus in not. ad Tac. I. A.* 1. Pompeius initio belli ciuilis, aduentante in Italiam Cæsare, imprudenter reliquit Romam: *Reprehendit ergo Cicero, quod Themistoclis consilium, non Periclis imitatus esset,* τῶν πραγμάτων τούτοις ὁμοίων ὄντων, οὐκ ἐκείνοις, *cum rerum status huius tempori (Periclis) non illi (Themistoclis) esset similis. Plutarch. in Pomp.* adde *Cic. ad Attic. VII*, 11. Tiberii consilium & dissimulationem (de quibus *Tac. I. A.* 47.) imitatus est parum feliciter Philippus II. Hispan. Rex in negotio Belgico. *Strada Dec. I. lib. 6. &c.* Poncetus Gallis suadet imitationem imperii Turcici, absurde apud *Thuan.* 57. Sic hodie multis in ore sunt Belgarum & Heluetiorum exempla: quotiens tumultus populorum in Principes exoriuntur. Sed hi non aduertunt, plane singularia esse illa exempl a, neque facilia imitatu, etiamsi de jure non dubitaretur. Auctor vindiciarum contra Tyrannos, qui se appellauit *Steph. Junium Brutum* (est autem *Hub. Languetus*, quamuis *Hug. Grotius in Apologetico aduers. Riuetum* alium existimet) exemplis Biblicis, multum dissimilibus, tanquam similibus vtitur. Ex aliis quoque historiis casus ponit, casui illi, & negotio regni Gallici, ad quod totus ille liber spectat, multum dissimiles. de qua re alias. Exempla igitur recte intellecta, & probe inspecta, tum accurate comparata, idonea sunt, quæ argumentum vtilitatis præbeant.

Veni-

Venimus ad 5. impedimentum, quo diſcrimen honeſt. & turp. vtil. & nox. interturbatur. Id eſt *Error aliquis præconceptus; aut propoſitum vitioſum, principij & fundamenti loco, vt ſic dicam, conſtitutum.* Julius Cæſar, cum ſemel ſtatuiſſet omnia ad dominationem referre, multa fecit laude digna, niſi propoſiti vitio contaminarentur. Hoc eſt, quod *Plutarchus* acute dixit de reconciliatione Pompeii & Craſſi per Cæſarem facta: *πρᾶγμα καλὸν μὲν ἄλλως, καὶ πολιτικὸν, αἰτίᾳ δὲ φαύλῃ. Honeſtum quidem alias & politicum factum, ſed conſilio improbe ſuſceptum.* Plenus eſt principatus Tiberii talium exemplorum, quæ honeſtatis magnificam ſpeciem præferunt: introſpecta ad artes tyrannicas relata deprehenduntur. Hoc ſenſu etiam *Tacitus* noſter dixit, virtutes non minus noxias eſſe, quam vitia, quotiens finguntur & ſimulantur prauos ad fines. *Induſtria ac vigilantia,* inquit, *haud minus noxiæ* (ſcil. quam vitia, de quibus præceſſerat) *quotiens parando regno finguntur.* 4. *A.* 1, 5. 15.

De falſis hypotheſibus, & ſententiis, grande eſt exemplum in Pontificiis autoribus rerum & ſcriptoribus. E.g. quia ſtatuunt Principes Pontifici ſubiici, & Clerum eſſe ſupra Principes, nunquam aliquid ſani aut ſinceri de maieſtate & poteſtate imperiorum produnt. Item quia pro Hæreticis damnant, quicunque diuerſum in religione ſentiunt; hæreticos porro igne ferroque extirpandos judicant; denique ne fidem quidem hæreticis ſeruandam clamitant: omne judicium politi-

cum de discr. honest. & turp. vt & nox. corrumpi peruertique necesse est. neque enim ciuilis aliqua tranquillitas, neque vitæ socialis humanitas, neque adeo præcipuus finis honestarum & vtilium actionum relinquitur. Extat *Judicium Antonij Posseuini de scriptis Bodini.* In eo reprehendit (1.) quod in methodo historica, Lutherum, Caluinum, Melanchthonem, ceterosque nominet honorifice *Historicos*; item Peucerum, Carionem & alios vsurpet ad faciendam fidem, qui & hæretici fuerint, & turpissime in historiis lapsi sint. (2.) quod in catalogo histor. tanquam manu ad libros quosque hæreticos, atque pestilentes Magdeburg. centurias tractandos lectorem ducat. (3.) quod Pontifices & Sacerdotes sub imperio magistratuum dicat contineri. (4.) quod Platonis & Xenophontis probet institutum, qui magistratib. reip. caussa mentiri permittunt. (5.) quod neget Pontifices habere imperium, vocationem, prætensionem, viatorem aut lictorem. (6.) quod Pontifices grauissimis censoribus egere statuat. (7.) quod in libris de Rep. dixerit, hæreticos ferendos; (8.) Remp. Ecclesiasticam (i.e. Principatum Papæ) non commendauerit tanquam exemplar nobiliss. reip. & similia multa.

Sic qui semel animo aut affectu tenendum decreuerunt; Imperium Rom. German. inde à temporibus aureæ Bullæ esse adhuc vere & proprie Monarchicum, omnemque maiestatem residere in persona Imperatoris, longe aliter

aliter judicabunt de rebus ad jus & ſtatum publicum ſpectantibus; quam ii, quibus verior ſententia arridet.

6. Impedimentum eſt capitalis *ille error, quo honeſtum ab vtilitate ſeiungitur. Platonis* & *Ariſtotelis* conſtans ſententia fuit, nihil vtile habendum, niſi quod honeſtum eſſet: quod confirmat *Cicero pleraq; parte lib. 3. offic.* non quod honeſtatis ratio ab vtilitatis ratione plane non differat: ſed quod opponi ſibi inuicem aut disiungi non debeant, quæ fine & ſerie quapiam naturali humani actus coniunctiſſima ſunt. *Recte Socrates* (ſunt verba *Tullij lib. 1. de ll. 12.*) *execrari eum ſolebat, qui primus vtilitatem à natura ſeiunxiſſet. id enim querebatur eſſe caput exitiorum omnium.* Hic alii dicunt: nihil eſſe iniuſtum aut inhoneſtum, quod vtile. alii: quoties pugnant iſta, fas eſſe, vt vincat vtilitas. alii moderatius: vtilitati non quidem plane cedere, ſed ſeruire interdum debere honeſtatem. Vide omnino *Hug. Grot. prolegom. in libros de Jure Bell.* Atque vtinam gentilium intra ſcholas iſta ſubſtitiſſent. Sed inter Chriſtianos quoque venenum blandi eius erroris peperit Machiauelli Politicam: quam plurimi ſequuntur opere, qui ore deteſtantur. Sed de hac re alibi, cum de ratione ſtatus agemus. 61

Aduerſus iſta ſtudii Politici impedimenta, ſiue errores, præſto ſunt remedia, ſiue *inſtrumenta præſidiaq;,* quibus diſcrimen honeſt. & turp. vtil. & nox. in ſolidioris diſciplinæ formulam vindicatur.

Instrum entorum

quædam suppeditat locus Taciti præmissus: quædam addi debent.

In Tacito 1. occurrit *naturalis prudentia* siue *Iudicium Practicum*, quod ingenio Practico sc. proprium est, *Cominæus fine libr. 3. Memorabile omnino donum Dei est, ingenio dextro dotari quempiam & perspicaci.* De tali ingenio diximus *in commentar. Nepot.* & alibi. Vis eius cernitur in iudicando rectissime de præsentibus, in callide coniiciendo de futuris, in perite eligendis maxime accommodatis. Pertinet huc grande illud; *temporibus seruire, &, iis sapienter vti. Corn. Nep. in Epam. c.2. Necesse est enim sæpe temporibus potius parere, quam moribus. Cic. Philipp.11. c.11.*

2. Historia, pragmatica scilicet & cum iudicio scripta. de qua alibi: adde *Lips.1. polit.9.*

His adiicimus 3. *Philosophiam siue doctrinam & eruditionem.* Huc proprie enim spectat dictum Platonis *Ciceroni* quoque laudatum *ad Q. Fr. lib.1. ep.1. cap.1. Tum demu fore beatas respublicas, si aut docti ac sapientes homines eas regere cœpissent, aut ij, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.* Doctrinam intellige solidam, cordatam, generosam. de cuius rationibus alibi ad *Tac. IV. Hist. 5.* de studiis *Heluidij.* In doctrina huc spectante seorsum requiritur accurata cognitio eius, quod τὸ ἀπεργὸς Græci vocant, siue publicæ felicitatis, bonique ac finis ciuilis. quæ notitia respectu ceteri studii politici est vere *moderatrix & princeps.* ἀρχιτεκτονική. Lege omni-

omnino quæ de studiorum in vita ciuili & imperio vtilitate disputat *Cominæus lib. V. cap.18. edit. Barth.*

4. Theologiam, quæ partim è Scriptura S. partim è scriptis Theologorum, judicium plenius perfectiusque informabit; tum voluntatem inflammabit potentius ad virtutem & probitatem: sine qua ciuilis vita infelix. Rursum vide *Cominæum lib. 5.* Adde *Il Politico Christiano del M. Virgilio Maluezzi.* Nominatim hic etiam commendamus *Basilij Magni orationem ad juuenes, quomodo scripta gentilium cum fructu legere debeant.* Et *Augustini opus de Ciu. Dei.* ob rationes in dissertatione ipsa expositas.

DISSERTATIO III.

De jure & ordine imperandi parendique: adeoq; de Maiestate & obsequio ciuili.

Ad locum Taciti VI. A. 8.

VBi Terentius Senator ad Tiberium: *Tibi summum rerum judicium Dij dedere: nobis obsequij gloria relicta est.*

Inter ea, quæ natura, jubens discernere honesta à turpibus, vtilia ab noxiis, homini suppeditat, est vel maxime ille ordo imperandi parendique. Estque hic ordo juris naturalis, gentium & diuini. *Naturalis* (1.) ex appetitu ordinatæ societatis. (2.) ex appetitu

eorum, ſine quibus finis ſocietatis obtineri nequit. (3.) ex analogia harmoniæ in non-rationalibus. *Gentium*; quia conſenſu earum hic ordo probatus & pro neceſſario ac vtili habitus. Vnde & *Jus ciuile* illum ordinem ſuo ſtatui accommodauit. *Diuini*, 1. quatenus jus illud naturale & ſociale, licet profluat ex principiis homini internis, Deo tamen, cuius iſta lex in cordibus humanis eſt, merito tribuitur, vt auctori. 2. quatenus illa principia, de affectu & ordine ſociali, lata lege, & hiſtoriâ ſacrâ, declarauit promulgauitque. Sed de his Politici abunde, cum de Ciuitate & Rep. tractant: tum Theologi in loco de Magiſtratu Politico.

Vid. Lipſ. 2. polit. 1.

Seq. Explicatio loci præſcripti. 1. paraphraſtica juxta orationis ſeriem. 2. cum accommodatione ad noſtrum propoſitum.

I.

Summum rerum judicium ſiue Poteſtas ciuilis.

Quæ & *Maieſtas* dicitur. Maieſtas 1. priſcis quidem ſæpius pro dignitate, eminentia, reuerentia, magnitudine, auctoritate ponitur. Hinc maieſtas oris vultuſque, maieſtas conſulum, maieſtas matronalis, maieſtas imperii R. (ſic *Lipſ. 2. polit. cap. 16.* de maieſtate tractauit.) 2. coniungitur poteſtas & dignitas, ſiue imperium & dignitas, quando e.g. de Lege maieſtatis agitur. Ita *Cic. 2. de inuent.* 17. & 18. *Partit. orat.* 30. *pro Rabirio* & alibi. 3. Recentiores ſummam poteſtatem hoc vocabulo notant.

notant. Secundæ ſignificationis complementum ex interiore philoſophia dedimus *differt. de Auſp. Reg. cap.* 2. §. 3. Sit nobis nunc in tertia ſignif. maieſtas, ſumma ciuilis poteſtas, cuius actus alterius juri non ſubſunt, ita vt alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi. *Grot. de jur. bell.* I, 3, 7. *Graſwinckelius de jure maieſtatis cap.* 3. *&* 4. Quanquam accuratius de hac materia philoſophari cupientibus ſemper in poteſtate illa reſpicienda erit ſumma dignitas. Romanis Scriptoribus: *rerum ſumma, ſummum imperium, arbitrium rerum omnium, vis imperij, jus imperij.* quo etiam *ſummum rerum judicium* in loco præſcripto referri poteſt. Græcis: τὸ κύριον, ἡ πρώτη ἀρχὴ, τὸ αὐτεξούσιον, ἡ τῶν ὅλων ἐξουσία &c. Hæc eſt poteſtas totius ciuitatis; ſed ſubiectum proprium mutat pro diuerſa Rerump. forma. Vide *Bodin. de Rep.* I, 8. *Arniſ. de I. M.*

Originem maieſtatis reuera à Deo repetendam, licet hominum accedat opera, ex S. litteris certum eſt. Vtrumque Apoſtoli in N.T. expreſſerunt: Paulo *Rom.* 13, 2. ſumma poteſtas dicitur διαταγὴ θεοῦ *ordinatio Dei*: *Petro* eadem ἀνθρωπίνη κτίσις, *humana ordinatio*, vocatur *Epiſt.* 1, 2, 13. Res eſt manifeſta, de diuino auſpicio & conſtitutione, humana vero opera & miniſterio. Sed interpretatio diuerſa diſputandi locum dedit. Sicut enim nemo negare audet, ſummam poteſtatem à DEO eſſe (quod accurate probat *Theod. Graſwinck. de jur. maieſt. cap.* 1. Et quomodo id Ethnici etiam agnouerint, monuimus *differt.*

vid. Gerbi Comment. in h. l.

X 5 de

de Ausp. Reg. Tacitus noster; *Deos dare summum rerum Judicium Principibus.*) ita eandem à populo esse, dici quidem posset, si citra quæstionem veræ originis, eo sensu, quem notauimus; tum citra hypotheses inde nimis animose deductas, id fieret. *Steph. Jun. Brutus in Vindic. contra tyrannos (quæst. 3.)* ita colligit suam de hoc argumento philosophiam: *Omnes reges* (e.g.) *regiam dignitatem à populo accipere*; adeoque *populum uniuersum rege potiorem & superiorem esse: regem regni, imperatorem imperij supremum tantum ministrum & actorem esse, populum vero verè dominum existere.* Sicut autem de quibusdam regibus & imperantibus verum est, ita de omnibus, ac de suprema potestate vniuerse affirmare, quod & prorsus à populo sit, & penes populum semper resideat, temerarium est. Exempla, quæ ille auctor adfert, partim non agunt de talibus regibus, quibus suprema potestas ciuilis & maiestas vere ac plene tradita est; partim ceremonias inaugurationis, acclamationis, gratulationis cum originaria creatione ac constitutione regum confundunt. Hinc nata occasio *Cl. Graswinckelio (de I.M.)* disputandi: *summæ potestatis originem non recte ad populum referri* (*cap.* 2.) & *summam absolute potestatem supra populum esse*; *cap.* 7. Ante Grasvv. hoc egregie demonstrauerat *H. Grotius de I.B. lib.* 1,3,8. Adde *Gulielm. Barclai. aduersus Monarchomachos* III,7.

Ex diuina origine Maiestas trahit aliquid diuini: sancta, inuiolabilis, DEI vicaria in terris, DEO vni secunda. sicut infra denuo mone-

monebitur: & alibi late tractatum à nobis eſt.

Diſtinguitur vulgo Maieſtas in realem & perſonalem, quod illa ſit imperii, hæc imperantis: quæ diſtinctio ſatis tolerari poſſet, niſi quædam annecterentur conſectaria, non ferenda. E. g. quod etiam in regno pleno & abſoluto maieſtas realis maneat populi; adeoque maieſtas imperantis ſemper obſtringatur maieſtati imperii &c. Quæ ſcilicet congruunt ſententiis, quas merito refutatas modo diximus. Itaque doctiſſimus *Graſwinck. de I.M. cap.*10. *&* 11. diſtinctionem illam aliter explicat, vt deſinat maieſtas realis, vt primum in perſonam collata eſt maieſtas: manente autem reali maieſtate, perſonalis vera maieſtas nulla ſit, ſed imago eius, reſpectu adminiſtrationis & curationis. &c.

Repugnat maieſtatis naturæ, quidquid eſt fiduciarium, precarium, curatorium. Tales ſunt omnium magiſtratuum poteſtates, dictaturæ &c. vtcumque ſpecioſo ſui operis juriſque titulo præfulgeant.

Refertur autem ſumma illa poteſtas vnice ad Reip. ſalutem, neque quidquam priuati habet. H[illegible] eſt anima reip. & ſpiritus vitalis, & vis architectonica. Hinc auſpicia pignoraque imperii fas eſt repeti. Ad hanc prouocat Reſp. quoties metuit, ne quid reſp. detrimenti capiat. (Explic. vetus illa formula, de qua *Salluſt. Catil.* 29. *Caſ. bell. Ciu.* I, 5) Ita enim diſertis verbis interpretatur illam formulam *Cicero pro Rabir.* 7. *operam darent Coſſ. vt imperium populi*

puli Romani maiestasq; conseruaretur. Maiestas sui est, & reip. tutela &c.

Ex maiestate oritur (siue potius, eius pars est) *Dominium eminens ciuitatis aut eius, cui ciuitas suum jus tradidit in res & personas singulorum, boni publici caussa.* Sic in res singulorum maius est Dominium regis, ad bonum commune, quam dominorum singularium: sic reip. quisque ad vsus publicos magis obligatur, quam creditori. *Grot. de I.B. I,1,6.* Intelligitur enim quisque eo ipso, quod pars ciuitatis esse voluit, obligasse suam voluntatem, seque ac sua omnia, in vsus communitatis.

Hinc etiam, tanquam ex arcano maiestatis sinu, progignitur, quidquid est juris ac rationis in Ratione Status, quam vocant. de qua alibi.

Maiestas, res sancta & in terris summa vereque diuina, in communi disquisitione facile audaciam curiosius rimantium absterret: sed cum in turbam degressa est, in speciali illa consideratione, quatenus in Regnis aut liberis Reip. formis viget, multa temeritate curiosæ disputationis tentatur. sicut infra patebit.

Repet. verba Taciti. Manet ergo, vt Tacitus nobis sua denuo verba mutuetur, maiestas *summum rerum Judicium Principi à Deo datum*: summum, jure diuino & humano; summum, quia summæ i. e. diuinæ potestatis imaginem & officium refert: summum in statuendo, prouidendo & discernendo; itemque in efficiendo, agendoque;

doque; vnde ap. *Sallust.* (*Catil.* 29.) *imperium atq; judicium summum* coniungitur: summum denique potestate & dignitate, siue potius vi potestatis atque dignitatis singulariter permixta.

Deducerent nos jam verba Taciti ad Maiestatem Rom. Principis. Sed de ea rectius agemus infra, vbi Regnorum præcipuorum in mundo historiam politica ἐξηγήσει prosequemur. Nunc de

II.

Obsequii gloria, siue de Ciuili obsequio.

Obsequij vox 1. *obligationem* suppeditat, qua ciuis summæ potestati obligatur ad omnia, quæ finis ciuitatis, in fruendo jure & vtilitatibus communibus positus, requirit. Hanc obligationem niti jure diuino, & natura rationali atque sociali, prædiximus.

2. Obsequium ipsum est in *parendo & venerando. Parere* complectitur duo: (1.) ne resistatur aut obuiam veniatur summæ potestati. (2.) vt impleatur, agatur, omittatur, quod summa potestas jubet aut vetat. Vnum hic symbolum ciuium singulis: *mihi jussa capessere fas est.* Quousque hæc pertingant, dicetur, cum de tyrannide & potestate regia agemus.

3. Obsequium reuerentiæ & venerationis ita explicat Tacitus, vt neget conuenire priuato & ciui, de placitis supremæ potestatis interpretando dubitare ac disputare. Pertinet huc,

huc, quod de disciplina militari Otho apud Nostrum dicit 1. H. 83, 6. *Si, vbi jubeantur, quærere singulis liceat; pereunte obsequio, imperium intercidit.* Propius autem ad mentem sententiæ quam explicamus facit *l. 3. C. de crim. sacrileg. Disputare de Principali judicio non oportet: sacrilegij enim instar est, dubitare an is dignus sit, quem elegerit Imperator.* Capio *sacrilegium* politico potius quam juridico significatu; per colorem augendæ comparandæq; rei potius, quam proprio nomine signandi criminis. Confer text. parall. *l. 5. C. de diuers. rescript. & pragm. sanct.* Hæc ratio sententiæ, qua religiones violari, sacra imperii, mysteria maiestatis attrectari dicuntur, sæpe vsurpatur in *criminibus maiestatis*, de quibus suo loco.

4. Ab hoc obsequendi officio nemo excipitur, nisi maiestas ipsa: quicunque in ciuitate viuit, neque summam eius potestatem accipit, licet administrationi eius speciose sit adhibitus, siue sacra siue ciuilia curet, obsequii ciuilis vinculo sine summo scelere se non potest eximere. *Oppositio* Taciti hoc monstrat: & in oppositione *ordo*, in cuius serie omnia ab vno infra vnum descendunt, & ad vnum ascendunt. supra vnum nihil est. De quali flagitio Pontificis R. qui se suumque clerum eximere cupit, paulo post dicetur. Vt & de iis, qui magistratibus quibusdam priuilegium non obsequendi constituere volunt.

5. Imo in hoc obsequio *gloria* ciuilis viri versatur. Est quidem Gloria proprius maiestatis non obsequii character. vnde cum

qua-

quadám figura politica *gloria obsequij* vnice *relinqui* ciuibus dicitur. 1. Eo genere *gloriæ*, quo laudantur, quæ in officio explendo recte fiunt. Est enim ciuis qua talis hæc virtus, vt legibus ciuitatis se attemperet, quarum summa & compendium maiestas est. Diximus alibi de *Ciuilitate*. 2. Eo genere *gloriæ*, quod promtitudinem, artem, excellentiam obsequii notat. Specimen in ipsa oratione Terentii Senatoris, vbi subtile illud paullo post nostram sententiam sequitur: *abditos Principis sensus & si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps: nec ideo assequare.* Dixi etiam aliquid de arte obsequendi *annot.* II. *ad cap.* 2. *lib.* I. *A. Tac.*

DISSERTATIO IV.
De Juribus Maiestatis in genere, & De Potestate Legislatoria.

PRæfanda quædam de Juribus Maiestatis. Querela *Bodini* super breuitate & obscuritate veterum in hoc argumento. *lib.* I. *de Rep. cap.*10. *non longe à principio.*

Querela & obseruatio *Grotij* de recentioribus (*de I.B.* I,3,5.) *quod nostro sæculo viri eruditi, quisque ex vsu magis rerum præsentium, quam ex vero illud argumentum exequuti, rem per se haud expeditam multo impeditiorem reddiderint.*

Idem

Idem *Grotius* §. 6. *cap. prædicti*, bene & ad mentem veterum, reique ipsius naturam, colligit jura potestatis ciuilis.

Ad quæ referri possunt jura illa, quæ alii pæne in infinitum multiplicant: atque in maiora & minora distinguunt. Apud *Tacitum* nostrum summatim tanguntur I. *A.* 2, 2. vbi narratur, quomodo Augustus *insurrexerit paulatim, munia Senatus, magistratuum, legum in se traxerit*; i.e. jura imperii & maiestatis sibi vindicarit. De quo loco alibi. It. 13. *A.* 49.

I.

Caput maiestatis, siue *potestas Legum.*

Ad illustrissimam *Taciti digressionem de Legibus III. A.* 26. *&* 27.

1. Ratio ordinis ostensa.

2. Dissertatio distributa in *Explicationem* Digressionis prædictæ; & *Annotationem* quæstionum ac obseruationum huc pertinentium.

Explicatio Digressionis Taciti.

1. Occasio Digressionis.

2. Forma & tractatio est Historica: Traditur enim Legum tum aliarum, tum Romanarum historia; ab origine, progressu, incrementis sæpe immodicis.

3. Continentur tamen in hac historia quædam, ad naturam legum & finem, ad discrimina legum &c. pertinentia.

Occasio habetur

3. *A.* 25, 3.

Histo-

Historia ipsa

I. Exquirit *originem LL.* & juris. Quam Tacitus hoc l. ex falsa hypothesi repetit: quasi homines quodam tempore sua sponte sine probro, sine scelere, sine legibus vixerint: pudore & modestiâ mores gubernantibus. Contradicit expresse Aristoteles; cuius *lib.* 10. *Eth. Nicom. cap. vlt.* hæc est doctrina: *vt homines boni sint & honeste viuant, legibus opus esse. naturam enim hominum ita comparatam esse, vt pudori non obsequatur sed metui, neq; abstineat à malo propter turpitudinem, sed ob supplicia & pœnam.* Vnde alii gentilium Scriptorum longe diuersi à *Taciti* sententia notam vetustissimæ barbariei, & vitæ non tam honestæ quam inhumanæ, inopiam & inscitiam legum ponunt. Sic *Sallust.* Aborigines describit *Catil.* 6. *genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atq; solutum.* itemque *Getulos & Libyas in Jugurth.* c. 18. *Hi neq; moribus, neq; lege aut Imperio cuiusquam regebantur.* Et Bebrycios *Valerius Flaccus*:

—— —— Non fœdera legum
Vlla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.

Hypothesis *Taciti* & similia loca originem trahunt 1. ex ignoratione primæuæ & antiquissimæ historiæ. 2. ex confusione legum scriptarum & non scriptarum. 3. partim referri debent ad comparationem seculorum & gentium in moribus. Sic *Justinus lib.* 2. de Scythis: *Justitia gentis ingeniis culta non legibus.* Quo pertinent etiam loca *Taciti* nostri de *Germanis cap.* 19. & *Sallust.* de priscis Romanis:

Catil. 9. *jus bonumq; apud eos non legibus magis quam natura valebat.* Et *Liuij lib.* 21. *Fides & jusiurandum, propulso legum & pœnarum metu, ciuitatem regebant.* Qualia loca homines honestatis amantes, & qui peccare oderunt virtutis amore, non inopiam aut ignorantiam legum notant.

In origine legum tradenda etiam illud non plane verum est, quod leges propter abusum aut tædium dominationis institutas censet *Tacitus.* Eadem enim 1. est origo & ratio legum & imperiorum: justitiæ fruendæ causa vtrumque comparatum est. 2. viua lex, an scripta imperet, nihil interest ad naturam legis. Interim verum est 1. pleraſque antiquas gentes primo Regibus paruisse, quod confirmat & *Cicer.III. de leg. c.*2. 2. sub multis Regibus arbitria Regum pro legibus fuisse: Quo significatu scilicet *Justinus* etiam dicit: *Populus nullis legibus tenebatur.* lib. 1. adde 7, 3. Quanquam hæc locutio interdum etiam ad plenum arbitrium Regis spectat, neque omnem legem latam negat. 3. Factum esse, vt quædam ciuitates leges, quam Reges (aliam & legibus definitam Reipub. formam) mallent, sicut alicubi loquitur *Seneca.*

Vera origo legum est ab ipso Deo arcessenda; qui legem inscripsit hominum mentibus, eamque denuo postea promulgauit, cuius summa in decalogo. Hinc omnia jura, omnes leges manarunt. Ipsi certe gentilium legislatores originem suarum legum à Deo repetunt (vid. *Platon. in Min. Strab. lib.*16. *Joseph.*

cap.

*cap.*2. *contra Appionem*: *Eusebium præparat. Euangelica* & alios.) Naturam item, hoc est, legem Dei in humanis mentibus, faciunt matrem ac parentem legum; quod vel *Cic.* 1. *de leg.* declarare potest. (vid. *Ludou. Viuem ad August. de C. D.* 19. *c.* 21.) & *Aristoteles* memorabili sententia Deum & naturam & leges coniungit: qui mentem jubet imperare (in ciuitate) videtur hoc jubere, vt Deus & leges imperent. *3. polit. cap.* 12. *Josephus* (*II. contra Appion.*) quantum ad leges scriptas attinet, in tantum hic legis Mosaicæ prærogatiuam extollit, vt apud antiquissimos Ethnicorum scriptores, qualis est *Homerus*, ne nomen quidem τ͂ νόμȣ hoc est legis exstare notet, quod tamen vltra scopum trahi non debet.

Perpetua igitur ad hos fontes ἐπάνοδος siue regressio est, qua e.g. jus ciuile ad jus naturale, hoc ipsum ad jus & legem Dei reducitur.

Ethnicis memorias antiquiores ignorantibus, historia legislatorum & legum citerius ponitur. Hinc *Tacitus* cum cæteris nominat Minoem, Lycurgum, Solonem, antiquissimos & præstantissimos legislatores. Minos fingebat, se nouem annos in antro Jouis discipulum fuisse, atque inde didicisse artem ferendarum legum, (de qua re in *differt. de Auspicio Regio*) hunc postea in ferendis legibus imitatus est Lycurgus, sicut notat *Aristoteles* 2. *polit. cap.* 8. vbi Cretensium & Spartanorum Rempub. comparat. Vide eiusdem *libri cap.* 7. vbi Lycurgi legislatio examinatur. Adde *Plut*-

arch. Lycurg. Xenoph. de Repub. Lacedæmoniorum. Strab. lib. 8. *&* 10. *Justin. lib.* 2. *&* 3: Solonis νομοθεσίαν cum elogio nominat noster: *quæsitiores & plures leges perscripsit.* Pertinet huc illud *Arist. II. polit. cap.* 8. *prisca illa pleraq; minus sunt exquisita quam recentiora.* vid. *Plutarch. Solon. Diogen. Laert. in vitis. Justinus lib.* 2. *cap.* 7. *Herodotus lib.* 1. *&* 2. *Gruterus ad Liuium III,* 1. Ante Solonem Draco leges tulerat, de quo *Gellius lib. XI. cap.* 18.

De Romanis legibus ista tradit: 1. de legibus regum. 2. de legibus duodecim tabularum. 3. de legibus ambitiose & per vim latis. 4. de restitutione & reformatione juris legumque.

De legibus Regum conferendus est *Pomponius l.* 2. *D. de origine juris. Initio ciuitatis nostræ populus sine lege certa, sine jure certo, primum agere instituit, omniaq; manu à Regibus gubernabantur.* Sequitur postea de legibus Romuli & sequentium Regum *jure ciuili Papiriano* collectis: Hinc discimus Regum magnam fuisse potestatem. Quod de Romulo quidem etiam affirmat *Tacitus,* sed *Seruium Tullium* ait *sanctorem fuisse legum, quibus etiam Reges obtemperarent.* Atque hinc limitatam fuisse potestatem Regum, colligit *Jacobus Gothofredus* in *Vlpian. suo pag.* 38. *&* 39. Quanquam exemplum earum luculentum vix exstare existimat *Clapmar. arc. lib.* 1. *c.* 12. vide omnino *Grotium de I. B. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 20. Mansisse autem quasdam leges Regias etiam post XII. tabul. constitutas, discas ex *Liuio VI,* 1.

De

De legibus XII. tabul. tradit 1. occasionem clarius expressam *Liuio III,3.* vbi Tribuni ad patres: finem tandem certaminum facerent;" Si plebeiæ leges displicerent, at illi commu-" niter legumlatores, & ex plebe & ex patribus," qui vtrisque vtilia ferrent, quæque æquandæ" libertatis essent, sinerent creari. 2. Legum-" latores decemuiros. 3. Exemplum legum, scilicet Solonis, aliarumque Græcarum ciuitatum instituta constituerunt jus Romanum. Vnde multa à Græcis possunt peti ad jus Romanum explicandum (laudata opera *Sam. Petiti*, qui de legibus Atticis commentarium edidit.) 4. Numerum tabularum. 5. Perfectionem. Sic *Liuius lib. 3. cap. 34.* fontem omnis publici priuatique juris vocat. item corpus omnis Rom. juris. Sed de his prolixe *Anton. Augustinus de LL. & SC.* itemque *Jacobus Gothofredus*, qui in fragm. XII. tabularum historiam quoque ex *Diod. Siculo, Liuio, Halicarnasseo, Pomponio*, & aliis repetit. Notandum, leges à *Cic.* descriptas in *libb. de ll.* non esse ipsas *ll. XII. tabul.* quoad verba.

Deprauatio & corruptio νομοθεσίας Rom. (cuius hic fines notantur & proposita) à temporibus præsertim Gracchanis incipit, & per seculum & amplius extenditur. Historia sæpe tractata repetatur ex *Floro lib. 3. cap. 13. & sequentibus*, vbi authores quoque cæteri *Camertis* industria annotati sunt. Correctio & restitutio primo per Pompeium, de quo præsertim *Dio lib. 53.* Adde *Sueton. August. c. 34. & sequentibus.*

Annotatio quæſtionum & obſeruationum huc pertinentium.

Definitiones & diſtinctiones juris & legum huc adferri non eſt noſtri inſtituti. Faciunt illud partim JCti, partim Philoſophi, & inter prædictos etiam *Antonius Auguſtinus prior. cap. tractat. de LL. Grot. ſpar. flor. ad jus Juſtin.* Cicero & alii. Neque etiam legiſlatorii officii dignitatem hic prædicabimus. Oſtendit ſatis *Ariſtoteles X. Ethic.* eſſe hanc ſcientiam & prudentiam verè πολιτικὴν & viro politico propriam. Longe enim aliud eſt leges ferre, quam leges interpretari &c. Vnde ad jura Maieſtatis vel maxime pertinet leges ferre, quatenus vel ad communem honeſtatem, ſine qua ciuilis felicitas non obtinetur, adeoque ad diſcrimen honeſtorum & turpium pertinent; vel quatenus ſeorſum ad vtilitatem ciuitatis ac formæ referuntur: illaſque leges partim mutare, interpretari, abrogare, ſupplere, augere. Ipſa autem maieſtas (hoc enim comprehenditur jure ferendarum legúm) legibus ſoluta eſt.

In loco Taciti Reges Romani, itemque Senatus & Populus tulerunt leges: interdum quidem rogantibus magiſtratibus, ſed conſenſu populi. Quæ autem diſſenſione ordinum, in gratiam vnius & præiudicium alterius ordinis latæ ſunt, ambitioſæ violentæque leges, i. e. ne hoc nomine quidem dignæ, ſi accurate loquamur, haberi debent,

Sed

Sed de hac re infra patebit, cum de forma Reip. Rom. qualis ab initio, deinceps per insequentia tempora fuit, agetur. Videatur interim *Cl. Conring. disp. de LL. thes. 6.* & *Arnisæus de Jure Maiestatis cap. 3. pag. 192.* & *Grasswinck. de Jur. Maj. cap. 6.*

Maiestas leges fert: tum diuinam, naturalem & positiuam repetendo, commendando; tum gentium placita suæ reip. accommodando; tum ciuiles leges ad salutem & compositum ciuitatis statum ex arbitrio constituendo.

Fert autem leges omnibus, qui jure ciuitatis vtuntur, siue qui ciues & subditi sunt, siue perpetui, siue temporarii.

Non autem sibi ipsi. Est enim summa potestas, siue maiestas, supra leges. Hoc sensu: Legi diuinæ, quatenus vel lex naturæ est, vel diuina positiua, humano generi lata (nam vni populo lata non obligat proprie cæteros) non potest maiestas superuehi. Hæc enim potestas legislatoria ad jura maiestatis DEO debita, quibus humana omnis maiestas subiicitur, pertinet. Vide interim, quatenus maiestas libertatem naturalem circumscribere, & vetare quod jure naturæ licebat (licet nil possit præcipere, quod natura prohibet) queat ap. *Grot. I.B.* 2,2,5. cuius etiam hæc regula est 2,3,6. jura humana multa constituere possunt præter naturam; contra naturam nihil. Legibus gentium, quatenus jus gentium cum jure naturæ coincidit, & naturæ dictatum vniforme in gentibus est,

itidem nemo poteſt maieſtatem ſoluere. quatenus autem pro arbitratu gentium ſæpe paucarum inſtitutis continetur, non obligatur iis legibus maieſtas, niſi pacto quodam ſe obligauerit. Ciuilibus autem legibus ſumma poteſtas plane non obligatur. Sic *Arniſæus de I.M. cap.31. §.6.* probat: *Maieſtatem nullis omnino poſitiuis legibus ſubiici. Iac. Gothofr. in Vlpiano ſuo* prolixe explicat *l.3. ff. de ll.* ſimulque totam hanc materiam pertractat. adde *Graſwinckel. de I. M. cap. 6.* qui *Valent. Forſterum* etiam refutat, ſtatuentem, *illam l.31. abrogatam eſſe.* Ad obiectionem, quæ ex Taciti loco petitur, de ll. quibus etiam Reges Rom. tenebantur, reſpondet *Graſvv.* Et dicetur in materia *de Regno*, item *de Rep. Rom.*

Sicut autem ſoluta eſt maieſtas legibus (nolumus enim in voce argutari) ita ſoluere alios poteſt. *L. 31. ff. de LL. Auguſta licet legibus ſoluta non ſit, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipſi habent* ſc. non ipſam abſolutam poteſtatem, quæ communicari nequit in monarchia; non item licentiam quoduis faciendi; ſed legibus poſitiuis vt ſoluta eſſet. Apud *Tacit.2. A.34. Vrgulaniam ſupra ll. amicitia Auguſtæ extulerat.* De facto, non de jure. item, conceſſu Principis. vide exempla alia apud *Clapmar. Arcan. 1, 12.*

Hac in re aliquando arte politica vſi ſunt Principes, cuius exemplum ap. *Tacit. 2. A. 51.* Item *h. lib.3. cap.29.*

Quæſtio hic tractata: Vnde hæc poteſtas Legi-

Legibus ſuperior Maieſtati competat; ex ſe, an ex priuilegio per populum conceſſo?

Diſtinctio inter officium Principis virtutemque & Poteſtatem eiuſdem. Notabilis locus Taciti 3. *A. 69, 3.* hac occaſione explicatus, & de Schematibus Politicis ſtyli Principalis in hac re.

Quær, An ex præſumta maieſtatis voluntate miniſtro liceat contra leges agere? Vide *Grot. de I.B.1,3. §.4. & 5. Tac.1. A.38,1. Gramond. lib.13. p.567. & ſeq. Camden. part.3. Eliſab. p.534. Strad. decad. 2. lib.9. p.m.686.* Exemplum Epaminondæ ap. *Nepotem.* Locus *Cæſaris lib.3. bell. ciu. cap.51.*

De conditione legum & virtute Legislatoria ex Digreſſione Taciti pauca nunc ſubnectemus.

I. Leges honeſta jubere & praua vetare tanquam proprio officio debent. Vetant tamen etiam interdum ea, quæ ex ſe praua non ſunt, ſed quatenus fini ciuitatis non congruunt. cape de poſitiuis & ciuilibus. Lex naturæ enim perpetua eſt. Recte *Auguſtinus 19. de C. D. non enim jura dicenda ſunt vel putanda iniqua hominum conſtituta: cum illud etiam ipſi (gentiles) jus eſſe dicant, quod de juſtitiæ fonte manauerat. falſumq́, eſſe, quod à quibuſdam non recte ſentientibus dici ſolet. id eſſe jus, quod ei, qui plus poteſt, vtile eſt.* Annotat tamen *Lud. Viues*: haud dubie maxima ex parte tale eſſe jus, quo hodie in ciuitatibus vtamur. Scilicet aliud eſt juſtum ſimpliciter; aliud, juſtum ali-

cui. in rebus, quæ mutationem & variationem sua natura recipiunt.

II. Leges ergo vitiosæ sunt, quæ cum fine ciuitatis pugnant. E.g. ambitiose aut per vim latæ, itemque præter morem honestatis & formulæ ciuilis. *Tac. h.l. cap.27.*

III. Vtilitas autem ciuitatis capienda est cum temperamento, de quo ap. *Liu.34,3. Nulla lex satis commoda omnibus est. id modo quæritur, si maiori parti & in summam prodest.*

IV. Leges hic partim simplices, partim exquisitæ laudantur. Simplices volumus juxta illud *Senecæ ep.94. Lex jubeat non disputet. nihil ineptius, quam lex cum prologo.* Relinquitur tamen & hic libertas legislatori ex temporis, rerum, personarumque circumstantiis metienda. Interim explanata esse debet, & ad intelligendum verbis, sensibus', modo promulgationis expedita. Malus itaque legislator Caligula apud *Sueton. cap.41.*

V. Etiam numerus legum augetur ex modo & ratione caussarum emergentium. Et feruntur aliquando leges *in maleficos ex delicto.* Cato ap. *Liu.34,4. Sicut ante morbos necesse cognitos esse, quam remedia eorum: sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum facerent.* Confer. *Tac. 3. A.69,2.*

VI. Quia tamen omnia legibus definiri & determinari nequeunt (vnde etiam Prudentum responsa, & ipsius Maiestatis perpetua decisio supplere possunt, quod deest) non sunt nimis multiplicandæ leges. Qui mor-

morbus Romanæ νομοθεσίας notatur hîc à *Tac. 3. A. 25, 2. & 3.* & *cap. 27. corruptissimæ reip. indicium* ponitur. *Liuius* quoque *lib. 3, 34.* conqueritur de *immenso aliarum super alias aceruatarum legum cumulo.* Adde *Lips. 2. polit. 11.* & *Barclaii dissertationem Argenid. lib. 3.*

VII. Leges denique moderationem quandam τῆς ἐπιεικείας recipiunt, ne fiat, quod hic de Pompeio dicitur, quod *remediis grauior fuerit, quam delicta erant.* Item alterum exemplum hic extat *de L. Papia.* Draconis quoque ll. olim hoc nomine reprehensæ. Etiam quæ aliquandiu justæ bonæque fuere, ex conditione temporum recipiunt mutationem, imo requirunt. Vnde maiestas interdum *soluit nexus legum,* vt Noster loquitur.

VIII. Idque consilio virorum prudentium, quod Tiberius etiam hic decore obseruauit. *cap. 28.*

Appendicis loco mentio facta *Priuilegiorum.* ad quæ respicit *Tacitus* in digressione sua, *cap. 28. Jamq́, non modo in commune, sed in singulos homines latæ quæstiones.* Est enim priuilegium, quod in *priuos* homines fertur, vel irrogando damnum, vel largiendo commodum aut jus aliquod. Qua de re vid. *Arnis. de I.M. lib. 2. cap. 3. §. 16.* & *Anton. Augustin. in XII. tab. pag. 159. & seq.* Interdum confunditur *Priuilegium* cum *Judicio populi* & *Lege noua.* quæ diligenter distinguit *Jacob. Gothofred. in not. ad XII. tab. fragm. tab. X.* Addenda sunt omnino quæ disputantur ap. *Quintil. declam. 254.* Ad

inter-

interpretationem Priuilegiorum pertinent quæ tradit *Grotius* I.B. 2,16,12. Sed hæc obiter.

DISSERTATIO V.

De Jure Belli & Pacis

ad locum Taciti XIII. Annal. 49,2.

VBi obtrectatores Thraseæ: *Cur, si Remp. egere libertate Senatoria crederet, tam leuia consectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus & legibus, quibusq; aliis Romana continentur, suaderet dissuaderetue?*

Ac de legibus quidem actum est. Nunc de *bello & pace.* Ita enim coniungi solent. alia quidem significatione ap. *Ciceronem*, vnde H. Grotius titulum suo operi mutuatus est, de Jure Belli & Pacis, sicut ex initio prolegom. patet. ibi enim significat id quod in bello suscipiendo, gerendo, suspendendo, finiendo juri consentaneum aut aduersum est. Hic potestas belli pacisque exprimitur. Dicitur alias *jus armorum.* Dicemus

I.

De Jure ipso, siue de Potestate Belli & Pacis.

Ea potestas, videndum est 1. cui competat, 2. quid in se comprehendat.

Competere autem nemini potest nisi Majestati: cui & diuino jure datus est gladius; & naturali, gentium, ciuilique jure competit

tit defensio ciuitatis, iniuriæ depulsio, &c. In sacris ergo, in Theocratico quidem regimine, cum Deus jura maiestatis quodammodo immediate ex suâ manu dispensaret, Dei jussu arbitrioque bella gerebantur potissimum. Sed cum Theocratici regiminis pertæsi Regem optarent Israëlitæ, id præsertim addunt: *Da nobis Regem ad vindicandum nos*, sicut vocem Hebr. שפט reddiderunt Tremellius & Junius *Sam.* 1, 8, 5. & 6. Nimirum ita explicat suam mentem; ipse populus *v.* 20. *vt vindicet nos rex noster, & procedens ante nos gerat bella nostra*. Vt *vindicta* domi in judiciis, & foris, ab hoste, intelligatur. Fuit itaque jus belli penes Regem, quamuis cum temperamento, vt bellum suscepturus (intellige bellum maiestatis, vt vocabant) Synedrium consuleret, vide *Schickardum de Jure Regio Hebr. theorem.* 17. Apud *Dionem* Imperator Rom. πολέμων καὶ εἰρήνης κύριος dicitur, *Dominus bellorum & pacis*. Et Panegyrista describit maiestatem eandem Principis R. cuius ditione *nutuq; maria, terræ, pax, bella regerentur*. In *Tacito* inter eas res est, *quibus Romana continentur*. Alias quoque, vbi de veris Regibus sermo est, *jure Regio* continentur. Hinc *Tacitus* 2. *A.* 73. inter impedimenta bellici operis successusque ponit, quod Germanicus *non fuit solus arbiter rerum jure & nomine Regio*. sicut contra Alexandri bellantis auctoritas ap. *Liu.* 9, 18. ita signatur: *Reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed Domini rerum temporumq; trahunt consiliis cuncta, non sequuntur*. Sed hoc ad admi-

Plini Paneg. 4.

administrationem belli pertinet. Apud Optimates & populum semper ibi est jus belli, vbi maiestas. Quanquam in illis Rebusp. multa subinde ,vel per communicationem, vel per temperamentum, vel per simulacrum (quod nec in regnis inusitatum) gerantur. Distingui ergo debet jus belli, ab eiusdem administratione. sic longe minus difficultatum erit in diiudicandis exemplis & historiis.

Quod de bello dictum est, etiam ad pacem pertinet, cuius caussa bellum geritur; & in quam desinit. Pacem sancit Maiestas, cuiuscunque tandem consilio, aut quacunque formula paciscendi vsa.

Videndum nunc, quid comprehendatur *Jure Belli.* Præcipue quidem omnia, quæ ad arma inferenda & administranda pertinent, siue quæ ad armatam tutelam reip. referuntur. qualia sunt, exercitum conscribere, dilectum habere, arma comparare, in hostem mouere, prædas agere, confligere, stipendia constituere, pœnas & præmia militum moderari. Talia quædam recensentur *l.3. ff. ad L. Jul. Mai.* & ap. *Isidorum Orig. lib.5. cap.7.* Sed ista quidem clara sunt. De armis seorsum obseruanda sunt, quæ habet *Arnisæus de I. M. lib.2. cap.5.* §.4. Arma ferre, ex permissu vel præcepto maiestatis habent priuati. Hinc *Pugio* insigne imperii *Tac.3. H.68.* propter judicia sc. & bella. ad q. l. v. quæ notamus huc pertinentia. Etiam *Hasta* siue *sceptrum.* de quo alibi. Insignis locus de jure gestandi gladii

gladii (quod proprætoribus Cæsaris permissum, proconſ. proprætoribus ceteris præfectisque ademtum erat) est apud *Dionem lib.53. pag.578.* Permittebatur autem τὸ μαχαιροφορεῖν (siue *gestatio armorum*) vel vt insigne potestatis delegatæ, magistratus, honoris; vel vt instrumentum defensionis offensionisque ex præcepto & arbitrio maiestatis vsurpandæ. *Illud* genus, velut radios à maiestatis splendore coruscantes, sed nihil nisi ipsum maiestatis jus obsequiosè significantes, notat: *Hoc* administrationem militiæ respicit, & mandata militaria. quibus tamen interdum aliqua imago honoris per artem politicam accedit. Huc pertinet, quod armorum custodiam & armamentaria, itemque fabricas armorum Principes suis juribus vindicant. vid. *Arnis. I.M.* 2,5,3. Etiam jus custodiæ militaris soli Principi, siue iis qui loco Principis sunt, in aliis formis Reip. proprium, huc spectat. *Tac.1. A.*7,5. hæc est vis & species dominationis. Vnde nemini permissum, aliquid eius rei attrectare, nobilem locum vide *6. A.3.* Permissum tamen interdum ministris maioribus jus armatæ custodiæ, sed precarium. Vnde ap. Principem nemini præsidium concessum. Notabilis locus *Gramondi de Cardinalis Richelij armato præsidio.* Atque hic concurrunt multa arcana: præsertim circa officia & ministeria armorum. Nefas etiam fuit, in palatium Imp. gladium inferre, nisi permissu ac voluntate eius. Vide *Bulengerum de Imper. Rom.* 2,6. Pertinet huc præcipue *l.VI.*

Cod. vt armorum vsus inscio Principe interdictus sit. Ad recognitionem huius juris (vt loquuntur) victis arma adimebantur. *Tac. 4. H. 64, 3.*

Jus muniendi etiam huc pertinet. de quo locus *Tacit. 5. H. 12, 3.* Hinc etiam municipia, sub ditione Romana, nec muros reficere, nec aliquid eis coniungere aut superponere poterant. Quæritur quidem: an non cuique liceat sua prædia ædesque munire? Prolixe id tractat *Limnæus I. P. IV, 8. à §. 215. per seqq.* Castella, arces, à Principibus ipsis, vt compedes seruitutis interdum extructa: interdum subditis permissa. Disputant ea de re *Barclai. 3. Argenid. & Machiauellus in Principe suo cap. 20.* Adde *Bodin. 5. de Rep. 5.*

Retuleris huc etiam jus torneamentorum; quod in manu maiestatis. Vetera exempla ap. *Curt. 5, 2. & Nepot. Agesil. 3.* de recentioribus vide *Limn. I. P. VI, 5.*

Pacis jure comprehenduntur etiam fœdera (quæ alii ad bellum referunt; quia sc. belli pacisque jus quasi in vnum coalescit) induciæ, &c. Hæc ad maiestatem itidem pertinent. Hinc anxia diligentia examinantur instrumenta Plenipotentiariorum, an vera plenaque potestas comissa tractatoribus. &c.

II.
De administratione huius juris belli pacisque.

Hic occurrit 1. *Deliberatio præuia.* In consultationem enim vel maxime talia deducuntur,

cuntur, quod ex loco Taciti præſcripto appa-ret: Et *Ariſtotele, in Rhetor.*

2. *Regula adminiſtrationis*, eſt in jure & vti-litate publicâ, quærenda. Hinc de bello le-gitime ſuſcipiendo, gerendo, finiendo, toti commentarii, præſertim *Grotianus*. Intellige jus cum temperamento æquitatis, quam di-uinæ humanæque litteræ ſuppeditant: Vti-litatem publicam, veram, non apparentem; eamque cum honeſtate publica coniunctam.

3. *Formula executionis*. Quæ variat pro di-uerſ. Rebuſpubl. modo laxior, modo adſtri-ctior: modo cum communicatione juris, modo citra præiudicium ſummæ poteſtatis. Dictaturæ militares. Impedimenta ducum, nimis aſtrictorum legibus ex *Liu.9,18*.

Hæc inter ſe confuſa, & præſertim cum ipſo jure, multum perplexitatis in hanc ma-teriam intulerunt.

Q. de bellis & armis ſubditorum in alium locum reſeruatur.

Interim id monemus. Adminiſtrationem huius juris militaris, per membra demonſtra-ta, in commentariis militaribus, in legibus militaribus, in Syſtematibus Politicis abundè reperiri.

DISSERTATIO VI.

De Federibus & Pactio-nibus.

HAnc materiam integro opere tractauit Wahremundus de Ehrenberg, & Leich-terus

Imaginem federis vide ap. *Tac. 12, A. 47.*

terus von Bündnuſſen. E ceteris diligentius hic verſati ſunt *Bodinus de Rep. V, 6.* & *H.Grot. I.B. 2, 15.*

Fedus & pax ſæpe vocabulo permutantur. vide diuiſiones Bodini.

Sponſiones quid à federe differant, & in quantum obligent: item

Quotuplicia federa, quæque eorum diſcrimina, accurate Grotius tractat.

Cautiones circa federa exemplis & rationibus *Bodinus* demonſtrat.

Religionem & fidem federum idem notabiliter commendat, ne de aliis nunc dicamus.

Quæſtionem: An federa cum his, qui alieni ſint à vera religione, inire liceat? tractat *Grotius* 2, 15, 8. *& ſeqq.* itemque cum ipſo Turca. vide auctores nobis laudatos ad 2. *Hiſt. Tac. cap.* 11. *p.* 106. Adde *Gerhard. loc. de magiſtrat. polit. cap.6. ſect.*4. Fuit illa quæſtio nuperis temporibus agitata inter Gallos & Hiſpanos, ſicut ex Armacani Marte Gallico & vindiciis ei oppoſitis liquet. Adde *Act. Publ. Lundorp. tom.1. lib.*10. *cap.*8. vbi de Palatini & Confeſederatorum conſiliis, quaſi Turcam in auxilium excire agitauerint, diſputatur.

De federibus paſſagiorum 1. an ſint præcepta? 2. an ſint conſulta? quæritur. vide *Grot.* 2, 15, 12. & Anti-Turc. Reuſneri.

Pontificii odioſe tractant hanc materiam, & ex ratione ſtatus Papalis. vnde Pontificibus ipſis Federum ſanctiſſima nomina ludus & occaſio fallendi plerumque fuere.

De

De induciis (quarum primus auctor ap. paganos Lycaon fertur) iterum *Grot. I. B. 3, 21.* Induciarum tamen titulo, pax constituta aliquando. Vt inter Henr. VII. Angl. & Jacob. Scot. Reges apud *Bacon. Tacito 3. H. 81. belli commerciis* comprehenduntur.

Obseruationes in federibus quædam e. g. sunt propositæ. 1. Amicitia eius, cum quo fedus initur, quousque possit consensione animorum coalescere, resp. nationis, religionis, morum, regiminis siue πολιτείας, aliarum amicitiarum &c. 2. Amicitia confederationis, qua sit ratione status firmata, siue quo Vtilitatis vinculo cohæreat. vix est enim, vt aliquid à federato speres, vbi eius vtilitas cesset, & tua tantum res agitur. Quo nomine Veneti male audiunt; imo ipsi gloriantur hoc proposito. 3. Secretiora & concurrentia proposita confederati perspicaci oculo prouidere oportet, an si obtineat ea, tibi nocere possint, & quatenus. 4. Temporis ratiocinatio requiritur circumspecta. Tempus enim mutat vtilitates humanas, & transponit. hîc cauendum, ne dicas; non putâram. Mature speculare, quæ te fortuna maneat, ex federati tui successu, incremento, mutata voluntate. Fidendum hic (sano sensu) amico, sed tanquam osuro. 5. Executio federis quam ex pacto formulam accipiat, multum interest. Nihil firmum spera, vbi, qui pares jure sunt, partim imperant, partim parent; aut vbi in exequendis suis propositis altera pars nimis astricta est, cogiturque alteram

Vid. Act. Publ. Lundorp. tom. I. lib. 1. cap. 15. judicium cuiusdam Anonymi de confederatione Vnionis Germanica cum Belgis.

respicere. Firmiora sunt federa, vbi federati in communem aliquem scopum, sed suo quisque arbitrio auspicioque contendunt.

6. Loco plurium obseruationum potest esse Fedus huius sæculi initio, nomine Vnionis initum aduersus Pontificios & Ligistas. Infelix fuit illud fedus, & successu caruit, fœdeque dissiluit ille contextus. Caussæ præcipuæ I. Æmulatio & diffidentia Confederatorum, eaque 1. partim ex diuersis regulis status, quibus singuli Status in Imper. Germanico minime iisdem vtuntur: 2. partim ex certamine & momentis præcedentiæ vel manifestæ vel occultæ: 3. partim ex caussa religionis, quæ animorum contesserationem non parum impedit. II. Ciuitatum & Principum dissociabile votum. quo factum est, vt Ciuitates inuitæ accederent partibus, earumque citò pertæsæ essent. III. Administratio consiliorum corrupta, partim affectatione Directionis, ex vna parte; partim dispersione Correspondentium siue Vnitorum, ex altera parte. Legantur, quæ de Consilio Vnionis siue Senatorio consessu habentur *Act. Publ. Lundorp.* I,1,1. IV. Pecuniæ administratio, nec æqualiter, nec diligenter satis prouisa; tum non constanter & facile expedita. V. Executio, neque in summa rerum, neque in ministeriis variis, personis, quales requirebantur, nixa. Quod tamen, vt fieret, non imprudenter Belgici Status monuerant. VI. Proposita forte concurrentia nimis vasta, & modum ac limites federis supergressa. de

qui-

quibus Deus nouit. Concurrisse autem quædam talia, ne homines quidem, gnari historiæ & actorum, ignorant. VII. Securitas, Elatio, Præfidentia. VIII. Adeoque Diuini præsidii, quo solo vinculo tenentur federa, absentia. IX. Vnde nata Dissociatio Vnionis, non effectum modo omnem Vnioni ademtura, sed pœnam eiusdem cumulatim allatura.

De Pacis pactionibus egimus *annot. 5. ad cap.10. lib.1. A. Tac.* vbi *imago Pacis* siue pax Misenensis examinatur. & *ad 2. H.37. &c.* vbi *Impedimenta pacis* considerantur. De Amnestia quoque Pacis fulcro peculiari dissertatione ap. *Vellei.*

Obseruationes nonnullas practicas infra trademus, vbi de Pace Religionis, quam vocant, agetur.

DISSERTATIO VII.
De Vectigalibus.
ad Digressionem Taciti XIII. Annal. 50. *&* 51.

DIrecte publica, quæ circa actiones versantur, in jure maiestatis, hactenus attigimus: nunc quæ circa *Res* versantur, occurrunt. In quibus primo *Vectigalia*, quæ inter ea, quibus Romana continentur, *Tacitus* memorat 13. *A.* 49. 1. *A.*11,7. 4. *A.*6,5.

Juris huius *origo* facile se prodit, in illo Taciti, cum vectigalia nominantur *fructus* qui-

quibus resp. sustinetur, & *sine quibus imperium dissolui* necesse est: Quæ autem ad ciuitatis finem faciunt & conseruationem, siue sine quibus finis ille obtineri nequit, ea potest maiestas suo jure imperare, cum quilibet hac lege in ciuitatem venisse, & in ea viuere præsumendus sit, vt in se vel muneris vel oneris nomine recipiat, quæ ad ciuitatis finem faciunt. Hinc in S. etiam litteris inter debita maiestati referuntur tributa & vectigalia, præsertim vide *Selden. de I.N. & G. VI*, 17. & 18. Matt. 22, 21. Rom. 13, 6. & 7. Alii originem huius juris ex dominio eminenti arcessunt. vide *Arnis. de I.M.* 3, 2.

Licet alias varie distinguantur nomina *vectigalium, tributorum, collectarum, exactionum*, &c. hic omnia comprehendimus, quæ ex bonis subditorum exiguntur, quæ pœnæ nomine auferuntur, quæ pro viis publicis, pontibus, portubus, itemque quæ ad vsus publicos, munerum præstationes, angariæque postulantur. Applicentur huc verba *Tac.* 13. *A.* 50, 1. & 2. *It.* 51, 1.

Quantum huius juris (vt in talibus cum hodiernis politicis loquamur) est in verbis *Taciti cap.* 50. 3. Metiuntur id ex necessitate publica (vide *Arnis. de jure maiest.* 3, 2.) quam tamen nimis abrupte videntur definire. Huius loci sunt illæ quæstiones:

I. An inuitis subditis, aut omnino iis, quibus imponuntur, onera vectigalium imponi possint? Negat de subditis nimis indistincte *Cominaeus* ab *Arnisæo* in hac materia lau-

laudatus, & alibi à nobis. Respiciendum enim hic ad jura ciuium cujusque loci, & ad formam regiminis definitam magis aut liberam. De Gallia disputat *Cominæus* eo ferè sensu, quo *Cl. Sesellius in libro de Repub. Gallica.* Historia sane Gallica multas grauesq; de hac re consultationes habet: sed Reges nunquam passi sunt clauam de manu extorqueri. Etiam non subditis pro transitu, quamuis inuitis, imponi posse, dubio caret. Vide *Grotium lib.2. cap.2.* §.14. & 2,3,14. Adde apud *Camden.* lites hac de re inter Anglos & Gallos anno 1600. inter Danos & Anglos Anno 1598. 1600. 1602. Vbi Angli conquerebantur, liberam in Moscouiam per Septentrionalem Oceanum nauigationem atque piscationem ad litora atque Insulas eiusdem negari, atque vectigalia multiplicia in freto Oresundo, idque tantum pro transitu, exigi. Legatur tota historia in varias quæstiones diuisa, vbi etiam de mari libero. Qua de re noti sunt libri contrarios titulos præferentes *Grotij* & *Seldeni*.

II. An liceat colligere ærarium siue thesaurum, in vsus Reipub. & *vt subsidium regno paretur*, sicut loquitur *Tacitus XII. annal.*7. Hic *Arnis.* iterum videtur nimis abscisse agere. Propositum eius & aliorum, qui hanc quæstionem in angustias redigunt, scilicet vt cohibeantur Principes intra terminos æquitatis: nec solito iis more concessos limites transgrediantur.

Determinatio *quanti* difficilis nec semper in aperto poni potest, quippe arcanis imperii

innexa & coniuncta. Peregrinis imponi posse & subditis, satis constat. Etiam Clericis, quod Pontificii negant. vide *Arnis. de subi. & exemt. Cleric. cap.* *præsertim* 4. & *Tholosan. polit. lib.*3. *cap.*7. Hinc ipsi Principes Pontificii, quoties pene lubet, suo jure vtuntur, specie quidem concessionis Papalis atque voluntariæ collationis, sed reuera suo jure vsuri & absque illo titulo.

Administratio huius juris totam de ærario materiam complectitur, de qua satis multa scripserunt Obrechtus, (qui scripserat vastum opus de ærario multis authorum citationibus plenum; Sed quia id in Principum gratiam edidit, omisit illas, ac nude rem proposuit. Postea Latherus nil præter ea, quæ Obrechtus scripserat, protulit, nisi quod plura exempla ac authorum loca adiecit.) Herm. Latherus, & ingentia nuper edita volumina. Vide inprimis eruditam tractationem *Bodini de Rep. lib.*6. *cap.*2. De ærario *Lipsius* 4. *polit. cap.*2. De tributis *Besoldus Politic. Mai. lib.*2. *cap.*4. *Gregorij* autem *Tholosani* totus liber 3. huc pertinet. *Taciti* digressio suppeditat formulam administrationis. 1. in proportione redituum eiusmodi ac Reipub. siue vtilitatis publicæ, *cap.*50. §.3. 2. Erogationum distinctione in necessitates ac largitiones. (Confer 1. *annal. cap.*7.) in quibus multum Politicæ rationis. 3. Societates vectigalium exactionesque publica authoritate & Maiestatis arbitrio ordinari debent, itemque latis legibus & constitutionibus promulgari, judiciisque muniri. 4. Compen-

pendia & illicitos quæstus publicanorum aliorumque ministrorum & exactorum recidi par est: Quo etiam pertinent calumniæ fiscales, Plinio reprehensæ (vide *Dissert. nostram ad Plinij Paneg. de calumn. fiscal.*) aliisque. 5. Moderanda quæ exiguntur pro vsu rerum præsentium & æquitate. 6. Immunitates certis personis ex ratione speciali indulgentur, vt hic militibus. Qua de re alibi. 7. immunitates tamen non improuide indulgeri fas est, neque citra omnem exceptionem. 8. Neque difficultas rei obscura esse potest ex iis, quæ habentur *cap. 51, 3.* 9. Vnde etiam prouidentia & consilia factu vtilia potius quam dictu speciosa commendantur in hoc argumento, *cap. 50, 2.*

DISSERTATIO VIII.

Digressio *De Jure monetæ, mensurarum &c.*

AD publica, circa quæ Maiestas per se versatur, partim actiones, partim res pertinere, dictum est. In rebus vectigalia nominauimus. Huc pertinet etiam jus monetæ, siue circa rem nummariam; quanquam ad legislationem etiam referri possit, quod quodammodo agnouit *Arnis. de jure Maiest. lib. 2. cap. 7. §. 2.* vbi hanc materiam fuse tractat: Præsertim vero *Bodinus lib. 10.* Certe

ad jus Maiestatis propriè dictum nihil aliud pertinet, quam ἡ νομοθεσία τοῦ νομίσματος, siue constitutio de re nummariâ & monetis. Cetera non sunt juris Maiestatici, sed consilii politici & tractationis ciuilis. Obiter hic commendatur *Jac. Lampadij differt. de nat. numm. Hornei. Ethic. lib.2. cap.13,28.seqq. Joachimus Camer. ad V. Ethic. Arist.5.* & eiusdem Philosophi interpretes ad 1. *polit.6.* præsertim *Salmasius de vsuris cap.15.*

Sic etiam jus mensuræ, ponderum, vlnarum, itemque nundinarum, linguæ dandæ (quæ inter regalia & jura Maiestatis minora numerari solent) nihil sunt aliud, quam pars legislationis circa res, quarum cura Reipub. αὐτάρκεια sustentatur. Cætera regalia, vt loquuntur, minora, fluunt ex jure dominii eminentis. Quod dominium nescio quo pacto refertur à nonnullis ad minora regalia, cum reuera splendor Maiestatis in eo maximus sit, ipsamque interiorem vim & quasi essentiam Maiestatis respiciat. Explicationem huius juris summariam habes apud *Arnis. de jure Maiest. lib.3. cap.1.* Sed particularium quæstionum explicatio latissime fusa, ex JCtis, politicis (quorum etiam magnam partem nominat) peti debet, præsertim etiam ex *Grotio de jure belli.*

Quæstio circa distinctionem dominiorum sæpe intricat magis materiam hanc, quam explicat. Tollentur multæ difficultates, si *dominium eminens* recte fuerit definitum, nimirum quod sit potestas Maiestatis in ciues & res ciuium

uium, boni communis cauſa; nam hoc ſemper addendum eſt. Atque hinc repeti poteſt jus venationis, jus fodinarum metallicarum & jus viarum publicarum, fluminum, portuum, quatenus ea, quæ ex ſua natura communia erant, arbitrio Principis vindicantur. Quanquam duo priora quidem rurſus ad leg. poteſtatem referri poſſint: ſequentia vectigalibus contineri videantur, ſicut diximus; Sicut jus in bona quæ indignis auferuntur, quod etiam judicia reſpicit. Neque enim recte argumentantur, qui dicunt: Hoc inter bona publica eſt; E. Caput Maieſtatis peculiare conſtituit. Sic nec illa ratio incaute accipienda eſt, cum dicitur, multa in Repub. propter ſummam neceſſitatem & maximam dignitatem Maieſtati reſeruata, nouum conſtituere caput Maieſtatis. Talia enim partim jure dominii eminentis, partim poteſtate leges ferendi circa publica comprehenduntur. Sic Nobilitas, Academiæ, Priuilegia, Beneficia, Honores, &c. rectiſſime legibus accenſentur; vt non opus ſit, in infinitum multiplicare jura Maieſtatis. Progredimur ad verè talia, vbi ſequuntur ea, quæ Maieſtas per alios expedit.

DISSER-

DISSERTATIO IX.

De Magistratibus & Comitiis.

Ad locum Taciti I. *Annal. cap.* 15. *&* 81.

IUs Magistratuum constituendorum alii à jure Comitiorum diuersum faciunt; Alii pro vno eodemque habent. Vide *Arnis. de I. M. lib.* 2. *cap.* 4. Quidam etiam extremam prouocationem coniungunt, jureque Magistratuum contineri statuunt. Alii distinctum id caput ponunt.

Qui comitia separant à Magistratibus, præsertim accipiunt de conuentu consilii de Rep. capiendi ergo constituto. Sed veteres omnia illa, quæ prædiximus, capita ad facultatem βουλευτικὴν siue consultatricem ita referebant, vt consultatio ad modum potius juris administrandi, quam ad juris constitutionem pertineret. Atque sic comitiorum vis fere ad munia Senatus congrueret. Ita deliberatur de legibus ferendis, de vectigalibus imponendis, de bello, federibus, pace &c. Modus autem & formula deliberandi est in manu Maiestatis, siue illa velit comitiis vti, siue alia ratione.

Quia autem potestas Comitiorum & vis, consistit non tantum in deliberando, sed etiam in statuendo, quidquid è Republica videtur,

tur, itaque in Democratia coincidit fere cum ipso jure Maiestatis vniuerse sumto. In aliis formis itidem ad Maiestatem exercendam in juribus prædictis pertinet, sed modum potius, quam jus respicit. &c.

Romani scriptores plerumque de *creatione magistratuum* capiunt, quod vel *Taciti* loca præscripta ostendunt.

Igitur jus maiestatis est, creare Magistratus maiores & minores, creatis potestatem dare exercendæ jurisdictionis, rerumque publicarum administrandarum, formula vel astrictiore, vel liberiore, cum vel sine prouocatione, ita vt semper tamen creantis mandantisque non tantum sit originaliter, sed etiam maneat subiectiue omnis magistratuum potestas.

Maiestatis est hoc jus, siue conferimus Magistratuum officia cum legibus, & hos quasi executores legum consideramus; siue belli pacisque, sacrorum & profanorum administrationem respicimus. cuius Potestas Principi permissa, siue per se velit, siue per alios agere. Fluit sc. ex ipsa vi Imperii, summique in omnia arbitrii. Modus quidem creandi magistratus est varius; sed potestas ipsa nunquam priuatiue aliis committere creationem magistratuum præsumenda est, nisi velit seipsam deminuere, sicut in mutationib. Rerump. vsu fieri videmus.

Extrema prouocatio etiam in *capite Judiciorum* tractari potest. qua de re infra. Nunc ad l. *Taciti* 1. *A.* 15. & 81.

E quo intelligimus 1. quæ ad naturam & vim comitiorum in creandis magiſtratibus pertinent. 2. quæ ad ſchemata artificioſa ſiue artes politicas huius argumenti ſpectant.

Membr. I.

De Natura & vi Comitiorum.

Hic primo diſcimus Comitia ad Magiſtratuum creationem pertinere. confer 1.*A*.14,4. & 1.*A*.15,2. & 1.*A*.81,1. &c.

2. Præſertim maiorum. De prætoribus & conſulib. hîc ſermo. Non excluſis minoribus: ſed in illis ſplendidior eſt maieſtatis occupatio.

3. Jus Comitiorum ſiue creandorum magiſtratuum eſſe jus maieſtatis. *Jus populi* hîc dicitur, reſp. ad Democratiam priſtinam. *Libertatis* quoque *imaginem* huc referre debemus i. e. ſpeciem vanam maieſtatis & jurium eius in populo, quod ex oppoſitione *ſeruitij* patet.

4. Adeoque notatur, *penes quem fuerit hoc jus*, ſc. ab initio penes populum, cum Democratia polleret; deinde ad Principem tranſlatum eſſe, cum ipſis juribus magiſtratuum. 1. *A*. 2, 2.

5. Modus tamen vſurpandi juris ſub Principibus diuerſus, adhibita Senatus, itemque populi opera, ſed vt vis ipſa penes Principem eſſet.

6. Quales magiſtratus deligendi, ſc. qui *genere, vita, moribus, & meritis probati*. Mos recogni-

cognitionis, examinisque candidatorum. 1.*A.* 81,2.*&* 3. Mos Galliarum improbatus, apud quos emuntur Magistratus.

7. Vitia comitiorum. *ambitus in prensando, & largiendo.* 1.*A.*15,2. & 81,3. Hinc quæstio: An satius sit, judicio Principis deligi magistratus, aut suffragiis multorum? Vide *Dion.* 52. *p.*546.

8. Igitur Maiestas diligenter & seuere in hoc negotio versari debet. Tiberius *curam suam* hic pollicetur.

MEMBR. II.

De Schematibus artificiosis, siue Artibus Politicis, circa Comitia & Magistratuum creationem.

Horum quædam pertinent ad propositum, hoc jus ad se trahendi: quædam ad consilium exercendi huius juris.

1. Vindicarunt sibi hoc jus Cæsares, ex ratione status Monarchici instituendi. primum *Julius*, de quo *Sueton.* 41. deinde *Augustus*, de quo *Idem Aug.*40. ex consilio Mœcenatis ap. *Dion.*52. qui suaserat Magistratus in posterum à Principe constitui debere, eorumque potestatem minuendam, siue potius in ipsum Principem transferendam esse. Hic Tiberius idem propositum persequitur.

2. Versati sunt in hoc opere, paulatim, callide, occulte ac dissimulanter: ex ratione noui status.

3. Color & prætextus, è confusione & turba ambituque comitiorum. l.Tac. (sicut aliàs

etiam

etiam in judiciis 1.*A.75,1.*) itemque ex vitiis, & auaritia magistratuum. 1.*A.2,4.*

1. In exercendo jure itidem dissimulanter versati sunt sub imagine antiqui moris statusque: tum quoad electionem magistratuum (notentur hic *studia tribuum* cum *arbitrio Principis* comparata) tum quoad potestatem mandatam: vmbra dignitatis manebat, vi ademta, è consilio Mœcenat. ap. *Dion. 52. p. 547.* conf. loc. *Dion. 53. p. 585.*

2. Hæc dissimulatio, varietate & nouis coloribus dissimulata & implicita à Tiberio, de quo *fine 1. Annal.* πολυλογία, ambigua verba, inania, simulacra.

3. Adhibebantur etiam speciosæ orationes, de quib. 1.A.81,1. Dictum hac occasione de stilo aulico in materia magistratuum: & de *Cassiodori Variis.*

4. Mandati magistratus, verbo, non re. 1.A.80.

Scopus harum artium politicarum est vel *probabilis*, & ad Auctoritatem prudentiamque imperandi referendus; vel *Tyrannicus*. Exemplo Tiberii res ostensa. Adde *Clapmar. 6, 7.*

Dictum aliquid obiter de *Magistratuum numero.* 2. De priuata eorum sorte, & obsequio maiestati debito, ad quam passiue se habent. adde *Bodin. 3, 4.* 3. De distinctione eorum quæ lege, & quæ jure magistratus competere dicuntur. 4. De maioribus & minoribus, adeoque de multis magistratuum inter ipsos imperiis & officiis, vid. *Bodin. Polit. 3, 6.* sequitur

DISSER-

DISSERTATIO X.
De Jurisdictione & Judiciis.

Ad loc. Taciti XII. Annal. 60. per tot.

ORdo & connexio. potuisset etiam, ante ea, quæ Maiestas per alios expedit, de judiciis agi. Sed post magistratus itidem aptus locus. Certe juris dicendi caussa, inter alia, Magistratus constituuntur. Dictum hac occasione de quæstione: An Judex sit Magistratus? Quam negat etiam *Jacob. Gutherius de off. dom. Aug. I,12.* Sane, sicut non idem sunt Judex & Magistratus; ita multi Judices Magistratus dici possunt: & Magistratus multi juris dicendi caussa creantur. Hinc ap. *Liu. 3,55.* consul, judex; itemque prætor, judex appellatur. Aristoteles quoque à judicandi potestate dicendos Magistratus quosdam notat 4. *polit. 15. Cic. 1. de ll. Omnes magistratus auspicium judiciumq; habento.* vid. *Bodin. lib. 3. cap. 3.*

Judiciorum nomine hic publica priuataq; judicia, ordinaria & extraordinaria complectimur, denique totam jurisdictionem atque potestatem administrandæ justitiæ. Comprehendit tria: 1. facti cognitionem. 2. Jurisdictionem specialiter sic dictam, quando de facto cognito jus statuitur i. e. definitur jus, seu qualitas justitiæ vel iniustitiæ facti. 3. Imperium i. e. executionem eius, quod statueris.

Versatur jurisdictio circa res omnes, in quibus jus constitutum est: Criminales pariter ac ciuiles, distinguendis controuersiis, aut puniendis maleficiis. huc enim omnia spectant. Vide omnino neruose disputantem *Jacob. Lampad. de constitut. Imp. Rom. Germ. cap. 15.* vbi etiam de discrimine meri mixtique imperii.

Est autem jurisdictio suprema, i.e. omnis alterius jurisdictionis fons & origo, Maiestati propria. Inde Maiestatis est, cognoscere, statuere, exequi, vel per se, vel per alios, Magistratus scilicet & judices: ita, vt, cum Maiestas mandat jurisdictionem, non ipsum jus & possessionem jurisdictionis à se abdicet, sed tantum administrationem & exercitium eius alteri conferat: Et is, cum mandata est jurisdictio, dicitur quidem habere jurisdictionem, non suo tamen jure, sed alieno beneficio, dicitur jurisdictione vti, sed aliena &c. Maiestas ipsa non modo æqualem, sed superiorem jurisdictionem retinet, nec tantum per præuentionem cum his conuenit, verum lites cœptas auocat, concessam jurisdictionem reuocat &c. Non satis ergo distinguit subiectum proximum à communi, in quod per participationem influit jurisdictio, *Bodinus*, cum 1. *Polit.* 10. negat, jurisdictionem maiestatis propriam esse. addit rationem, quia omnibus ferè magistratibus æque ac Principi congruit. Idem de magistratibus creandis statuit. Videatur omnino illa disputatio, cuius fundamenta tamen paulo post auctor ipse conuellit.

Certe

Certe ſicut conſtituendi juris poteſtas, ita etiam reddendi, Maieſtatis eſt. arctiſſima enim inter νομοθετικὴν & δικαστικὴν facultatem conſenſio. Sed ad l. Taciti,

In quo

I. Hiſtoria juriſdictionis Romanæ: Illuſtranda amplius, per ea, quæ habet ſummatim *Roſinus antiq. lib.9. Polletus hiſt. for. Rom. Gutherius de offic. dom. Aug. Bulenger. de Imperat. Rom.* 3,11. *de imperio Rom.*5,23. *& ſeqq.*

Summa: Olim Reges jus dicebant. vnde *Liu.* 1,41. *Seruium jura redditurum, obiturumq; alia Regis munia.* Loco regum præfectus vrbis Jus reddebat. *Tac. 6. A.* 11,1. In Libera Rep. conſules. *ibid.* (Huc refer Tribunos milit. coſ. præt. & Decemuiros conſulares) inde prætores, de quorum origine *Pomponius.* adde his *Tac.*12. *A.*68,2. Sequuntur leges & conuentiones de judicibus. vid. *Roſin. lib.* 8,21. *Anton. Auguſtin. de LL. & SC. p.*315. Cæſares cum ceteris juribus hoc in ſe traxere. h.l. *v.*1. 1.*A.*75,1. 2.*A.*35. *Suet. Jul.* 43. *Aug.*33. *Tib.*33. *&c.* Relicta tamen imagine, modo Senatui, modo equitibus. h.l.

II. Addendum aliquid eſt de prudentia & virtute Judiciaria. Ac de officio quidem Judicis elegans extat libellus *Philonis Judæi*, & inter recentiores, *Puteani.* ne de Politicis Scriptoribus & Syſtematibus eorum nunc dicam.

In cognoſcendo; Induſtria, labor, patientia commendatur. Eſt enim laborioſum maximè juris dicendi munus. vitandus ta-

men contemtus ex nimia patientia, quem incurrit Claudius ap. *Sueton.* 15.

In statuendo siue decernendo, æquitas atque justitiæ clementiæque mixtura obtinet, de qua *Tac.* 3. *A.* 50, 4. *Agric.* 19, 4. *Germ.* 12, 2. Explicatus hac occasione duplex locus *Sueton. in Claud.* 14. (collatus cum *Symmachi* loco X. ep. 52. Facit plerumque ratio & fortuna caussarum, vt in controuersiis alter æquitate, alter jure nitatur. Et ep. 63. Alia est conditio magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententiæ si sint legibus mitiores: alia Dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri juris inflectere. ad q. l. *Juretus* memorabilia quædam annotauit) & cap. 15. de discrimine cognitionis & ordinarii juris. ad q. l. *Gutherius de offic. dom. Aug.* 1, 2. *Hadrianus Turnebus* ordinarii juris esse existimat, quæ per Judices à Prætore datos juris ordine deciduntur, quod verum est: Cognitionis autem, quæ extra juris ordinem ad Cæs. deferuntur, aut ab ipso Magistratu cognoscuntur, qualia fere sunt, ait, quæ ad Rempub. spectant, aut ad exemplum trahuntur: quod non probo. Nec enim cognitiones ad remp. aut exemplum pertinent semper: etenim vt cognitio vel ratio Judicis dati est facti: sic cognitio Magistratus juris est, quæ ad omnes quæstiones juris extenditur, quæ sunt innumeræ. plura enim sunt negotia, quam vocabula. Locus est parallelus in *Plin. ep.* 3, 9.

In exequendo constantia & grauitas, ne fiat,

fiat, quod in Claudio *Sueton.* 29. refertur. suspensio tamen executionis est in manu maiestatis. de qua re vid. *Arnis. I. M. cap.* 3. §. 6. *& seq.*

In his omnibus, Maturatio. de qua alibi.

Ceteræ quæstiones passim apud Politicos obuiæ. Exempli loco in hoc argumento commendari meretur etiam *Areopagiticum Judicium, Meursio* descriptum. Addendi etiam commentatores *Exod.*18.*v.*14. *& seqq.*

De Judiciis Germanicis extat nobilis Taciti annotatio, *Germ.*12. Adde *Cl. Conringij disp. de Judiciis Germaniæ.*

DISSERTATIO XI.

De Legatis.

Ad loc. Tac. I. *A.* 42, 3.

MAiestas aliqua expedit per Legatos. Hinc jus legationis mittendæ & audiendæ ad Maiestatem pertinet. Legationum jus quatenus huc spectat, consistit in legatione mandanda, instruenda, itemque recipienda, & audienda. Modus interim eligendi, destinandique legatos, interdum Senatui, aut Magistratibus permittitur, sed in his non est jus ipsum legationis, tanquam in subiecto proprio. Hinc est, vt legati proprie non sint, nisi qui mittuntur à maiestatem habentibus, ad habentes maiestatem. Nam legati prouinciales, municipales, colonici, aut quic-

quid præterea significatione vocis varia continetur, non sunt huius loci. *Grot. de I.B.* 2,18. 2. vbi etiam toto capite de leg. jure tractat. *Arnis. I.M.* 2,5,16.

Ad maiestatem referri, dictum est: de belli enim pacisque negotiis ad maiestatem spectantibus, & in eius arbitrio positis, mandata nisi à maiestate exire non possunt: sed nec valide aliquid agi potest in talibus, nisi arbitrio maiestatis. Vnde, sponsiones non obligare maiestatèm, alibi dictum est. Ergo quidam connectunt hoc jus cum jure belli & pacis. Apparebit res amplius, ex legatorum sanctimonia, siue jure legationibus competente, eiusque juris effectibus.

Locus Taciti.

Tacitus noster vocat *jus hostium, sacra legationis, fas gentium.* Vbi notandum

1. De qua legatione agatur. Sermo quidem hîc est de legatis à Principe ad seditiosos missis: adeoque non de legatione proprie ac vere sic dicta. Nam sicut subditi non mittunt legatos proprie ad Principem (legationis jus ciui non est comparatum, sed externo ap. *Liu.*6,17.) ita nec Princeps ad subditos dicitur legatos mittere, nisi populariter & laxe loquendo. Apud *Dion.*45. *Cicero* dissuadet, legatos ad Antonium mittendos, ratione videlicet pragmatica, quam notauimus ad *Vellei.* 2,7,2. Adde *Cic. Philipp.*12.

2. Argumenti vis tamen illa est: Si legatus externis etiam est venerabilis, quanto

magis

magis Principis legatio ad ciues & milites venerabilis debet esse, & inuiolabilis.

3. Legationis autem jura, i.e. quibus legati muniti ornatique sunt, vocat *jus hostium, sacra legationis, fas gentium.* In quibus appellationibus & distinctio est notabilis, & connexio siue cognatio memorabilis: quatenus vel amplitudo, vel sanctitas, vel dignitas huius juris in vnam vim coalescit.

4. Jus & fas vocat, vt, diuino humanoque jure munitos intelligamus legatos.

5. Argumento est, quod etiam inter hostes seruatur. Scil., boni Scriptores juris amplitudinem sanctitatemque, adeoque inuictam obligationem hoc tanquam solenni argumento probare solent. Tale est in *Tacito* 1.A.22,3. *ne hostes quidem sepulturam inuident. Jus hostium.*

6. *Fas gentium.* Nam jus gentium voluntarium induxit jus legationum. vid. *Grot. I.B.* 2,18.1.

7. Vbi diligenter tamen notandum, hinc argumenta interdum duci ad *jus naturæ,* cui jus gentium hac in parte quidem aliquid superaddidit, sed tamen rationi naturali valde cognatum innexumque; & ad *jus diuinum,* quatenus etiam alias *jura gentium Diis adscribuntur auctoribus,* vt fas Deum dicatur, quod gentibus consensu placuit. Scilicet regressio huius argumenti ea est, quam dixi; à jure gentium, ad jus naturæ, quod jam est jus & lex Dei.

8. *Sacra legationis* ergo nihil aliud sunt,

quam *sanctissima legationum jura*; sicut *sacra regni* 2.A.65,3. *Sanctitas* est *primo* in ipso jure, ἱερόν τι νόμ☉. Sanctitas augetur *secundo*, quia de gentium jure sermo est. Sanctitas demonstratur *tertio* ex origine. sacra enim legationis oriuntur ex sacris regni; ex Maiestate, quæ sanctissima est. Refert legatus maiestatem mittentis, illiusque splendore illustratus, obscurari nec potest, nec debet. Legatio inscripta est charactere maiestatis, cuius sanctam apud omnes reuerentiam custodiri, postulat natura, jus hominum, Deus. Ipsa (*quarto*) legationis occupatio, & omne propositum, sanctitatem habent, sicut tetigimus obiter in dissert. de Ausp. Reg. cap. 2. §. 14.

9. Est autem hæc appellatio simul valde accommodata, ad exprimendum non tantum ea, quæ proprie juri legationum tribuuntur: sed etiam, quæ in consilio actus, in artibus mysteriisque politicis circa hanc materiam continentur.

Tractarunt hoc argumentum *Albericus Gentilis, de Legationibus*: *Carolus Paschalius, Kirchnerus, & Fridericus de Marselaër,* quorum comparatio vtilis esse potest iis, qui argumenti amplitudinem, tractationis perfectionem, variarum ἀποθέτων obseruationem & annotationem æstimant.

Simul influit in hoc argumentum, quicquid fere ad ceteros ministros Maiestatis & curatores negotiorum pertinet.

DISSER-

DISSERTATIO XII.

De Jure Maiestatis circa sacra.

Ad loc. Tac. 2. *A.* 85, 4.

QUi de Rep. scripserunt, omnes, sacrorum arbitrium inter præcipuas partes numerant supremæ potestatis, inquit *Hugo Grotius Apologetici cap.* 2.

Potest commodissime distribui hoc jus 1. in ea, quæ ad cultum pertinent. 2. quæ ad personas sacris destinatas. 3. quæ ad bona.

In iis quæ ad cultum & religionem pertinent, custodia primæ tabulæ à Theologis nostris commendata & explicata huc pertinet.

Huius loci sunt illæ quæstiones: I. *An omnino summæ potestatis imperium non ad profana tantum sed etiam ad sacra extendatur?* Affirmatiuam prolixe tractat *Grotius in commentario posthumo de Imperio summarum potestatum circa sacra cap.* 1. à naturæ vniuersalitate. à finis vniuersalitate. à testimonio S. lit. à consensu Christianorum veterum. à respectu ad beatitudinem æternam & felicitatem temporalem, vide *Cl. Conring. disputat. de Maiest. Ciu. auctorit. & off. circa sacra th.* 13. & 14. Statuunt quidem aliqui Fidem Christianam, in quantum aliquid superaddit religioni naturali, ad felicitatem huius vitæ obtinendam parum pertinere; eo quod tale bonum cultoribus eius non sit promissum, imo potius ærumnæ

& damna denunciata. Sed clara sunt dicta 1.Tim. 4, 8. *Pietas ad omnia vtilis est, & habet promissionem huius & futuræ vitæ.* Matth.6,33: *Quærite primum regnum Dei & justitiam &c. & ista* (temporalia sc.) *omnia adjicientur vobis.* Ab hac doctrinæ simplicitate non nisi cum magno periculo discesseris. Nam quod de æternis præmiis dicitur, non exclusiue resp. omnium temporalium accipi debet: sed comparatiue. Ærumnæ etiam sunt ex iis, quæ accidunt cultoribus veræ religionis furore diaboli, conspiratione imperiorum, ob fines non spiritualiter tantum sed temporaliter etiam salutares. Adde *Lamp. Remp.Rom.Germ.* cap.1. §.19.

II. Quia difficile est quodammodo, Maiestati certos limites figere in cultu numinis moderando, per singula eundum. Quæritur ergo amplius: *An Maiestas Ciuilis ipsa fidei præcepta instituere, an tantum conseruare possit?* Affirmatur posterius: si tamen simul intelligatur, materiam legislationis ciuilis etiam ista præcepta fidei fieri, quatenus non minus ac lex naturæ à maiestate ciuili repeti, subditis commendari, præmiis & pœnis cura aut neglectio eorum inculcari potest.

III. *An Maiestas aliquid imperare possit diuino juri repugnans; aut si quid tale imperet, ad quod obligetur subditus?* Ad prius Resp. neg. In posteriori, subditus vere talis, ne magistratibus quidem exceptis (nisi formula Reipub. aliquid reseruauerit iis, aut reliquerit in talibus) obligatur non quidem ad agendum, sed

ne

ne vi resistat. vid. *Grot. de Imp. S. P. circa sacra cap.* 3.

IV. Quia Maiestas Ciuilis prohibere debet, falsa & blasphema dogmata spargi, adeoque animorum seductores coërcere, quæritur: An tolerari diuersa religio in Repub. possit? Vbi nominatim de Judæis, Turcis, Anabaptistis.

V. An quisquam ad Religionem, etiam rectam, vi cogi possit? connexa est quæstio: An cuique libertas sentiendi quæ velit in religione concedenda? vid. *Burchard.* Cancellarium quendam Coloniensem, tractatu *de Autonomia.*

VI. An & quomodo male sentientes in religione puniri possint ac debeant à maiestate? quo etiam pertinet quæstio de hæreticis capitali supplicio afficiendis. vid. *Just. Meieri quæst. capital.*

De quibus omnibus præsertim videndus est *Gerhardus, Theologorum Orthodoxorum magnum quondam lumen, in loc. de Magistratu Politico.* vbi etiam quædam Lipsiana dogmata (4. *polit.* 2,3,4.) refutat.

VII. An externi cultus conseruatio tantum, an etiam institutio pertineat ad Maiestatem? Affirmatur posterius, si omnia fiant decenter, & ordine.

VIII. An cum Imperio & vi Imperii etiam functionem Ecclesiasticam sibi Potestas ciuilis possit sumere, adeoque aliquis simul Rex & Minister Ecclesiæ siue Pastor esse possit? Neg. De ceteris postea ex antithesi patebit.

In

In iis, quæ ad personas pertinent, quæritur 1. An ad maiestatem pertineat Ministrorum constitutio? de quo, cum quæstionibus connexis, præter laudatum antę *Gerhardum*, vide *Grot. comment. cap.* 10.

2. An Maiestas ciuilis habeat imperium in personas Ecclesiasticas? obligatiuum sc. & coactiuum.

3. An Maiestas possit celebrare & conuocare concilia, illaque moderari? De quibus, vt & similibus aliis vid. *Arnis. I.M. lib.* 2. *cap.* 6.

Idem etiam *Arnisæus* quæstiones tertii generis, de jure maiestatis in bona Ecclesiastica & Ecclesiasticorum, diligenter tractauit, *libro de subiectione & Exemtione Clericorum.* Adde *Tholosan.* 3. *polit.*

Ex his omnibus quæritur: quomodo jus Maiestatis possit subsistere circa sacra, saluo jure & auctoritate Ministerii Ecclesiastici, & an ejus quoque aliqua sit Jurisdictio, quibus denique terminis inclusum illud officium sit?

Pontificiorum doctrina in hoc genere iniuria est in jus Majestatis circa sacra. oppugnatur enim hoc jus, intus & extra. Sed Pontificiorum dogmata hæc fere sunt: 1. *Maiestatem nullam habere in rebus Ecclesiasticis potestatem, quam ut sit defensor Ecclesiæ & executor sententiæ illius.* 2. *Ad magistratum non pertinere curam veræ religionis, nisi ad præscriptum ministrorum ecclesiæ.* 3. *Potestatem maiestatis sese non extendere ad omnes partes officij ministrorum Ecclesiæ.* 4. *Magistratum non habere potestatem vocandi Pastores*

res seu ministros Ecclesiæ. 5. *Ad Magistratum non pertinere iudicium de Religione & controuersiis fidei & caussis Ecclesiasticis.* 6. *Magistratus circa res Ecclesiasticas non habere potestatem cum imperio coniunctam & coactionem in pastores.* 7. *Magistratus non esse, curam gerere, ne ministri Ecclesiæ disciplina Ecclesiastica abutantur, & alicui iniuriam faciant.* 8. *Magistratus non habere potestatem ferendi leges Ecclesiasticas.* 9. Contra, *Ecclesiasticos habere potestatem leges proprie sic dictas ferendi.* 10. *Pontificem habere absolutam potestatem & Monarchiam in omnibus rebus Ecclesiasticis.* 11. *Magistratum in rebus Ecclesiasticis proprie & absolute loquendo subiectum esse ministris Ecclesiæ.* 12. *Ministros Ecclesiæ contra ne aliquo modo quidem pendere à Magistratu in rebus Ecclesiasticis.* 13. Adduntquædam *de superiore loco personarum Ecclesiasticarum, præ Magistratu ciuili.* quæ illo quidem Pontificio sensu in iniuriam maiestatis tendunt.

Aduersus istas Pontificias hypotheses disputauit libello singulari *de Episcopatu Constantini M. Nicolaus Vedelius, Genevæ primum, deinde Franeckeræ Professor Caluinianus.* Sed expertus est,

Etiam *Caluinum & Bezam cum discipulis* in hac materia παπίζειν. Prodierunt enim tum *Guil. Apollonij* tractatus, de *Jure Maiestatis circa sacra*, oppositus Vedelio, & *Triglandij* libellus de potestate ciuili & Ecclesiastica, vbi itidem Vedelium impugnat.

Occasione grauiorum casuum, & quæstionum, ne in ipsa quidem Ecclesia orthodoxa de

defuerunt aliquando contentiones in hoc argumento.

Legantur, præter ſupra memorata, *Meiſneri tr. de Regim. Eccleſiaſt. Reinking. Dan. Ott. I.P. cap.* 24. vbi multos citat. idem facit *Beſoldus Polit.* 1,3. *de Eccleſiaſtico maieſtatis jure. Lampad. cap.*5.*& cap.*11.12. *Graſwinckel. Jure Maieſt.cap.*5. *Goldaſtus* quoque multa ad huius argumenti hiſtoriam conferre poteſt: vt & *M. Antonius de Dominis*, ſi quis doctus & peritus lector accedat.

Præſidium non leue ad ſuperandam argumenti difficultatem erit: ſi quis 1. ante omnia ex Theologo Orthodoxo (ſupra Gerhardum nominaui) vtramque doctrinam de Magiſtratu Politico & Eccleſiaſtico diligenter cognouerit. eſt enim altera in alterius ſubſidium hic adhibenda, fruſtraque peritum te in hac credes, niſi illam probe perſpexeris. 2. Praxis & hiſtoria huius negotii conferenda eſt cum doctrina. 3. Diligenter diſcernendum, quid ad jus Maieſtatis ipſum, & quid ad modum exercendi juris pertineat. 4. Cautio & prudentia, Chriſtianæ Reip. & Eccleſiæ decori & tranquillitati maxime conueniens, adhibenda. 5. Pontificiæ in hoc argumento tyrannidis hiſtoria, propoſita, flagitia ſemper in oculis habenda. Late *Arniſæus I.M.* 2,6.

Locus Taciti

oſtendit 1. Maieſtatem ciuilem apud Gentiles etiam ſibi vindicaſſe curam religionis, feciſſe decreta&c.

2.Pere-

5. Peregrinas religiones Romanos non tulisse. ex instituto & consilio, quod Mœcenas Augusto demonstrauit apud *Dion.* 52.

3. Coërcitionem partim apertam adhibitam, sc. exilium.

4. Partim occultam, & sub schemate militiæ. Explicatum id arcanum.

Dictum & de illo Taciti loco, cum *de morib. Germ.* 7. potestatem maximam antiquis Germanorum sacerdotibus videtur tribuere, de qua re vid. *Cl. Conring. disp. de Judicus Reip. Germ. th.* 9.

Specimen regularum quarundam & obseruationum, de Juribus Majestatis, & eorum explicatione atque applicatione.

1. Studioso Politices triplex hic faciendum est veluti locorum communium genus: primum earum rerum, quæ maiestatis jura & vim tollunt; secundum, quæ jura maiestatis partiuntur; tertium, quæ jura eadem interpretantur.

2. Ad primum genus pertinent illæ quæstiones: An maiestatis jura tollantur per fedus inæquale; item, per tributum alteri pendendum; item, per feudi obligationem. &c. de quibus *H. Grotius I.B.* 1,3,21. *& seqq. Bodinus Polit.* 1,9. Item per Juramenta Regum ab initio regni præstari solita. vid. *Theod. Grasvvink. de Jure Mai. capp.* 12. *&* 13.

Ad secundum genus pertinet quæstio, an diuisa imperii jura recte colligantur ex eo, quod

quod reges acta quædam ſua, niſi à cœtu aliquo probantur, rata eſſe nolint? de qua *Grot.* J.B. 1,3,18. Item: ex fœdere, e.g. Hollandico aut Heluetio. vid. *Grotium Apolog. cap.* 1.

4. In eodem Grotio operæ pretium eſt cognoſcere, difficilem eſſe diiudicationem exemplorum, quando partita dicenda ſit maieſtas, quando non. J.B. 1,3,20.

5. In tertio genere quaſdam regulas exempli gratia ponemus: quarum quædam pertinent ad jus habendi; quædam ad modum exercendi; quædam ad rationem concludendi, & exinde argumentandi.

6. Ante omnia conſtare debet ex legibus moribuſque populi cuiuſque aut ciuitatis, cui jura maieſtatis vere data ſint. De quo ſi conſtat, non licet argumentari: Hîc ordo aliquis habet poteſtatem aliquam legislatoriam. E. ſummæ poteſtatis jus imminutum, aut eatenus abdicatum eſt. Cenſetur enim talis poteſtas cumulatiue, non priuatiue data. Jus enim ferendarum legum, ſiue generalium ſiue ſpecialium, ſumma poteſtas communicare alteri poteſt, à ſe abdicare non poteſt, ſc. vt ſumma poteſtas maneat. Deinde, re exigente, reſcindi aut corrigi à ſumma poteſtate tales leges poſſunt. Non enim poſſunt eſſe in vna Repub. duo legislatores æque ſummi. Ita *Grotius* diſputat de *Imp. S. P. circa ſacra cap.* 8. p. 193.

7. Ita in aliis juribus maieſtatis maieſtas agit totum per ſe; aut partim per ſe, partim per alios. Sed hoc ad ordinem & modum, non ad ius pertinet.

8. Ita

8. Ita appellatio interdum sublata est ipsius imperantis lege; scil. ne ab hoc aut illo magistratu ad summam Potestatem appelletur: Sed non statim inde infertur, omnem viam implorandæ cognitionis eius, qui summum imperium habet, sublatam esse.

9. Ita cum Imperatores profitentur, se deuinciri & teneri legibus suis, & nolle rescripta à se contra leges valere, non jus abdicant, sed voluntatem declarant.

10. Notanter dixi, legibus suis. In hac tota enim materia principium omnis actionis Imperatiuæ, & origo fundamentumque maiestatis, recte constituendum est: & postea ex maiestate ita vel aliter in rep. constituta de juribus & actibus eius judicandum.

11. Nam administratio talium jurium sæpe diuersam objicit speciem, neque statim ad subiectum proprium nos deducit. Vnde ex schemate tali & formula aut ordine non colligitur semper recte de jure, & principio illius ordinis, sed contra ex jure & formula fundamentali de illis exterioribus judicium ferri debet.

12. Sic ad modum vtendi juribus maiestatis plurimum pertinet, non tantum consilio, sed & ministerio aliorum vti debere summam potestatem, itemque dare operam, vt volentibus imperetur, cognoscendi gradus seruentur, & quæ sunt eius generis alia: Sed hæc prudentiæ præcepta sunt, & ad ordinem prudentibus dilectum æstimatumque pertinent.

13. Non tamen inferas inde. E. nun-

quam licet maiestati extra suum ordinem agere: E. si extra suum ordinem agit, iniuste facit. Multo autem minus. E. actus non est ratus.

14. Ex vocabulis non semper esse de juribus maiestatis judicandum, bene monuit *Grot. de I.B.* 1,3,10. illa enim in re dispari possunt similia esse.

15. Ceterum à maiestate ad jura maiestatis, & vicissim, perpetua est Politicorum argumentatio. De cuius tamen vsu & cautionibus in materia de formis Rerump. plura traduntur.

DISSERTATIO XIII.

De Judiciis Maiestatis *siue* *De Lege & Crimine Maiestatis*

Ad Loc. Taciti 1. *A.* 72. 73. 74. *cum parallelis.*

POstquam intelligitur quid sit Maiestas, facile etiam est definire, quid sit vel Lex Maiestatis, vel crimen Maiestatis.

Lex Maiestatis originem suam repetit ex jure Diuino, naturali & positiuo: tum ex humano, gentium, ciuilique.

Jure Romano quæ leges de Maiestate latæ sint, vide *Sigon. de Judiciis lib.*2. *cap.*29. ex quo sua descripsit *Rosinus antiq. Rom.*8,23. Adde sub

suis

ſuis quamque titulis in *Antonij Auguſtini tractatu de LL. & SC.* & quæ Juriſconſultis veteribus collecta ſuperſunt fragmenta ad L. Jul. Maieſtatis.

Erimus hic breuiores, quia omnino hanc materiam peculiari opuſculo proſequemur.

In loco Taciti 1. occurrit diſtinctio, quatenus Lex Maieſtatis præcipua & vera maieſtatis crimina contineat: & quatenus ampliata eſt.

2. Species directi, vt ſic dicam, criminis maieſtatis, quod vere aduerſus populum Rom. & eius ſecuritatem committitur, tres hic enumerantur, quæ ad perduellionis crimina proprie pertinent. nam illud, *male geſta Rep.* includit, etiam partes Reip. violatas, & quidem maligno impioque propoſito. Alias ap. *Liu.* 8, 33. *legas, temeritatem & inſcitiam Ducum* (ſc. cum ſceleſtum conſilium abeſſet) *nunquam vindicatam eſſe.*

3. Secuta eſt ampliatio Auguſti, ad famoſos libellos, adeoque ad dicta.

4. Verum ampliationis duplex occurrit ſpecies: quarum prior ex ratione quadam ſtatus oritur, & profundis imperandi conſiliis artibuſque tribui debet; altera ex propoſito & ratione tyrannica æſtimanda eſt.

5. Illius prioris exempla ſunt, in Auguſti lege Julia & Impp. Arcadii & Honorii *l. quiſquis C. ad L. Jul. Maj.* in quam extat eruditus *Jacobi Gothofredi comment.*

6. Poſterioris Auctor ponitur Tiberius: cuius in illa ampliatione ſiue extenſione no-

tantur 1. prætextus. *cap.* 72,5,6. 2. artificium dissimulandi, & sub specie recedentis ab hoc cognitionis genere, progrediendi. *c.* 73,3. & 4. confer. 2.A.50,2. & 3.A.22,4. 3. captata occasio seueritatis siue potius sæuitiæ, *cap.* 74,5. 4. Verum propositum, quà ad vim dominationis tyrannicæ intendendam, quà ad sæuitiam explendam. 72,3. 74,2. & 3.A. 22,4. 5. Itaque materies odii ac tyrannidis adeoque sica maiestatis in clarissimos viros incubuit. c.74,2. vnde Plinii nobile dictum, de simili proposito Domitiani. 6. Præuaricatio & corruptio omnis judicii, tum in fingendis & agglutinandis criminibus maiestatis. argumento est locus 3.A.37,1. 3,38,1. 4,31,16. tum in auferenda defensione, exterritis patronis & reis. 3.A.67,4. 7. Instrumentum, Delationes & Delatores. 74,1. & 4.A. 30,5. dictum alibi, *in Annot. ad Histor. Tacit.* 8. præsidia alia ex consecratione Principum petita, *Plin. Paneg.* 11. » Dicauit cælo Tiberius » Augustum, sed vt maiestatis crimen induce» ret. vestigia hic cap.73,1. 74,5. & in præcedentibus. Pertinet huc locus *Dionis* 57. de crimine ἀσεβείας siue *impietatis*. Simul apparet, quam parum fidei subsit verbis. *cap.*73,3. color etiam ab exemplo Augusti quæsitus. *cap.* 72,5.

7. Continuatio ampliationis tyrannicæ partim ex *Suetonij Nerone* 32. & *Domitian.* 12. partim ex *Tacit. h.l. c.* 73,1. vbi de Titi cura in restringenda ampliatione tyrannica,

&

& Domitiani propoſito, qui immenſum ampliarę ſtuduit, accipiendus eſt.

Notari autem præſertim debet, totam iuriſdictionem in cauſſis maieſtatis, tum cognoſcendis, definiendiſque, tum exequendis ſiue puniendis criminibus, aduerſus Maieſtatem commiſſis, non tam tractari ex formula Juris, quam ex politica ratione ſtatus; quæ ita intelligi debet e.g. in fauorem Maieſtatis & ſecuritatis publicæ, probatur interdum ſummaria cognitio, negatur reo aduocatus, jubetur reus ex vinculis cauſſam dicere: probatio conficitur in partem vehementiorem, citra reſpectum æquioris interpretationis, ſtatus coniecturæ animoſius & rigidius, quam in aliis criminibus tractatur, ſtatus definitiuus itidem ampliatur, nouæ leges Maieſtatis, ſiue noua L. capita in certa crimina feruntur, vt ex iis definitio fiat, etiam cauſſa indicta ſupplicium irrogatur, aut clam peragitur, pœna in poſteros extenditur, item in amicos, aliaque extra ordinem in exaggerandis peculiarem in modum pœnis ſuſcipiuntur. De qualibus rebus quædam etiam Arniſæo tractata, *de I.M. lib.3. cap.6. §.3. & ſeq.* In quibus omnibus regnant artes politicæ, colores politici, arcana dominationis, magiſtrorum & miniſtrorum adulationis interpretamenta, quæque ſunt eius generis alia. Etiam ſtilo nonnulli licentius vtuntur, quam par eſt in materia tanti momenti facere. E.g. cum diſputatur, an crimen maieſtatis à non ſubdito, à Principe in Princi-

pem committi possit? An securitate vniuersali promissa reis, etiam crimen maiestatis intelligendum sit, si non expresse positum est? Quo nomine impudenter Florentinos decepit Papa Clem. VII. sicut non immerito conqueritur *Bodinus de Rep. V,6.* An in Electorem aut Principem imperii nostri possit crimen maiestatis committi (vbi itidem vocabulis luditur) infra patebit.

Sed hæc & talia exemplis melius judicantur & cognoscuntur. Quo consilio quondam Vir doctissimus *Scipio Gentilis* in librum de coniurationibus & conspirationibus celeberrima quædam conduxit. Ad Philosophiam huius loci instruendam multum faciet laudatus ante tractatus *Jacob. Gothofr. ad L. Quisquis. C. ad L. Jul. Mai.* valde πολιτικὸς, quod in hoc argumento requiritur.

In Tacito nostro caussæ præcipuæ sunt, caussa Libonis 2. A. 27. & seq. Clementis cap. 39. & 40. Pisonis 3. A. 8. & in seqq. Silii 4. A. 18. & seqq. Vibii Sereni 4. A. 28. & seqq. Cremutii Cordi 4. A. 34. & 35. Titii Sabini 4. A. 68. & seqq. in caussa Seiani, amicorum eius 5. A. 6. & seq. M. Terentii 6. A. 8. Agrippinæ 14. A. 3. & seqq. Pisonis & aliorum 15. A. 48. & seqq. Cassii & Silani 16. A. 7. & 8. &c. Thraseæ & Sorani 16. A. 21. & seqq.

In Curtio celebertima, & accurate tractata est caussa Philotæ *lib. 6. cap. 7. ad fin.* (cum qua confer historiam Bironis Paris Franciæ, anno huius seculi 2. apud *Thuan. 128. per tot.*) &

Par-

Parmenionis *lib.* 7, 2. cum qua confer casum March. Ancræi Conchini apud *Gramond.* 2.

Caussa etiam Mariæ Scotæ multa huc pertinentia habet, descripta diligenter *Camdeno.* adde *Thuan.* *&c.*

Notauimus olim quædam, quæ nunc non repetimus, per quæ sc. materiæ huius partim philosophia, partim praxis, ad informandum judicium politicum accommodatur.

DISSERTATIO XIV.

De Formis Rerump. sc. accidentalibus.

Ad loc. Taciti 4. *A.* 33, 1.

CONnexionem ordinis monstrabit bene *Bodinus* 2, 1.

Agitur primum de numero formarum vsitatissimarum: 2. De mixtura. 3. de Præstantia.

In numero definiendo propositum Taciti probe notandum est. non enim ex professo numerum inquirit, sed quæ vsitatissimæ Imperii formæ apud plerasque gentes reperiantur. Vbi de tribus recte ita pronuntiat, vt alias non neget, sed indicet, sicut post patebit. E veteribus præter Aristotelem, Platonem, Polybium, Plutarchus reliquit libellum περὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας καὶ ὀλιγαρχίας. *Dio Chrysostomus orat.* 3. *de regno,* tres illas species vocat εἴδη φανερώτατα, ad mentem Taciti nostri. Adde *Arnis.* 2. *de Rep.* 1. *sect.* 5.

2. Mixtionem nimis abrupte negat *Bodinus lib.2. cap.1.* vbi de numero Rerump. disputat. Licet enim Maieſtas vnum quiddam ſit ac per ſe indiviſum. fieri tamen poteſt, vt diuidatur ſiue per partes ſubiectiuas, ſiue per partes potentiales, vt ſcholaſtici vocant. vide *Grot. de Jure Belli* 1,3,17. *Lampad. de conſtit. Imp. Rom. Germ. cap.* 1. §. 60. & 61. vide prolixe diſputantem *Arniſ. polit. lib.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 1.

Notanda hic omnino quædam cautionis loco. 1. Tacitum non negare omnem mixtionem, neque de ea vniuerſe loqui, ſed de certa ſpecie mixtionis. 2. Bodinum, & alios, *difficultatem mixtionis*, & *incommoda, quæ metui poſſunt*, non recte adhibere ad rem negandam. nihil enim in Politicis omni incommodo vacat. 3. Nimis ſpeculatiue, vt ſic dicam, in materia practica verſari, qui argumenta, vel contra mixtionem, vel pro mixtione plane volunt exigere ad regulas Phyſicorum de mixtione. quæ in comparatione quodammodo interdum poſſunt locum habere, non in probatione, rei toto genere diuerſæ. 4. Vt in omnibus formis, ita in mixtis, non eſſe judicandum, vocabulis, aut externa rerum ſpecie. vid. *Grot. de I.B.* 1,3,10. 5. Fruſtra negare quoſdam, quod recte cum Ariſtotele & eius Interpretibus ſtatuit *Bodinus* 2,2. Reipub. ſtatum ab imperandi ratione, ſiue Reipub. ſtatum ab adminiſtratione plurimum differre, ita vt in Regali etiam ſtatu gubernatio non regalis videri poſſit. 6. Diſtinguenda diligenter

genter

genter esse, quæ disputandi caussa, aut philosophandi animo ponuntur, ab iis, quæ judicio Politico definiuntur. Exemplo *Contareni,* quem multi refutare conantur, ostensum.

3. Præstantiæ argumentum πολυθρύλητον est. E veteribus tractatum *Herodoto lib. 3. Dioni Cassio lib. 52. Dioni Chrysostomo, Plutarcho, aliisq.* Et plerique quidem Principatum siue Regnum prætulerunt; multis tamen non eximebatur, optimam esse Reipub. formam, quæ ex tribus illis speciebus mixta constaret, de qua sententia, præter *Herodotum,* habes integram Disputationem *Polybij lib. 6.* Huius meminit etiam *Tacitus,* judicio vere pragmatico. 1. Eos qui prætulerunt hanc mixturam, Philosophiæ quam vitæ aptiora dixisse. 2. Difficulter ita institui posse, vt ille finis obtineatur, qui hic quæritur, *τὸ εἰλικρινὲς τῇ συγκειμένῃ ἐκ τελῶν εἰδῶν ἑκάστης πολιτείας συνεισαγούσης,* vt compositæ ex tribus formæ, vnaquæque forma, quod habet præstans, conferat ac contribuat, sicut loquitur *Auctor libri de Repub. apud Photium in Biblioth. tit. 37.* 3. Durationem & constantem statum Reipub. à tali forma vix sperari posse; quia, vbi in rebus practicis nimia quæritur ἀκρίβεια, opus durabile non exit: ipsaque compositio talis semina in se contentionis de statu continet. 4. Quod judicium Taciti in hunc diem adeo comprobauit experientia, vt non possit dari exemplum notabile, Reipub. vere ex tribus formis constitutæ. Nam, quod *Contarenus* Venetam,

Bertius Confœderati Belgii Rempub. ita describunt, comparationis potius qualiscunque Philosophandi gratia institutæ, quam veræ sententiæ adstruendæ gratia factum intelligi debet.

Generaliter hic notandum: 1. Perfectum in re quauis intelligi debere, non nuda contemplatione, sed inspecto, quid materia ferat aut recuset. Exemplo Platonicæ philosophiæ illustratum. 2. Considerationem commodorum & incommodorum in singulis formis non nisi ex comparatione ad inuicem intelligi. vid. *Bodin. 6. polit.* 4. 3. Comparationem autem institui non posse, nisi habito respectu ad gentes, nationes, mores. Vnde hoc recte inter præcipuas doctrinas politicas retulit Bodinus, *de conformando ciuitatum statu pro regionum ac populorum varietate, quibusq; disciplinis populorum mores dissimilesq; natura percipiantur. lib. 5. de Rep. cap.* 1. multa etiam in *Method. Histor.* huc pertinentia tradidit. 4. Diligenter spectandum, vbi scriptores tempori aut caussæ seruiunt. 5. Item, vbi Oratores & Poëtæ figuris indulgent. 6. Nunquam autem ab argumento præstantiæ ad mutationem concludendum.

DISSER-

DISSERTATIO XV.

De Regno.

Ad locum Taciti 1. *H.* 16, 7.

NEque enim hic, vt in ceteris gentibus » quæ regnantur, certa dominorum do- » mus, & ceteri ſerui: ſed imperaturus es ho- » minibus, qui nec totam ſeruitutem, nec to- » tam libertatem pati poſſunt. »

Ponuntur hic primo ſpecies regnorum. De quibus Ariſtotelis ſententia à Bodino varie examinatur, & exagitatur *lib.2. de Rep. c.2. & 3. & 4.* rurſum prolixe defenditur ab *Arniſ. Relect. Polit. lib.2. cap.2. ſect.15.* Simpliciſſime Ariſtotelis Philoſophiam repetiit *Auguſtinus Niphus, tract. de Regn. & tyrann. lib.2. cap.2.* NB. Diligenter obſeruandum, quid Ariſtoteles ex ſua mente, & quid ex aliorum mente dicat: item, quid ὑποθέσεως χάριν per modum diſputandi & inquirendi, quid item definiendi gratia dicat.

Tacitus hic ponit duas potiſſimum ſpecies, quæ forte etiam ſolæ ſunt, ſi proprie ſit loquendum, ſcilicet *Dominatum*, & *Monarchiam Regalem.* nam quidquid ſupra dominatum aſcendit, aut dominatu abutitur, ad tyrannidem pertinet. quidquid à regno deficit, in alias Reipub. formas migrat, vel in mixtas ſcil. vel in Ariſtocraticas aut Democraticas, in quibus interdum ſimulacra Regni deprehenduntur.

Verba

Verba *Grotij Jur. B.* 1,3,20. inter regnum plenum, παμβασιλείαν, & regnum Laconicum (quod non est regnum re ipsa sed vocabulo tantum) aliquot species esse interiectas, caute sunt accipienda. In Lemmatibus enim capitis de mixta quadam forma videtur agere (confer §.19.) Exempla autem, quæ ponit, videntur quodammodo diuersa esse, de quibus suo loco. Interim accurate loquendo Regna mixta potius retuleris ad formas mixtas, quam ad simplices, adeoque species mixtarum, formarum potius dixeris, quam species Regni. Id videtur in animo habuisse Bodinus, hactenus non reprehendendus. Quanquam in vocabulis, etiam liberius vsurpandis, faciles in Politicis esse debemus.

II. Descriptio ex mente Taciti hæc est: ***Dominatus*** est ea Regni species, vbi vnus aliquis, cum pleno jure successionis in familia, summum imperium obtinet, & ex vsu suo suæque domus libertime administrat, atque ad hunc finem personis rebusque subditorum, ceu instrumentis, arbitratu suo moderandis vtitur.

Regnum siue *Principatus* (ita enim maluerunt appellare Cæsares) est, vbi vnus imperat, sed cum quadam libertatis vmbra, siue cum temperamento moris legisque, nec tanquam in seruos ad suam vtilitatem, sed tanquam in liberos ad commune bonum, in quo præsertim inest simulacrum libertatis.

III. Dis-

III. Differentia ex his ipsis patet, partim ex forma, partim ex scopo desumenda.

IV. Successionis clara sunt vestigia in illis: Certa dominorum domus, & ceteri serui. Vni addicta domui siue familiæ Respub. intelligitur. non quod in regnis Electiuis non possit esse plane dominatus, sed 1. quia raro ibi datur (Electio enim juxta libertatem est *b.l.* 1. *Hist.* 16, 2.) 2. quia succedendi ratio in se quodammodo est δεσποτικωτέρα, siue herilior, & plerumque in illis populis, vbi est dominatus, obtinet.

Hac occasione disputari posset de Electione, & Successione. Sed instituti ratio non patitur retexere aliis dicta. Obiter notamus:

1. Disputationum hypotheses non esse importune ad exempla accommodandas, quod interdum fit, partim inepte, partim periculose. Nam Ratio & Vtilitas Reip. est suprema in Politicis philosophandi Regula.

2. Repetenda itaque forte fuerint, quæ ad hanc orationem Galbæ nuper publice annotauimus.

3. Vbi simul illud obseruetur. interdum vocabula hæc politicis vsibus seruire artibusque. hic e. g. Galba tanquam de Electione differit, cum reuera successionis negotium ageretur. Quando enim vnus ex suo arbitrio potest successorem Reipub. dare, siue id fiat per adoptionis modum, qui æquipollet successioni stirpis, siue per modum legis, Electio non habet locum, si velimus accurate agere. Itaque alibi notauimus aliqua, ad figuras politi-

politicas Plinii in Panegyrico.adde *Annotat.8. ad cap.7. lib.1. Annal. Tac.*

4. Successionum materia est pars nobilissima juris publici, late diffusa, & multis varietatibus inuoluta. Esse de ea certas regulas, in quouis regno, publicæ tranquillitatis interest. Illis legibus, nulla aliarum gentium jura, aut quæ videntur naturæ dictatis propius congruere, opponi possunt. Certus enim Reipub. status summa ratio est, aduersus quam non valet subtilitas disputandi.

E. g. Lege Salica in Galliis prohibetur feminarum successio. E.frustra ibi disputaueris de habilitate,vt loquuntur, feminarum ad imperium: Quæ vtut certa sit, cum de jure loquimur, (quidquid enim in contrarium adfertur, ad quæstionem consilii pertinet) tamen hîc vrgeri non potest, quia Resp. suam voluntatem sacrata perpetuaque lege sanciuit, declarauitque. Ex diuerso, vbi feminarum successio in vsu est, ab exteris inepte, à ciuibus scelerate disputatur aduersus hunc morem.

5. Successionum rationem, & quæstiones supra ea moueri solitas, cumprimis diligenter annotauit *Grot. I. B. 2, 7. Arnis. relect. polit. 2. c.2.* Sed plurimum historia hic præstat & notitia moris legisque, quibus vnaquæque Respub. vtitur, tùm controuersiæ celebriores super caussa successionis agitatæ.

V. Pro ingenio populorum diuersitas regiminis orta & vsurpata videtur, quod *Tacitus* clare innuit. Hac occasione obiter mone-

mus:

mus: 1. Quantum ad diſputationes de origine regnorum attinet, Ethnicorum Philoſophiam non niſi coniecturis niti; quæ adeo ſunt variæ, vt nonnunquam contraria illis placuiſſe ſciamus. 2. Hypotheſes illas non tam hiſtoriam ſpectare quam philoſophiam, inquirendo ſc. in id, quod rationi & naturæ maxime videretur conſentaneum. Qui modus τȢ ζητηΤικȢ ex Platonis ſchola hauſtus, paſſim etiam in Ariſtotele obſeruatur. 3. Itaque ſubeſt aliquid interdum veritatis. e.g. de Regnis Heroicis, de Regibus aureæ ætatis, de Regno juſtitiæ fruendæ cauſſa conſtituto, &c. Eſſe enim ordinem imperandi & parendi, atque etiam regnum juris Diuini naturalis, & finem ſpectare naturæ ſociali maxime accommodatum, id eſt, juris ſocietatem, eumque ad finem obtinendum requirere modum optimum, tum in conſtituendis imperiis, tum adminiſtrandis; fuiſſe etiam, ſæculis melioribus & vetuſtioribus, multas apud gentes regna & reges ad hanc formam, rationi præcipue congruentem, (in quantum humana infirmitas patitur) veriſſimum eſt. 4. His ex notitia Scr. S. addimus: Reges (etiam poſitiuo jure Diuino) à Deo inſtitui vt regnent, & informari quomodo regnent. Ceterum qualia fuerint imperia e.g. ante Nimrodum, conjecturæ res eſt, non ſcientiæ. Veriſimile eſt inter pios, moderatiſſimi imperii, & quaſi patrii formam fuiſſe, neque diffuſam ample poteſtatem imperandi; ſed auctoritate Principum & Patriarcharum pleraque tractata:

Juri-

Juribus & vera potestate imperii penes Deum constituta, in forma regiminis Theocratici: si enim postea id durauit vsque ad Reges (vt jura maiestatis accurate loquendo penes solum residerent Deum) nulla ratio patitur aliud opinari de temporibus antiquioribus, vbi itidem reuelationes & conuersatio Dei cum Patriarchis obtinebant. In cœtibus autem Cainitarum, quique deinceps à sanctiore Semi posteritate consuetudinem suam disiunxerant, ex arbitrio & libidine imperantium pleraque videntur pependisse.

VI. Quas apud gentes hæc vel illa species regni obtineat, suo loco infra dicetur.

VII. Continetur etiam in verbis Taciti illa quæstio, Dominatus an Regnum præstet? Quam Tacitus putat definiendam ex ingenio parentium, quod supra etiam diximus, cum de comparatione formarum inter se facta esset mentio.

VIII. Quantum ad dignitatem attinet, ipsa vox seruitutis & seruorum habet in se aliquid vile, & durum. Etiam illud negari nequit, Dominatum viciniorem esse tyrannidi, & facile in eam degenerare, eoque nomine caute habendum, quod Claudius in animo habuit, cum Meherdatem instruit. 12. A. 11, 2.

IX. Non tamen inde recte infertur, omnem Dominatum esse tyrannidem, sicut recte disputat *Bodinus lib.2. cap.2.* Recte etiam *Grotius* monet, *I.B.* 1,3,8. non esse vniuersaliter verum,

omne

omne regimen eius caussa comparatum esse, qui regitur.

X. Virtus imperandi includitur in verbis Taciti. De quo argumento inter veteres *Xenophon* in Cyro suo, quem non immerito ad imaginem perfecti imperii scriptum existimant: *Plutarchus* passim: *Synesius* de Prouidentia, & de Regno: *Dio Chrysostomus* orat. de regno: Poëtæ, Panegyristæ. Sed præsertim historicis, in ipso opere virtutem regiam demonstrantibus, opera danda.

Dictum obiter aliquid de loco *Taciti Germ.* 44, 3. *& seq.*

DISSERTATIO XVI.

De Tyrannide.

Ad loc. Tacit. 4. *H.* 8, 3. *&* 4. *H.* 74, 4.

DE vnico capite huius argumenti potissimum agendum est, quid in tyrannum & aduersus tyrannidem liceat, vel non liceat. Huc enim Taciti nos loca vocant. Et tractata diligenter aliis non consultum est repetere.

Obiter monemus 1. in constituenda tyrannidis definitione plurimos aberrare, vel dum Aristotelis mentem nimis laxe è verbis interpretantur, & locis non satis inter se collatis: vel dum quicquid ad vnam speciem Regni eiusque descriptionem, quam sibi faciunt, non congruit, statim tyrannicum esse autumant. sicut de Dominatu ante dictum est.

2. Omnino autem in tyrannide deſcribenda, iniuria & propoſitum iniuriæ conſtans, quod nimirum pugnet cum jure Reip. aut ciuium, ratione regiminis, requiritur. Itaque nemo tyrannidem æſtimare poteſt, niſi qui jura cuiuſque ſtatus ex parte imperantium & parentium accurate cognouerit. Vnde patet, non recte tyrannum dici ſtatim, qui ex legibus poſitiuis non imperat. His enim quidam Principes ſoluti ſunt, ex formula ſtatus & regni.

3. In imponendo tyranni titulo caute verſandum eſt. Quo nomine laudari meretur *Arniſæus*, qui *Relect. Polit. l.* 2. *c.* 3. *ſect.* 6. diligenter collegit illas cautiones & obſeruationes.

4. Vnde ſimul illud patebit, non ſtatim tyrannice fieri; quod eſt tyrannicum.

5. Propoſita, facta, mores, arcana, artes Tyrannorum, vel Titulo vel Exercitio, vel in Piſiſtratiſmo, vel in Phalariſmo occupatorum, *Tacitus* abſque comparatione diligenter expreſſit. Sed ea peculiari diſſertatione collecta & diſpoſita, vt & artes Regias, proponemus.

Nunc ad quæſtionem: quid in tyrannum Reip. ac ciuibus liceat, vel non liceat?

Vere & prudenter *Bodin.* 2. *Polit.* 5. *Tyranni vox ignota, pleroſq; impulit in errorem, & in perniciem Principum multorum armauit.* Itaque ex vtraque parte in hac tota diſtinctione diligenter ſunt expendenda facta, & conditio ac jura perſonæ, quæ tyrannus dicitur: & conditio ac jura ciuitatis ciuiumque, de quorum poteſtate in tyrannum quæritur.

Albericus Gentilis de vi ciuium in Reg. ſemper

per iniusta, statum quæstionis ita format: *De variis Principum generibus, & de variis generibus ciuium, non est hic nobis curiosius distinguendum, vbi indistincte quærimus, si justa esse vis ciuium possit vnquam in Principem: &, nulla ciuium, nulla Principum habita distinctione, vim omnem ciuium semper iniustam esse in Principem defendimus.* Incaute, & nescio qua affectatione compendii & securitatis ita loquitur. Qui enim omnem distinctionem tam asseuerate abdicauerat, mox, & in ipso principio corrigit dictum, cum adiicit: *Monemus tamen, atq; excipimus illa duo: nec esse de eo Principe quæstionem, qui magistratus magis, quam Princeps est: etsi Princeps, etsi etiam Rex, non magistratus appelletur. Sed neq; de illo Principe loquimur, qui judicem aliquem habet, aut custodem. At alterum quod monemus, hoc est, esse sane quæstionem istam de legitimo Principe, non de tyranno. verum de eo tamen legitimo, qui Principatum gerat tyrannicè i.e. remp. lædat.* (Dictum hac occasione aliquid de consuetudine philosophandi, quæ in aliis quoque Alb. Gentilis scriptis obseruatur.)

Arnisæus, cui multum in hoc argumento debet Resp. *tractatu peculiari de auctoritate Principum in populum semper inuiolabili* cap. 1. statum ita format: *vtrum subditi regem legitimum, si degeneret &, improbe præsit Reip. licita legitimaue potestate, pro jure suo judicare, & à solio pellere possint? hoc est, vtrum subditis fas sit, vllo in casu arma induere contra justum Principem?*

Ex quibus apparet, quod diximus, vtro-

 bique

bique diligenter distinguendum esse: & de tyranno, & de ciuibus siue subditis.

Et de Principe quidem, qui potius est Magistratus, facilis est quæstio.

De Principe, qui ex parte maiestatem habet, ex parte ea penes alios remanente, non omnia quidem adeo sunt liquida, sed expediri tamen queunt 1. ex legibus Reip. fundamentalibus, quæ plerumque in tali Reip. statu accurate rem definiunt. 2. tum quatenus inuadit partem non suam. Ita enim fit quodammodo inuasor imperii alieni. confer *Grot. J.B.* 1,4,13. Videantur, quæ disputat Ampliss. *Carpzouius de Lege Reg. Germ. cap.* 14. *siue vltimo: an resistendum Cæsari, si contra Capitulationem agat? sect,* 5. *&* 6. *Consilium D.Lutheri,* de quo etiam *Bodinus p.*342. *Aruma. I.P. volum.* 4. *discurs.*18.

Cumque qualitas Principis ex formula delati Regni æstimanda sit, dubium non est, vbi Regnum ita defertur, vt committi possit, itemque vbi defertur sub lege, qua subditis in certis casibus resistendi potestas expresse reseruatur; Principi vim facienti, aut in legem illam peccanti, vim opponi posse, aut judicii seueritatem intentari. vid. *Grot. J. B.* 1,4.12. *&* 14.

De Inuasore etiam res est facilior, siue tyrannum titulo velis appellare. Quamquam *Bodinus de Rep.*2,5. rigidius tractat illam quæstionem, an inuasor, si consecuta fuerit approbatio imperii per suffragia ciuium, tamen occidi possit? itemque an præscriptio non nisi

centum

centum annorum locum habeat in tali casu. Qua de re quædam diximus *annot.2. ad cap.10. lib.1. A. Tac.* adde omnino *Grot. J.B.* 2,4,8. & *J.B.* 1,4,15. *& seq.* vbi quæstio de inuasoribus neruosa breuitate explicatur. *Brutus* violentius philosophatur in *Vindic. contra tyr. quæst.3.*

De Principe igitur justo sermo est, i. e. re tali, non vocabulo, & de cuius Maiestate dubitari non potest.

Ex altera parte 1. non quæritur de Peregrinis. (vid. *Bodin.2,5.* & *Arnis. tract. dicto c.1. §.2.*) Sed de ciuibus & subditis, qui possunt crimen maiestatis incurrere, resistendo Principi.

2. De ciuibus subditisque vere & mere talibus; non de iis, qui participant jura maiestatis. vnde *Jacobus Magnæ Britanniæ Rex* distinctione vtrinque adhibita inscripsit tractatum; *Jus liberæ monarchiæ, siue de mutuis Regis liberi & populi nascendi conditione illi subditi officiis.*

3. Videndum est etiam, an subditi vniuersi plus juris hic habeant, quam singuli? quod in terminis conuenienter sumtis negandum est.

4. An Magistratus & officiarii, quos vulgo vocant, tanquam personæ publicæ plus juris habeant in Principem, quam ceteri priuati? N. Respectu Regis proprie dicti omnes sunt priuati. Hinc *Plinius Paneg.58.* consules Rom. non oratorie sed politice vocat *priuatos.*

Tertium caput huius quæstionis consistit in caussa resistendi, ex facto Principis. Vbi quidam distinguunt vitia morum à tyranni-

de. Quanquam vulgaris consuetudo, quidquid in Principibus arguit, tyrannidem vocat. Vera vox *Bodin.* 2, 5. *ô quanta sit tyrannorum futura multitudo, si tyrannos subditis occidere liceat! quam multi innocentes ac optimi Principes suorum conspiratione perituri! nam qui tributis & vectigalibus plus æquo ciues urget, tyrannum vulgus appellat &c.*

Huc pertinent illa facta Principis, e. g. si regnum, quod non habet alienabiliter, alienare conetur: si manifeste totius populi se hostem ferat &c. de quibus *Grot.* 1, 4, 10. & 11. It. si religionem falsam introducat, subditosque ad eam cogere velit. qua de re Theologi. Esse enim exempla & casus, vbi excusari possunt, qui tyrannidi restiterunt, non est abscisse negandum.

Quartum caput in modo resistendi explicando versatur. Nam quin subditi tyrannidi possint opponere preces, supplicationes, admonitiones, nihil obstat. Fuga etiam interdum satis locum habet, sed ea huc non pertinet. De resistendo enim agitur. Itaque nec illud proprie huc spectat, cum quæritur, de non-parendo, quando Rex jubet, quæ Deus & natura vetant. Vis & arma vero an locum habeant, & quando, quæritur. Vbi scutum, quod fauorabile præ cæteris armorum genus est, in extremis casibus aliqui permittunt; gladium negant. vid. *Grot.* *J.B.* 1, 4, 7.

His ita consideratis, ad quæstionem propositam respondent Negando, qui vera religione

gione ſunt inſtructi, & vera Philoſophia eruditi, tum ingenio ciuili præditi.

Multum enim in hac quæſtione prodeſt, cognoſcere propoſita & habitum animorum apud Diſputantes. Nam qui Regium jus legitimum impugnant, ſubditis autem jus non legitimum vindicant, non ſunt vnius generis. 1. enim quidam adulantur & ſeruiunt ea in re Pontificis Romani prodigioſæ dominationi, cuius iſta ſunt huc pertinentia dictamina: Pontifex poteſt ſubditos aduerſus Reges legitimos armare, poteſt eos vinculo & juramento fidelitatis ſoluere: ſubditis licet primò principem hæreticum (ita vocant, quicunque diuerſum in religione ſentit) pro tyranno habere; deinde ei non obedire, imo (horreſco referens) ſi videat priuatus quiſque, Principem nocere religioni Catholicæ, licere ei, vt conſilium capiat occidendi Principis, re tamen cum viris prudentibus communicata. Talia propugnarunt, *Bellarminus*, *Cardinalis Perronius*, & *Jeſuitæ* paſſim. videnda ſunt præſertim, quæ nuperis annis diſputata ſunt ab *Academicis Pariſienſibus Sorbonicis contra Jeſuitas*. Contra hos, præter Theologorum ſcripta, præſertim ſtrinxit calamum *Jacobus Magnæ Brit. Rex*, cuius aliquot opera in hanc rem exſtant; & *Guil. Barclaius* aduerſus *Monarchomachos*. Adde diſput. memorab. hac de re apud *Gramond.* anno huius ſæculi X, & XXV.

2. Quidam odio regni potius quam tyrannidis, ingenio ſcilicet contumaci & factioſo

prædicti, talibus ſcriptis tranquillitatem regnorum conuellunt. Neſcio an huc *Buchananum* referam, ob editum *Dialog. de jure Regni Scot.* certe malignitatem animi alias quoque prodidit. Si tamen velit quis humanius judicare, & ad ſequentem claſſem eum referre, nolo refragari.

3. Sunt enim inuenti, qui *partim* pulcritudine philoſophiæ, quam imbiberunt de optima regni ſpecie, *partim* ad terrendos hac veluti Gorgone tyrannos, *partim* ad ſeruanda priuilegia; cauſſæ ſuæ nimis ſeruierunt. In quibus omnibus propoſitis ſpecioſus libertatis titulus & illecebra ſubeſt. Huc retulerit aliquis *Hotomanni Franco-Galliam*, & ſi qui ſunt non multum diſſimiles.

4. Nonnullos calor diſputandi aduerſus fautores & adulatores tyrannorum longius euexit, quod de *auctore Anti-Machiauelli, Gentiletto* ſc. non abſurde credideris.

5. Quibuſdam religionem incipientem & adoleſcentem inter homines diuerſa ſentientes talibus ſchematibus munire conſilium & jus fuit. Hugonotis in Gallia id ſæpe tribuitur. Merito tamen viris grauibus religio fuerit, religionem cum præiudicio juris regii, quod & ipſum pars eſt religionis (ſiue, de quo recte ſentire, pars eſt religionis) tueri. Veritas enim adiumenta non niſi ex veritate petit.

6. Multi ſecuritate quadam ſcribendi, ſiue potius deſcribendi, auctoritatem Scriptorum, in

in quos inciderunt pro ratione amplexi, aliorum errores suos fecere.

Quid de *Junio Bruto* dicemus, *auctore Vindiciarum aduersus tyrannos?* in quo (siue is est *Languetus* (de quo non dubito) sive is, quem Grotius autumat in discussione Apologetici Riuetiani) videntur concurrere ea, quæ 3. 4. 5. loco sunt posita: si humanissime judicandum sit. Scriptum tamen ipsum non sine ratione sæpius seditiosis annumeratur, neque dubitandum est, in animo id præcipue habuisse Arnisæum, cum tractatum suum dicit *oppositum seditiosis quorundam scriptis, qui omnem Principum maiestatem subiiciant censuræ Ephororum & Populi.*

Ponemus hypotheses eius præcipuas, quibus alienis aut falsis Gigantomachiam suam superstruit. Primo quidem speciose incedit disputando de iis, in quibus Rex præcipit Deo vetita, aut vetat Deo jussa; in quibus non obediendum esse, nemo negat. 1. πρῶτον ψεῦδος & hypothesis primaria eius est, Populum esse Rege superiorem, quia omnes Reges à populo constituantur. Hoc ad nauseam vsque inculcat, refutatum *Grotio* J. B. 1. 3, 8. 2. Obligationem Regis & populi esse vbique æqualiter mutuam. *Grot.* 1, 3, 9. 3. Magistratus & officiarios esse Regni consortes, participes, regum ephoros, populum repræsentare, adeoque illo respectu regibus superiores. 4. Reges omnes facit ministros populi, executores & administratores. 5. Subditos ad obedientiam, non ad seruitutem teneri.

Huc pertinet illa *libertas tacta & reseruata*, quæ nonnullis dicitur.

3. Inter titulos illos *Arcanorum* vocabulum celebre est. De quibus extat *Clapmarij* libellus. De natura arcanorum ac discrimine satis egimus ad 1.*A.Tac.6*.

4. Plerumque artes Regiæ & Tyrannicæ habent aliquid commune,ita vt differentiam vsus demum & circumstantiæ ostendant. Dictum hac occasione de *Aristotel. V. polit. cap.*10. & 11.

5. Omnis æstimatio Artium Monarchicarum (ita enim generali voce appellabimus) exigenda est ad status cuiusque rationem, scopum & finem.

6. Itaque Tiberii quoque scopus fuit Dominatio infinita, siue sine fine, quam appellat *Tacitus* 4.*H*.8,6.sed vt haberet schema & simulacrum libertatis, & optimi Principatus.

7. Secundum consilium, & consequentiæ quodam genere, priori illi destinatum, est: nihil pensi moderatique habere, dummodo finis ille obtineretur, nihil illicitum, nihil turpe credere, quod eo pertineret, si modo colore aliquo in publicum aut prætextu posset præscribi.

8. Ex quo apparet hic concurrere artes tyrannicas ex vna parte propositi Tiberiani, & natura principis, & flagranti desiderio obtinendi scopi: & artes Regias ex altera parte propositi,quę ad imaginẽ & schemaPrincipatus pertinet. Conferatur locus *Taciti* 6.*A*.51,5.

9. Dummodo meminerimus vnam eandemque artem ex schemate publico, quod sibi induit, Regiam videri, & esse, si hypothe-

ſis detrahatur: & ſimul reuera Tyrannicam, ſi ex hypotheſi Tyrannica æſtimetur.

Faciemus membra huius breuiarii ex præcipuis Reipubl. partibus. Illud per ſe erit manifeſtum, quæ nouo Principatui, quæ adulto, quæ perſonæ, quæ domui, quæ dominationi, quæ imperio propiora; quæ item dignitati aut ſecuritati deſtinata ſint. Eamus cum eo in curiam; reuertamur cum eo domum; inde quid ad populum, ad Prouincias deſtinauerit molituſque ſit, noſcitabimus.

I.

1. Quid Tiberio in curia & ad curiam propoſitum fuerit, ex conſilio Salluſtii Criſpi explicari poteſt 1. A. 6. illius enim conſilii regula in maximis Tiberio ac præcipuis fuit.

2. Sed quia tutiora ſunt & efficaciora conſilia ſtatus, cum ignorantur, ſimulauit aliud, quam in animo erat: & cum omnia Senatus arbitrio ſubtrahere, ſuo autem vindicare ſtatuiſſet, quaſi augere vellet Senatus Maieſtatem & poteſtatem, præ ſe tulit. Huc pertinent, quod per Coſſ. ab initio ſtatim omnia incepit, tanquam vetere Rep. 1. *A.* 7, 3.

3. Quod Ariſtocratiam ſuaſit & commendauit, 1. *A.* 11, 4.

4. Quod per Acciſmum plane recuſauit imperium. 1. *A.* 11. *& ſeq.* de quibus locis in annotatis noſtris agitur.

5. Quod non permiſit in acta ſua iurari tanquam incertus nec ſecurus adhuc potentiæ. 1. *A.* 72, 2.

6. Certamina Senatorum non interrupit, ſed

sed libere dissentientes cum silentio audiuit, eaque simulacra libertatis Senatui præbuit. 1.A.77,2. 2.A.35,4.

7. Negotia ad Senatum disceptanda remisit. 1.A.79. 3.A.60. It. 2.A.30,6.

8. Passus est secum & cum suis legibus agi, domumque à Repub. distinxit. 2.A.34, 5. 2.A.51,3. 3.A.24,8. 4.A.7,1.

9. Aduersus suam sententiam passus est quædam decerni. 2.A.39,6.

10. Ad Senatum quædam maiora etiam reiecit. 1.A.25,5. 2.A.66,1. 3.A.10,5.

11. Sententiarum libertatem noluit impedire exemplo suæ & suorum sententiæ. 3.A.22,6.

12. Precibus à Senatu petit pro liberis priuilegia. 3.A.29. & honores. 3.A.56,5.

13. Queritur, quod Senatus cuncta curarum reiiciat ad Principem. 3.A.35,1.

14. Imo plane rogat, vt consules seu quis alius regimen rerum susciperet. 4.A.9,2.

In his omnibus securitatem suam fundare voluit; vt his imaginibus allicefactus Senatus, sub schemate antiquæ dignitatis, tanquam sub veste decora, seruitutem suam partim ignoraret, partim ferret patientius.

Interim, ne his artibus vis Principatus resolueretur, miscuit artes directe Monarchicas.

15. Maxima quæque sibi vindicando ac apud se retinendo. Huc spectat, quod in caussa Hortali inclinationem Senatus incitamen-

mentum habuit promtius aduersandi. 2.A. 38,1.

16. Quod suæ potestatis eminentiam ex occasione grauiter inculcauit. 3.A.53,3.

17. Quod in caussa ad Senatum remissa omnia sibi integra postulauit. 5.A.5,1.

18. Quod libertatem egrediendi in dicenda sententia grauiter perstrinxit. 2.A.33,5.

19. Quod arcana imperii statim & aliud agendo vindicauit. 2.A.36,2.

Hinc subtilia & vera Taciti judicia. 2.A. 57,1. 3.A.60,1.

II.

Circa Leges.

1. Hic præcipua Tiberio Lex fuit, legum vim soluere, ac in se trahere, id vt securius & speciosius faceret.

2. Patrocinium & curam legum in multis suscepit: prouidit in judiciis vt valerent. 1.A. 75,1.

3. Ciuilissima sententia professus est, minui jura, quoties gliscat potestas, nec vtendum imperio, vbi legibus agi possit. 3.A.69,3.

4. Passus est secum legibus agi, de quo cap. præced. 8.

5. Sed miscuit vim dominationis. itaque lætatus est, quod Senatus inter filios suos & leges disceptaret, & lex victa esset. 2.A.51,3.

6. Alibi filios suos legibus solui rogauit. 3.A.29,1.

7. Etiam aliquos amicitia Augustæ supra leges efferri siuit. 2.A.34,3. 3.A.15,1. 3.A.17,2.

8. De-

8. Denique lege maiestatis, & delationibus tanquam vna litura ceteras leges deleuit. de qua re supra.

III
Circa Domum suam.

1. Quanquam autem, vt modo dictum est, libenter pateretur, suos super auctoritatem legum extolli, quatenus is honos in ipsum redire, & ad splendorem firmitatemq; regnatricis domus pertinere videbatur; tamen, ne suæ maiestati aut potestati præiudicium inde crearetur, prouidens statuit: arcana domus ad arcana dominationis referri & exigi debere, juraque cognationis cedere juribus imperii.

2. Hinc est, quod arcanum dominationis, de non ingredienda, absque permissu Principis, Ægypto, à Germanico tentandum non fuisse, præ se tulit. 2.A.59.3.& 4.

3. Neque supra suum fastigium extolli aut sibi æquari passus est Liuiam. 1. A. 14,1. & 2. 5.A.2,1.&c. 3.A.64,2. aut Agrippinam.3,4,3. 1.A.69,3. aut liberos eius. 4.A.17,2.

4. Germanici potentiam interrupit & imminuit. 2.A.26. 2.A.42. æmulos ei dedit. 2.A. 43,6. & amolitus est eum periculisque obiecit. 2.A.51,1. Quanquam, quæ ad Agrippinam & Germanicum pertinent, mere tyrannica sunt, sed sub colore politico vsurpata.

5. Seiano matrimonium Liuiæ petenti negauit. 4. A.40.

6. Agrippinæ votum de matrimonio, quo puta-

putabat multum è Republ. peti, interuertit. 4. A. 53.

IV.

Circa Viros Eminentes, aut præclare meritos, & magistratus, administrosque.

1. Hic neminem eo vsque attolli passus est, vt ipsi obligatus crederetur.

2. Talem jactantiam in Silio ferre non potuit. 4. A. 18, 2.

3. Quanquam in exemplo Getulici inflexit hanc suam monarchicam hypothesin callide, & tempori prudenter cessit. 6. A. 30.

4. Eminentium virorum ingenia noscere studuit, vt eos diligentius obseruaret. 1. A. 13, 1. &c.

5. Hinc emissarii, omnia eorum dicta factaque scrutantes. Qua de re supra, cum de delatoribus ageretur.

6. Opes, virtutes, claritatem suspectauit, depressitque & imminuit tales quantum potuit.

7. Et quanquam omnia magistratuum munia occupauerat, tamen suam consulibus, suam prætoribus speciem reliquit, minorum quoque magistratuum potestatem exerceri passus est. 4. A. 6, 4. neque infringi jus consulis siuit. 4. A. 19, 2. consulatum quasi attollere videbatur, dum filium suum munia consulatus, absens ipse, solum implere voluit. 3. A. 31, 2. licet reuera Drusi auctoritas inde augebatur.

8. In

8. Inuidiosa quæque, castigationes, obiurgationes magistratibus per speciem augendæ potestatis reliquit. 6.A.13,2. & 3. etiam suos damnandi officio subtraxit. 3.A.22,6.

9. In partem fauorabilium venire passus est, si laboriosa erant, & per modum ministerii, sicut 3.A.28,6. aliquando imaginem præbuit, quasi venissent in communionem, aut venire deberent, licet interim satis arcerentur, vt in largiendis præmiis & honoribus. 3 A.21,3. 3.A.35,1.

10. Quia omnes viros illustres admittere ad Rempub. periculosum suo, & nouo, Principatui duxit, 1. mediocres potius quam excellentes ad curas publicas vocauit. 2. itemque obsequiosos & Principatui amicos. 2.A. 52,6. 6.A. 39,3. 3, eminentes autem sicut non admittebantur statim. 1.A.80,4. ita titulo tenus ac specie admissi videbantur, reuera exclusi, dum retinebantur in vrbe. 1.A.80,5. 3.A.47,2. 4. idque ne agi videretur, penuriam idoneorum ad officia virorum questus est Princeps. 6.A.27,3. 5. atque exorta negotia ardua dissimulabat. 4.A.74,1.

11. Interim adiutores magnarum rerum, quibus carere magna nequeunt imperia, mirâ arte lecti. qualis Sallustius Crispus, 3.A.30. & Seianus, 4.A.1. iique publice honoribus ornati, postquam de fide eorum non est amplius dubitatum. 3.A.72,3. 4.A.2.

12. In puniendis magnis viris imagine cognitionis lusit. 3.A.17,6. etiam dilatione cognitionis. 6.A.23,2. clandestinis quoque

pœnis in ſecreta palatii parte locus fuit. 2.A. 40, 6. Etiam ſigna mortis miſſa, & demonſtrata potius quam illata mors. 6.A.40,3.

V.

Erga Populum.

Ad populum phaleras. Populi jura cum in ſe traxiſſet Tiberius, ſubinde tamen hominibus os ſubleuit, & vel fefellit pleroſque aut placauit. Ita Comitiorum juribus ſibi vindicatis, imaginem tamen comitiorum ſine re permiſit, varioque vultu adornauit. 1.A.15. 1.A.81.

2. Inanes populi rumores ſuper his & aliis negotiis neglexit, dicens in ciuitate libera liberas linguas eſſe oportere. 2.A.50,2. (Confer *Sueton. Tiber.*28.) ratus vulgus, feruidum verbis, nec vltra auſurum. 3.A.10,4. 3.A. 44,4.

3. Variis imaginibus munificentiæ & clementiæ à ſenſu eius, quod agebatur, auertit populum; de qua re mox.

VI.

Erga Milites.

In militibus munimentum Principatus, præſertim in prætorianis. quos nouis juramentis à ſe obſtrictos ſemper circa ſe habuit. 1.A.7,5.

2. Eorum curam & beneuolentiam à nemine paſſus eſt captari. 6.A.3,2.

3. Exercitus per prouincias ab initio principatus tumultuantes, mirâ arte & temperamento

mento compositas fefellit, adultoque Principatu reuocauit, quæ ante concesserat. 1. A. 78, 3. 4.

4. Atque vt securior esset, maximis exercitibus filios præfecit. 2.A.44,1. qui hac ratione & ipsi ad fastigium Maiestatis admouebantur paulatim.

VII.

Erga Externos.

Jam primum firmum illi destinatumque, astu res externas moliri, arma procul habere. 6.A.32,1. 2.A.65. & 67.

Ex hoc principio fluunt ista, quod Archelaum pridem sibi inuisum structa fraude circumuenit. 2.A.42. quod Maroboduum illexit, cuius meminit *Tacitus* 2.A.63,4. explicat *Velleius* 2.129.4. quod specie pacis firmandæ discordiarum semina exteris iniecit per Drusum. 2.A.62,1. 2.A.46,7. quod Artabano æmulum dedit. 6.A.32,5.

VIII.

Arcana præsidia & instrumenta talium consiliorum, quæ & ipsa sunt artificia dominationis.

Tale est inuentum ἀποθεώσεως, & consecratio Augusti. 1.A. 2,1. & diuini honores exacti vindicatique. 1.A.73,2.& 3. 2.A.50,2. Augusti diuinitas successoris munimentum scilicet fuit.

2. Hinc judicia & lex Maiestatis immensum ampliata, de qua re supra.

3. Vtramque autem paginam constituit simulatio & dissimulatio, quam per membra quædam notabimus;

In occultanda animi sententia.

Cum minime Regium duceret, sensus Principis profanis obtutibus patere, ambigua & implexa oratione vsus est, qua sibi semper integram interpretationem reseruauit. 3. A. 51,2. & eos, qui penetrassent aliquando in animum eius, auersando exterruit. 4. A. 17,3. Atque hanc simulationem non nisi cum vita dimisit. 6. A. 50,1. Qua re duo assecutus est: Vt nullo se præiudicio illigaret, expresse aut præcise agendo. 3. A. 56,3. & vt in aliorum mentes prorsus penetraret. 1. A. 7,8.

In formanda ad decoram speciem oratione.

Interim cum dignitatem curia, aut negotium auctoritatem postularet, speciosissimo ore & compositis in publicam magnificentiam verbis vtebatur. Dici enim non potest, quantum faciat ad vim imperii dictio honora, oratio fauorabilis, speciosa responsio. Exempla in responsis, orationibus, epistolis, habes. 1. A. 81,3. 2. A. 26. & 36. & 43,1. 3. A. 6. & 12. & 47,2. & 53. & 69. 4. A. 37. & 40. 6. A. 29,3.

In virtutibus simulandis.

Virtutes artificiose & ad splendorem Maiestatis vsumque regnandi dispensauit, e. g. Clementiam 2. A. 40,7. 2. A. 42,2. 3. A. 18,2. 3. A. 69. 4. A. 31.

Libe-

Liberalitatem & munificentiam. 1.A.75,2. 2.A.37. & 38. 2.A.47. & 48. & 50. 2.A.86. & 87. 4.A.64,2. 6.A.17. 6.A.45,2. vt populus tempestiue lætioribus factis recrearetur. Iustitiam erga exteros etiam præ se tulit. cum enim plerumque fraudibus vti destinasset, gloriose flexit, & proditionem in Arminium oblatam respuit. 2.A.88,1. & 2. Domi autem cum tristiora exempla edidisset, ministros facinorum atrocium, veluti piaculares victimas, votis & affectibus populi, populariter scilicet immolauit. 3.A.37,1. 6.A.26. & 30. Speciem modestiæ & magnanimitatis vide 4.A.8. 4.A.13,1. 5.A.2,1.

In auctoritate & fama tuendis ostentandisque.

Talia sunt inuenta: Adulationes reprimere & tolerare. 2.A.87,3. 3.A.47,5. 3.A.59,2. 3.A.65,3. 3.A.71. 6.A.2. & 3. tristia occultare. 1.A.24,1.

Maiestatem ex longinquo militibus ostentare. 1.A.47. & absentia apud ciues integrare. 4.A.4. 4.A.57,2.

Caput rerum non omittere, arcemque imperii insidere. 1.A.47,1. fortuita quæque in gloriam trahere. 2.A.84,2.

Sacra imperii & pignora tam diuina quam humana obtegere. 1.A.76,2. talia partim in *annotatis ad Tacitum* explicauimus copiose, partim ex *Clapm. Arc.* peti debere indicauimus.

DISSERTATIO XVII.

De Politica Aristocratica, siue de optimatium ingeniis.

Ad Taciti 4. *A.* 33, 2.

TAcitus prudentiam Politici in Repub. Aristocratica hoc fine terminauit, vt qui *Senatus & optimatium ingenia maxime perdidicerant*, *callidos temporum & sapientes* creditos dicat.

Ad hunc locum annotabimus hac vice, siue potius explicabimus, quæ continentur illis verbis. Si prius monuerimus, disputationes generales de Aristocratia aliunde petendas esse. e. g. An & vbi Aristoteles ex professo de Aristocratia egerit? An recte definiuerit eam, & quomodo omnino definienda sit? An Oligarchiæ vocabulum recte Aristocratiæ aptetur? Quæ sint Aristocratiæ commoda & incommoda? Quæ sit Oligarchia specialiter ita dicta, & quot sint eius gradus? &c.

Hæc, ne multos nunc citemus, petenda sunt partim ex *Bodin. de Rep.* 2, 6. *&* 6, 5. partim ex *Arnis. Relect. Polit.* 2, 4. vbi etiam pro Aristotele & contra eum disputatur.

In loco Taciti

Notanda 1. communis ὑπόθεσις, sermonem esse de prudentia politica speciali ex parte sumta, cum e. g. qui in Repub. Aristocratica viuit,

viuit, non contentus generalibus regulis & notitiis politicis, seorsum diligenter & accurate, quæ ad Aristocratiam pertinent, comprehendit animo, judicioque discernit. Idem de eo scilicet censendum est, qui in Democratia naturam vulgi probe cognouit, rerumque popularium peritus est, qualem *Liuius* (3, 51.) Icilium describit. idem de regno censendum est.

2. Atque talis prudentiæ propositum studiumque viro politico demum dignum esse judicat: Hanc veram & vitæ accommodatam ciuilem sapientiam laudat.

3. Quippe genuinum prudentiæ politicæ characterem definiri calliditate, hoc est, solerti intelligentia temporum: scilicet sapiens politicus, sui seculi, suæ Reip. suorum temporum homo esse debet; Neque quæ illi & isti, sed præcipue, quæ suæ Reip. vsui sunt, siue quæ suæ Reipub. indoles, ingenium, habitus, nosse debet.

4. Hæc calliditas siue profundior & solertior quædam sapientia dicitur: quia ingenio callido siue solerti sagacique, studioque & obseruatione singulari opus est, non tantum ad noscendam Reipub. formam, quæ sæpe aliud schema præfert, & diuersum à naturæ suæ rationibus, sed ad interiora momenta cuiusque formæ & status perscrutanda.

5. Accedit alia difficultas, à tempore. Vnde temporum callidos vocat tales politicos. Tempus enim siue cum manet formaReipub. multa inducit & interius insinuat, noua, singula-

gularia, denique ad momenta ſtatus, quanquam in eadem forma manentis,pertinentia: Siue cum formæ aliquid accedit, vel temperamento, vel inclinatione, vel immutatione quacunque, temporis iſte character & quaſi partus eſt. Præcipuum Politici opus, tempore recte vti. Hinc *Theophraſtus* quondam ſcripſit, πολιτικὰ πρὸς τοὺς καιροὺς, *opus Politicorum ad tempora,* ſcilicet *quæ eſſent in* ...*p. inclinationes rerum & momenta temporum, quibus eſſet moderandum, vtcumq; res poſtularet,* ſicut explicat *Cicero de Finib. V.*

6. Continetur itaque hac deſcriptione proxima ſimul & potiſſima vtilitas & virtus talis politicæ, ſiue viri vere Politici: vt poſſit ſuæ Reip. vtilis eſſe ac vere accommodatus.

7. Sed non oportet perfunctoriam eſſe hanc ſapientiam. Nam vox *perdiſcendi* accuratum quid & perfectum notat, ſimulque ſuppeditat deliberationem de præſidiis, cauſſis & inſtrumentis talis ſapientiæ. quod membrum tamen in ſequentia differemus. Nunc autem de materia præſenti huius prudentiæ dicemus;

Siue De ingeniis Optimatium.

1. Coniungit *Senatum* & *Optimates*; quæ duo alias diligenter diſtingui oportet, in hac materia de Ariſtocratia, quod recte monet *Bodinus* aliquoties. Neque enim ſtatim optimates ſunt, qui Senatus nomine indicantur: neque in ſtatu optimatum ſemper idem ſunt ſenatus & optimates. Sed in Repub. Rom.

eo

eo tempore, quo Ariſtocratia valuit,ſiue præualuit, non alii optimates, quam Patres ſiue Senatus. vnde, etiam cum de mixtura ſermo eſt, pars Ariſtocratica ſemper Senatorum & Patrum titulo indicari ſolet Romanis Scriptoribus.

2. Intelligit autem totam rem Ariſtocraticam, ſiue totam prudentiam Ariſtocratiæ debitam ac deſtinatam.

3. Quod *ingeniorum* potiſſimum deſignatione & vocabulo definit, id erudite, nec minus philoſophice factum, putare fas eſt. In forma enim Reip. tum conſtituenda (quando præſertim de inclinatione aut mutatione quadam agitur) tum moderanda, habitus ingenii multum poteſt, imo omnia regit.

4. Non enim ingenium hic de naturali facultate illa, ſed de morali diſpoſitione, certiſque ingenii propoſitis, ſtudiis, votis, regulis, ad certas actiones, aut finem practicum directis accipi debet.

5. Quaſi quis ſpecialius interpretando diceret: *ingenia Senatus & Optimatum* eſſe hoc loco *omnia illa propoſita, ſtudia, inclinationes, inuenta, regulas, artes, moreſq́, quibus viri vere Ariſtocratici, ad Ariſtocratiæ ſtatum vel inſtituendum vel firmandum adminiſtrandumq́, habitum ſuarum actionum, ſuaq́ politica, vt ſic dicam, formant inſtruuntq́.*

6. Conſiderabimus quædam potiora & in ſummam colligemus. Partiemur ita, vt quædam referamus ad *ingenium ipſius Ariſtocratiæ*:

nonnulla ad *ingenia optimatium*, siue qui Aristocratiam constituunt, eique præsunt.

7. In Aristocratia, quo maior habetur virtutis ratio, eo firmior sperari potest status. Itaque quum ex optimis simpliciter vix vnquam constitui Resp. Aristocratica potest, tamen cum genere aut diuitiis coniungi debet requisitum integræ famæ, & vita sine labe acta.

8. Adeoque leges ferendæ, quibus virtus & honestas optimatum seuere custodiatur. Huc enim proprie spectat lex illa Rom. ap. *Cic. 3. de ll. is ordo vitio careto. Ceteris specimen esto.* Et in formula censoribus præscripta: *probrum in Senatu ne relinquunto.*

9. Cumque omnia in hoc statu ad grauitatem & auctoritatem referenda sint, maximum opus & consilii summa in eo esse debet, vt legitimum interuallum inter populum & patres constituatur, & custodiatur.

10. Idque cum differentia quadam & diuersitate à regno. Licet enim maiestas Aristocratica Patrum eadem sit, quæ Regis in Regno, si vim & naturam ipsam spectes; tamen forma & schema, & facies diuersa est, & ad ciuilem æqualitatem propius accedit. Rex è sublimi venerandus conspicitur: Optimates è proximo, & quasi inter ciues præfulgent. Hinc omnis Regni species inuisa in optimatibus. quod exemplo Decemuirorum *Liuius* ostendit III, 36.

11. Licet autem fundamentalis ratio status Aristocratici sit, plebem à communicatione honorum & potestatis discludere, nunquam tamen

tamen procedit illud consilium, nisi populo tam voluntas imperandi, quam potestas adimatur. Quod fit per temperationem quandam Democraticam quam vocant, aut per simulacra Democratica, qualia vide ap. *Clapm. Arcan. II,2. & seq.* Ita *Bodinus de Rep. VI*,4. laudat Remp. Venetam; quod cum plebe communicet minores aliquot magistratus & curationes, locupletiores autem è plebe affinitatibus conciliet Patriciis, & pecunias mutuo ab ipsis sumat.

12. Igitur, cum auctoritas Patrum & sanctitas in maius extollitur, & schematibus quibusdam exornatur, semper videndum ne quid nimis. i. e. ne populus sentiat aut credat, in contemtum suum aut iniuriam talia excogitari aut vsurpari. Exempla habemus in caussa *Auspiciorum* & *Matrimoniorum* ap. *Liu. lib.*4. & 6. *Auspicia quidem adeo propria patribus erant, vt, non solum quos populus creabat patritios magistratus, non aliter quam auspicato crearet; sed patres quoq; ipsi suffragio populi auspicato interregem proderent, & priuatim auspicia haberent, quæ plebeii ne in magistratibus quidem habebant*; sicut vere prædicat Appius apud *Liu.* 6,41. Sed in hac re inculcanda non temperatum est verbis ad contemtum plebis pertinentibus, sicut & in caussa matrimoniorum accidit. Illustris locus est ap. *Liu. IV*,5.

13. Dum de honoribus sermo est, non omittenda videtur ars illa, qua optimates vsi sunt in submouenda à magistratibus plebe, apud

Liu.

Liu.4,55.& 57. verba Historici sunt: *artem adhibitam ferunt à patriciis, quod turbam indignorum candidatorum intermiscendo dignis, tædio sordium in quibusdam insignium, populum à publicis auertissent.* Et postea: *itaq; sicut priore anno per indignissimos ex plebeiis candidatos omnium etiam dignorum tædium fecerunt: sic tum primoribus patrum splendore gratiaq; ad petendum præparatis omnia loca obtinuere, ne cui plebeio aditus esset.*

14. Tota igitur ἀντιπραγία Aristocratica aduersus plebem, quantum fieri potest, occulte potius, quam aperte exercenda; nec speciem certaminis, aut oppositionis, sed formam studii in Remp. & curæ pro populo habere debet.

15. Est autem illa Antipragia facilior, exercerique rectius & plenius potest in Aristocratia vere & mere tali. At vbi mixtus est status populariter, res vehementer ardua.

16. Inter duo quippe ancipitia cedendo & indulgendo interdum placatur populus, sicut ap. *Liu. industria, æquitas, altitudoq; animi* in populo laudatur 4, 6. dum contentus fuit, quod ratio habita esset plebeiorum in comitiis; omnesque patricios creauit: interdum vero indulgendo cedendoque ad plus petendum irritatur, sicut multoties accidit.

17. *Adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando, ita se quisque extollit, vt deprimat alium, in difficili est; cavendoque ne metuant homines, metuendos vltro se efficiunt: & iniuriam à nobis repulsam, tanquam*

aut

aut facere aut pati necesse sit, iniungimus aliis. Quod grauissimum de tali statu *Liuij* iudicium. 3,65. Confer 3,63.

18. Talia enim certamina in factiones degenerant, inter quas Aristocraticæ auctoritati nihil tutum & firmum est. Hinc non veretur *Sallustius orat. 2. de Rep. ord.* pronuntiare, in talibus certaminibus *semper nobilitatis opes diminutas, & jus populi amplificatum esse.* Quod de summa talium certaminum est verissimum. Quæ tamen vitari vix poterunt in Rep. Aristocratica populariter mixta. Hinc omnes patriciorum artes pæne coniunctæ ap. Romanos, neque tamen in tranquillo locari potuit Resp. quin statim prior tempestas consurgeret.

19. Sæpius tamen in talibus certaminibus moderatio Patrum laudari potest quam asperitas. sicut infra exemplum Quintii ostendet. Vnde ap. *Liu.* 3,67. bene dicitur: *Discordia ordinum est venenum vrbis huius; patrum ac plebis certamina, dum nec patriciis imperij, nec populo libertatis modus est.* Rogatur ergo ab ipsis Optimatibus Appius ap. *Liu.* 2,57. *vt tantam consularem maiestatem esse vellet, quanta in concordi ciuitate esse posset. dum tribuni consulesq; ad se quisque omnia trahant, nihil relictum esse virium in medio, distractam laceratamque Remp. per magistratus: magis, quorum in manu sit, quam vt incolumis sit, quæri.* Confer *Sallust. Jugurth.* 41.

20. Erat quidem solennis ars Patriciorum in concertationibus eiusmodi, tribunos disiungere, & aliquem ex collegio tribunorum suis

suis partibus conciliare, vt intercessione eius ceterorum collegarum aduersus Patres molitiones reprimerentur. Confer *Liu.* 2, 44. vbi Ap. Claudius: *victam tribunitiam potestatem* dicit, *in præsentia, re ipsa; exemplo in perpetuum: quando inuentum sit, suis ipsam viribus dissolui. Neq; enim vnquam defuturum, qui gratiam partis bono publico velit quæsitam; & plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum paratos fore; & vnum vel aduersus omnes satis esse.* adde *c.56.* & alia loca. Interim tamen id telum Aristocraticum, gliscente certaminis pertinacia, ad extremum non valuit. Sicut discas licet ex *Liu.6,35. & 36.*

21.Præcipuum itaque firmamentum omnis Aristocratiæ est concordia ordinum, si mixtus sit status; aut optimatum inter se, si pura sit Aristocratia. Hinc leges seuerissimæ & sanctissimæ ferendæ sunt, quibus inter optimates concordia illibata sanciatur, aut, vbi labare cœpit, statim & priusquam in neruum res erumpat, reconcinnetur. Non enim semper sperari potest, nisi legibus sanciatur, egregia illa moderatio, quam in patribus & magistratibus *Liuius* describit *lib.6. cap.6.* collegæ Camilli fatentur, *sibi destinatum in animo esse, Camillo submittere imperium, nec quidquam de maiestate sua detractum credere, quod maiestati eius viri concessissent.* Vereque tunc iactatum est à patribus: *Se bene sperare & de bello & de pace, vniuersaq; Rep. nec dictatore vnquam opus fore Reip. si tales viros in magistratu habeat, tam concordibus animis junctos: parere atq; imperare juxta*

juxta paratos, laudemq; potius conferentes in medium, quam ex communi ad se trahentes. Confer vtile exemplum ap. *Liu.* 3, 70.

22. Huic concordiæ vehementer inseruiet, si singulorum optimatium ambitioni itidem validus obex ponatur. In quam rem complures sunt artes: vt, cum magnis imperiis & magistratibus modus imponitur, ex collegarum æquato jure; cum honorum inania interdum eo magis multiplicantur, quo plus potestati detrahitur. Vnde obseruatio Aristocraticæ Politicæ: Quo plus speciei & honoris in vno aut altero fulget, eo minus juris siue virium subesse, & contra. Censura etiam optimatum actionibus destinanda est, an se teneant intra concessa legibus, quas semel impune egredi non liceat. Largitiones præsertim vitandæ.

23. Puniendi tamen sunt sæpius clanculum, neque supplicio capitali facile, si Politicos hic auscultamus. Quamquam hæc talia temporum & negotiorum conditioni aptari debent.

24. Disciplina curiæ seuerissime & compositissime sancienda. Altercationibus enim curiæ sæpe ad factiones venitur.

25. Circa familias porro singularis cura versari debet, ne factionibus occasio patefiat ex jure illimitato & libero nobilium familiarum. Illustrat hoc exemplo Reip. Venetæ *Janus Langlæus Semestr.* 7, 3. vbi disputat: Fratres duos in consessu Senatoria aut alia dignitate ornari non debere.

26. In-

26. Inter præcipuas obseruationes est illa *Bodini VI,4. Optimatum cœtibus magistratum aliquem perpetuum* (ex optimatibus scil.) *præesse oportere, veluti cardinem fixum, in quo ciuitas magistratibus perpetua varietate mutatis acquiescat.* Hinc pendet etiam

27. Vt summa quæque in Rep. & arcana imperii non in toto cœtu, sed inter paucos deliberentur, quod Venetis vsitatum. nam inter plures perturbatus exitus consiliorum. Addi tamen debet repagulum licentiæ & abusus.

28. An felicior & stabilior sit Aristocratia, quæ paucioribus optimatibus permissa est, quam quæ pluribus, disputari etiam solet. Prius *Bodino* placet 2,6. contra quem disputat *Arnisæus.* Fortasse tamen non manet disputatio in statu controuersiæ, & terminis præcise sumtis.

29. Summa omnis administrationis Aristocraticæ est; ne Principes siue Optimates inter se dissentiant; & ne plebi iniuria fieri videatur. Ex quibus rebus mutationes existunt.

Hactenus de iis, quæ ad ingenium Aristocratiæ referuntur, quædam annotauimus. Sequuntur, quæ ad ingenia optimatum pertinent.

1. Ingenia optimatum non vane (sicut *Bodinus* autumat, dum definitionem Reip. ex virtute sic fieri credit) *Cicero in oratione pro Sextio* prolixe, & reconditis sententiis ita describit, vt pro optimatibus habeat, qui Reip. student,

dent, eiusque dignitatem & securitatem, optimis consiliis, artibus, actionibus, iuuare & ornare sibi proponunt. Ita enim secernuntur à vulgo, cui Resp. parum curæ, Verissimum itaque est, hunc præcipue characterem aristocraticum esse, Reip. se totum tradere, inque eius commodis & vsibus omnem suam operam dignitatemque constituere.

2. Et quia de moribus propositisque moralibus & artibus hic sermo est (quas nemo, nisi sophisticè, excluserit) seorsum virtutes Aristocraticæ sunt: Studium dignitatis, cura famæ accuratior, auctoritatis parandæ firmandæque diligentia, grauitas, magnitudo, animi constantia, fides & amor in Remp. moderatio, prudentia, honestæ artes & litteræ, eloquentia, &c.

3. Exempli caussa quædam adducemus, potissimum ex *Liuio*. Prodeat primum Quintius, cuius nobilis & huc proprie pertinens descriptio ap. *Liu.3,69.* explicata. confer præsertim *IV,*11.

Camillus V,21.25.27.30. &c.
Seruilius & Ap. Claudius diuersi 2,23. & 27.
Id. Appius 2,56. & 57.58.
Sempronius 4,44.
Fabii 2,47. & 3,1.
Coriolanus 2,34. & 35.
Æmilius 3, 1.

Adiiciendum nunc est aliquid de præsidiis & instrumentis prudentiæ Aristocraticæ, ad

quæ *Tacitus* nos vocat, dum *perdiſcenda* ingenia optimatum monet.

1. Itaque Natura ſiue naturalis propenſio inclinatioque huc pertinet, ſicut de Claudiis fatetur *Suetonius in Tiber.* 2. ad quem locum, in diſſert. noſtra, aliqua annotata ſunt.

2. Obſeruatio diligens & experientia.

3. Studia & inſtitutio. Dabimus ſummam: Pone hominem, ingenio ciuili & practico natum, adoleſcere ad latus virorum Politicorum, auctoritateque & vſu præſtantium, horum dicta factaque obſeruare; accedere ſtudia, & ciuilis vitæ rudimenta: tum ſtudia continuari in ipſa dignitate & occupatione ciuili, quæ niſi omnia coniungat, ſemper hebetior erit: habebis, quem quæris.

Sed de ſtudiis nunc eſt quæſtio, vbi commendamus 1. Philoſophiam de Ariſtocratia & Oligarchia (quarum altera ex altera recte intelligitur) ex optimis quibuſque Scriptoribus Politicis repetitam.

2. Præſertim lectionem Hiſtoricorum, qui Reſp. Ariſtocraticas aut mixtas, denique quæcunque liberæ appellantur, deſcripſerunt. E.g. Rom. Reip. hiſtoriam, ab expulſis Regibus vſque ad Principatum Cæſarum: in qua hiſtoria ſine exemplo præcellit *Liuius*; inde *Dionyſius Halicarnaſſæus*, *Salluſtius* &c. Hiſtoria *Athenienſium*, *Lacedæmoniorum* &c. hodie *Genuenſium*, *Rhaguſiorum*, & inprimis *Venetorum*. &c.

3. In qualibus hiſtoricis ſingulari ſtudio perdiſcendæ ſunt *Ariſtocraticæ orationes*, Optimatium

matium. Quales in Liuio multæ ſunt eximiæ; de quibus non male poſſis dicere, quod de Pompeio Cic. ad Attic. I, 14. *Tum Pompeius μάλ' ἀριστοκρατικῶς (valde ariſtocratice) locutus eſt; Senatuſq; auctoritatem ſibi omnibus in rebus maximam videri ſemperq; viſam eſſe reſpondit, & in multis verbis.* Aliæ etiam nimis ariſtocraticæ videbuntur.

4. *Epiſtolas Ciceronis* ipſas, tum ad familiares, multas, tum ad Atticum pleraſque, ſingulare huius ſtudii præſidium pono; adeo ſunt multa & egregie perſcripta de ſtudiis Principum. Orationes quoque eius, præſertim, pro Sextio, pro Milone, itemque Philippicæ, plenæ ſunt philoſophia Ariſtocratica. Scriptores vitarum multa habent huc pertinentia. Item Tractatus de Senatoribus & Senatoriis artibus. E.g. *Laurentij Grimalij de Optimo Senatore.* Adde *Barclai. Icon. Anim.* & *Charact. Vellei. cap.* 4.

DISSERTATIO XVIII.

De Imperio populi ſiue Democratia.

Ad loc. Taciti ſuperior. Collat. cum 6. *A.* 42, 3. *& ſeq.*

Exemplum Seleuciæ.

MIxtus primo Seleuciæ ſtatus ex Ariſtocratia & Democratia.

2. Inde conuertitur ſtatus ex vſu Dominantis Artabani in Ariſtocratiam; vbi Ra-

tio ſtatus & conſilium Dominationis, quo etiam Lacedæmonii olim vſi, apud *Diodor. Sic.* 13. adde *Xenoph. hiſt. Græc. lib. 6. Arrian. lib.* 1. *Grot. I. B.* 3,15,8.

3. Democratiæ natura Regno maxime diſcrepat. Huic membro inſiſtemus.

Definitur autem Democratia per *libertatem*: *Populi imperium juxta libertatem eſt.* De homonymia politica *Libertatis* videndus *Graſwinckelius Libert. Venet. cap.* 1.

Circa hanc verſatur *Prudentia Democratica*, quam Tacitus commendat loco ſupra laudato 4.A.33. & *Virtus Democratica*, ſiue *Popularitas.*

Vtrique opponitur *Demagogica calliditas*, & *Tribunitia importunitas.*

I.

Prudentia Democratica

à *Liuio* in exemplo Icilii deſcribitur III, 51. *popularium rerum peritia*:] à *Tacito* (4.A.33.) *notitia naturæ vulgi, & quibus modis temperanter habeatur.* vbi *virtus democratica* ſiue popularitas includitur. Rurſus apud *Liu.* VI,36. *Sextius, Licinius, Fabius artifices jam tot annorum vſu tractandi animos plebis*, memorantur.

Natura vulgi

1. *Notitiam generalem* habet, non minus Principi ac optimatibus neceſſariam, quam Ciuibus Democraticis. Vnde *Lipſius* inter fundamenta Politicæ doctrinæ eam commendauit & propoſuit IV. *Polit.* 5.

Hæc ſicut abeſſe non debet, ita 2. *Specialis* quæ-

quædam notitia Prudentiæ Democraticæ tribuenda eſt; i.e. quatenus ſe habeat populus circa Reip. adminiſtrationem, in ſtatu populari. Tales ſunt notæ, quod

Libertatem omnis ſui voti actuſque finem proponit, in ea omne decus, omnem felicitatem conſtituit. Huc pertinet illud *Cic. ex orat. de l. Agrar. contr. Rull. Quid tam populare quam libertas? quam non ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videmus.*

Timet libertati, & in minimis maximis ei proſpicit. *Liu.* 2, 2. *Libertatis tunc prima cura erat, ac neſcio an nimis vndiq́ eam minimis quoq́ rebus muniendo modum exceſſerint.*

Hinc format ſibi regulam ſui ſtatus, & quaſi juris Democratici ſummam: *Non eſſe in Rep. debere, vnde periculum libertati foret: id ſumma ope tuendum eſſe, neq́ vllam rem, quæ eo pertineat, contemnendam. Liu.* ibid.

Vult coli & ſummam rerum quacunque occaſione ſibi vindicat: &, quoſcunque obſtare ſuæ potentiæ auctoritatique credidit, odit. Hinc ſuſpiciones perpetuæ & ſiniſtri rumores, calumniæ, inuidiæ, odia, in eminentes illuſtreſque viros. de qua re queritur *Valerius* apud *Liu.* 2, 7. Hinc illud *cap.* 9. *æquari ſumma infimis, nihil excelſum, nihil quod ſupra cetera emineat, in ciuitate fore.*

(Dictum hac occaſione aliquid de *Oſtraciſmo.*)

In mixta Rep. Optimates non ſocios, ſed aduerſarios credit. Quod ex tota *Liuiana* hiſtoria clarum eſt.

In certaminibus honorum & poteſtatis ſemper plus vltra tendit. Ap. *Liu.* IV, 54. à quæſtura communicata ſtatim conſulatum ſpectat.

In comitiis præſertim, dum regnum ſuum exercere vult, omnia non ſecundum leges, ſed ex lubidine animi ſui agitat. Vide *Liu.* V, 5.

Bellum facile ſumit, ſed tædio onerum militarium mox langueſcit. Hinc perpetua Romæ contentio.

Neque in aliis magnis conſiliis conſtantia vtitur. Ex incertiſſimis ſumit animos, aut ponit, *Liu.* VI, 23.

Amat Sycophantas & Demagogos & vehementia eorum conſilia. Sæpius tamen eos prodit ac deſerit, quod Memmius exprobrat apud *Salluſt. Jugurth.* 31.

Popularis gubernandi ratio, ſiue, τὸ δημοκρατικῶς πολιτεύεσθαι.

Hanc partem prudentiæ *Tacitus* ita deſcribit: *quibus modis natura vulgi temperanter habeatur.* Indicans

1. Libertatis naturam, (quæ libertas populari regimini eſt propoſita) eſſe in genere rerum mediocritate & moderatione gaudentium. Itaque Rebuſp. & earum ſaluti parum eſt idonea, niſi quodammodo inter ochlocraticam licentiam, & ſubiectionem meram, loco conſtituatur medio.

2. Itaque Prudentiam Democraticam totam

tam in eo esse, vt naturam vulgi, quæ immoderata est, ac libertatis veræ indolem attemperet: ne à fine & scopo communi Rerump. quod est bonum publicum, & à fine peculiari Democratiæ, quæ est libertas, aberret ac degeneret. Vtramque rem (& naturam libertatis moderatam, & naturam vulgi immoderatam) egregie expressit *Liuius XXIV, 25. Hæc est natura multitudinis; aut seruit humiliter, aut superbe dominatur. Libertatem, quæ media est, nec spernere modice, nec habere sciunt.*

3. Igitur hæc duo tam pugnantia, temperamentum sc. libertatis, & intemperantiam popularis ingenii, in harmoniam Politicam, ad salutem Reip. & firmitatem Democratiæ contemperare, opus est perdifficile & arduum prudentiæ & virtutis, quam Democraticam vocamus.

4. Sed de Popularitate quidem, quæ propria huius loci virtus est, in *Commentario Nepotis* abunde tractauimus.

5. Illud obiter notamus, Prudentiam Democraticam in constituenda ab initio Democratia maxime cerni. Male enim instituunt ab initio Democratias, qui non ad Taciti illam regulam ita instituunt, vt vulgi natura legibus & institutis Reip. temperanter habeatur. Democratia enim mere talis, seu nimis Democratica, nec stabilis est, nec ad salutem publicam commode administrari potest.

6. Duo autem sunt temperamenta, vt sic dicam, in constituendis Democratiis: 1. *accu-*

ratissima & sanctissima leges, quibus populus cum summa potestate summæ potestatis modum accipit, i.e. cum Maiestas quidem & summa potestas est penes populum; sed populus tamen legibus fundamentalibus & sancte receptis adstringitur ad talem administrandi rationem, quæ licentiæ ochlocraticæ viam occludit, & τὸ μέτριον τοῦ πολιτεύματος siue ciuilem temperatamque æquabiliter Reip. gerendæ consuetudinem conseruat. 2. *Ipsius formula temperamentum*, i.e. cum Democratia temperatur Aristocratice, & ad quandam honestatem ciuilem. Atque hæc *Solonis, Lycurgi* & aliorum ex veteribus, qui Resp. condiderunt, sapientia fuit. à qua infeliciter alii recesserunt. *Liuius* quoque promiscuam hominum colluuiem Liberæ Reip. parum idoneam censet II, 1. Hodie etiam vix inuenitur Resp. Democratica, quæ tantum & absolute ex libidine populi pendeat: sed, qui Dominus rerum est populus, sibimet ipsi constituit Dominam, Legem; vt obtineat ex bonis temperatisque rationibus, id quod summa potestas in ciuili societate quærit ac intendit. Quod contra eos notandum est, qui audito nomine Democratiæ statim nescio quam confusionem & vilitatem animo præcipiunt. cum deberent ante omnia disciplinam eius Democratiæ inquirere.

II.

Demagogica Calliditas & Importunitas. Quæ quid differat, & in quantum abeat à Pru-

Prudentiæ Democraticæ proposito atque temperamento, vel ipsa nomina declarant.

Sunt autem Demagogi *duces multitudinum, qui pretio* (aut ambitione & lubidine praua) *remp. vexare soliti erant.* describente *Sallustio* in *Catil.* 50. Horum mores artesque summatim sunt: Libertatem laxius interpretari, & licentia metiri: Temperamenta vel ad honestatem ciuium, vel ad auctoritatem magistratuum illustriumque virorum spectantia conuellere: Blandimentis legum, quasi ad tuendam aut augendam libertatem, populum inescare; & ad perpetua cum eminentibus viris certamina assuefacere: Omnia magistratuum consilia & facta suspicionibus & sinistris interpretationibus onerare: Affectus plebis, spem metumque, inflare, superstitionibus, exhortationibus, figmentis; Democraticis præsidiis, non Democratice, sed ochlocratice vti: Criminando optimates, aut opulentos, fauorem & gratiam vulgi captare: Pericula libertati imminentia fingere, seruitutem & regnum vaticinari: Eloquentia truci & feroci vbique vti: Conciones crebras habere. Quæ, & id genus alia, habes apud *Liu.* in oratione Quintii III, 68. *Tribuni vocis verborumq́ quantum voletis ingerent, & criminum in principes, & legum aliarum super alias, & concionum. Natura ita hoc comparatum est, vt, qui apud multitudinem sua caussa loquitur, gratior eo sit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt. nisi forte assentatores publicos, plebicolas istos, qui vos nec in armis, nec in otio esse*

 sinunt,

ſinunt, veſtra vos cauſſa incitare & ſtimulare putatis: Concitati, aut honori aut quæſtui illis eſtis: & quia in concordia ordinum nullos ſe vſquam eſſe vident, malæ rei ſe quam nullius, turbarum ac ſeditionum duces eſſe volunt. Adde bella tribunitia & artes apud *Liu.II,42,54.55. lib.III,9,19,65. lib.IV,43,44,48,54. lib.5,2,3.* & ſeq. 11. *lib.VI,5,6,* 27,34,35. & ſeq. *lib.VII,* 18, 21, 24. *lib.VIII,* 12. *lib.IX,33,34. lib.X,6,7,8.* Et quæ Cicero, aliique auctores de Tribunitiis furoribus conqueruntur.

Demagogis maxima ſuas artes exercendi occaſio in mixto ſtatu, qualis Romæ.

Vbi error, & morbus Reip. notandus; quod Tribunitiæ poteſtati non eſt modus, qui libertati & tranquillitati conueniebat, impoſitus.

III.

Vtriuſque autem & prudentiæ Democraticæ, & calliditatis Demagogicæ præſidia, arcana & *σοφίσματα*, itemque ſimulacra, ex parte notauit *Clapmarius Arcan.III,23. It. VI,* 10. *& ſeq.* Quanquam hæc talia vix eſt cognoſcere, niſi in exemplis.

IV.

Igitur hic commendandi ſunt 1. plerique auctores antea in Politica Ariſtocratica commendati, ob cauſſas antea explicatas, præſertim *Liuius, Halicarnaſſeus, Cicero.* 2. Singulariter Athenienſium res hic nominari debent; cum Græcis Oratoribus, inter quos *Demoſthenes unus* omnem pæne rem Democraticam optime eſt complexus; ſicut ex Hiſto-

ricis

ricis *Thucydides* eo nomine eximius habetur. Recentiores quoque addi historiæ debent: Helueticæ, &c.

Obiter

apud *Tacitum* expendi merentur Democratiæ Aristocratice temperatæ. *de morib. Germ. cap.* 11. adde *Grot. Batau. antiq. cap.* 2.

Et regula status (*cap.* 21, 2.) *periculosiores esse inimicitias juxta libertatem.* Sc. qui vult Democratiam durabilem instituere, seuerissimis legibus inimicitiis & litibus, etiam in judicio obicem & modum ponere debet.

DISSERTATIO XIX.

De Conuersionibus, Euersionibus, & Mutationibus Rerump.

Ad loc. Tac. 1. *A.* & 2. *H.* 38.

DE hac materia ex professo tractarunt singularibus operibus *Tilemannus* & *Zieritius de conuersionibus Rerumpub.* Nos ad hæc Taciti loca & exemplum Rom. Reip. quædam annotabimus.

1. Loquitur Tacitus in vtroque loco de conuersionibus & mutationibus Reip. Rom. non de euersione: Hæc enim alias distinguenda monuimus ad *Curt. l.* 4. 14. vbi in oratione Darii insignis de hac materia locus extat.

2. Mutationum in eadem Repub. frequentiam & vices, ac varietatem notat. In omnes enim quodammodo formas, & formarum

vitia

vitia Reſpub. Romana ſe conuertit; è Monarchia in Tyrannidem: Abrogata Tyrannide, in libertatem: Ariſtocratia & Oligarchia, Democratia & Ochlocratia certatim eo contenderunt, ut rurſus noua mutatione in Tyrannidem opus eſſet, donec illa Tyrannis in veram Monarchiam denique coaluit, magno argumento fragilitatis humanæ, quæ breues & mutabiles rerum vices habet.

3. Conſequentia mutationum harum ad ſe inuicem indicatur, quam *Polybius* ἀνακύκλωσιν vocat, de qua in *annotatis noſtris ad priora Taciti.*

4. Cauſſæ potiſſimum obſeruandæ veniunt; Quarum ſupremam, fatum ſcilicet aut Dei voluntatem prouidentiamque, omittit Tacitus, pro ratione inſtituti ſui, quod ad propiores & politicas cauſſas quaſdam referebatur. Agnoſcit quidem cauſſam cauſſæ, cum de bellis ciuilibus loquitur, iram Dei: ſed eam explicare ſupra Ethnicorum captum eſt. Eſt autem Dei occupatio, vt breuiter complectamur, in hac re talis;

Primo enim opibus & operibus humanis, non minus quam vitæ, quam corporibus modum poſuit, omniaque poſt lapſum mortalitate & fragilitate damnauit: partim vt admonerentur hac rerũ viciſſitudine mortales, in quem ſtatum peccando deuenerint, nec minus proprium malũ eſſe naturæ corruptæ, mutabilitatem rerum atque inconſtantiam; quam proprium bonum erat innocentiæ ſtabilitas rerum atque conſtantia: partim vt hoc

pacto

pacto durationi prouideretur, quæ jam non nisi fragilitate ipsa conseruatur. Qua in re scilicet tum justitia apparet, quæ hominum scelera perpetua & malæ gestæ Reipub. errata mutationibus eiusmodi punit: tum clementia, quæ emendatas ad hunc modum ciuitates denuo consistere facit, instaurat, tuetur: Sicut morbis humani corporis sanitatis obstacula sæpenumero expiantur. Sicut autem in hoc opere prouidentiæ arcana quædam & occulta est Dei occupatio, ad quam humana nequit peruenire intelligentia: Ita hominum obseruationi satis clare proposuit hanc fatalis consequentiæ seriem, vt omnes possint deprehendere, relinqui caussis libere agentibus suam libertatem, libereque & ex proprii ingenii stimulis, vel foris adoriri Rempub. qui extinctam cupiunt, vel domi peccando errandoque debilitare, qui ciuilem morem ac prudentiam, quibus stabilitur Respubl. violant: Deo tamen dirigente hæc omnia & ordinante ad euentus suæ justitiæ, sapientiæ, clementiæ consentaneos. Ethnici (& vtinam tantum Ethnici) necessitatem fatalem φυσικῶς & cum præiudicio naturæ libere agentis declarant.

Concurrere etiam Angelorum opera in hac re, tum bonorum tum malorum, satis constat: quorum hi peccata hominum incitando statumque Reipub. deformando: illi Diabolicis conatibus resistendo insignem nauant operam: cuius tamen specialior intelligentia supra hominum captum est. Sicut nec de certo nume-

numero aut omnino definita certis Angelis occupatione pronunciare, facile est.

Astris & sideribus hic tribuere aliquam vim, vanum est, ineptum, & naturæ rei, de qua agitur, parum accommodatum. Nota L. Tarutii Firmani temeritatem, qui Romæ fata cecinit, de quo *Cic.2. de diuinat.47. Pet.Fab. Semest.19.* Simile exemplum Valentis apud *Zonaram* extat *Tom.3. pag.7.*

Platonis opinio singularis est de numeris & annorum interuallis. vide *lib.8. de Repub.* ænigma Philosophantibus propositum; videtur niti hypothesi harmoniæ numerosæ, vniuersum hoc & omnia, quæ in eo sunt, conseruantis: quam variè alii explicant, imo inuoluunt implicantque. vide *Macrob.* & inter Judæos *Doctorem perplexorum à Buxtorfio* editum. Sunt alii numeri & periodi centesariæ, ducentenariæ, quinquagenariæ &c. quibus mutationes Rerump. nonnulli, à posteriori vt arbitrantur priorem aliquam caussam ratiocinati, describunt. Huc alludit apud *Curt.* Darius, 230. annos imperii Persici nominans; extantque obseruationes exemplorum in axiomatibus Richteri, & alibi. Sed curiosior quam verior illa obseruatio est: certe ex caussali quadam determinatione ad illa tempora adstringi nequit. (collata hæc sententia cum opinione de annis Climactericis.)

Cum ergo ad ea, quæ proprie humana sunt, accedimus, prima nobis caussa occurrit, totius subiecti, quo Respub. definitur, mutabilitas, inconstantia, variabilitas.

Huma-

Humanæ enim actiones, mores, consilia Rempub. instituunt & administrant. His nihil est mobilius, incertius, inæqualius. Hinc interdum ne in institui quidem Rempub. videmus, vt durabilis esse queat aut æquabilis. quod de Rom. Reip. mixtura post eiectos Reges verissimum est. Nec enim fieret, quod factum est, hoc est, vt modo Tribuni, modo Consules præualerent, certe ab initio prouisum oportuit. Atque hic interdum fieri videmus, vt ipsa affectatione & proposito accuratissimæ constitutionis fragilitati via & caussa struatur. Exemplo valetudinis humanæ, & judicio *Taciti* 4.*A*.33,1. Succedit legum & ciuilis æquabilitatis neglectio. Nam legibus & ciuili æquabilitate constat & durat Resp. hic spiritus & anima est. 1. ex intentione Dei, harmonice Respub. ordinantis. 2. Ex naturæ socialis appetitu ad conformandam ciuitatem diuinæ legi voluntatique. 3. Ex fine societatis omnis ciuilis. Hinc quantum disceditur, tantum à duratione & stabilitate Reipub. disceditur.

Aduersus hoc fulcrum Rerumpub. varios arietes admolitur humana improbitas. Ambitionis præsertim magna vis est & perpetua. Hæc est aduersaria omnis harmonię quatenus æqualitate constat. Hinc priuatim ambitiosi ad conseruationem intolerabiles, publicè ambitiosi ad ciuilem coniunctionem immodici & graues. Periculum hujus vitii in Rep. diligenter describit *Sallustius*; Tu hic caussam interiorem obserua: ceteris vitiis facilius leges medicinam faciunt; hoc sola coercet pietas & virtus

virtus ciuilis animi singulari Dei munere concessa & à Deo erudita; est enim altissimè humanis mentibus insitum & insatiabile. Ambitio pro varietate sui propositi operisque varia induit nomina: modo, cum altiora cupit, elatio est: modo, cum leges & regulas ciuilis moris grauate fert, inciuilitas: modo, cum obluctatur legibus, contumacia: modo, cum auctoritatem & vires opesque struit, potentiæ cupido vocatur, qui affectus præsertim Reip. est fatalis.

Hæc cupido potentiæ primo modestum sumit habitum, & auxilio legum meritisque ac ciuilibus officiis ad maiora gradum struit. Vbi nacta est gradum ciuili societati adhuc tolerabilem & accomodatum, supra id, quod ciuile est, i.e. præsertim supra leges attolli cupit. Leges autem postquam semel impudenter transilierit, nullus modus aut finis superest.

Hæc ambitio & cupido potentiæ peperit alterum illud malum Rebuspubl. mutandis fatale, discordiam ordinum & contentiones de Repub. Solet hoc maxime quidem in mixtis euenire Rebuspub, sed in plerisque interim locus est ei malo. In regnis ciuiliter temperatis perpetua exempla in Romana historia: *Liuij* præsertim *Decas prima* abundat assiduis exemplis factionum & factiosorum certaminum (nam hæc nomine discordiæ complectimur) inter partes Aristocraticas & Democraticas.

Hæc certamina interdum in seditiosos tumultus euaserunt, quod præsertim tempore

Graccho-

Gracchorum accidit, id est quod *Tacitus* intelligit per tentamenta ciuilium bellorum in Vrbe ac foro. Vox tentamenta gradum gliscentis discordiæ, & caussam vlteriorem certaminum notat, quæ bellis ciuilibus mox secuta sunt. *Vell. in descript. Gracch. sedit.* notanter id obseruat.

Sequuntur ipsa bella ciuilia, per quæ Respub. penitus agitari atque concuti cœpit; donec Tyrannides quædam inualuerunt, Cinnana, Mariana, Sullana. sic Respub. conuersa est, & amissa libertate à suo statu deturbata: Sed non statim in nouo confirmata & ordinata. Continuatio bellorum ciuilium diu impediuit nouæ formæ constitutionem.

Neque omittenda est inter caussas, quibus Respub. mutatur, ipsius mutationis exemplum. Ferme enim hic fit, vt vna mutatio sit caussa alterius, sicut Romæ Tyrannis caussa fuit Oligarchiæ, hæc nouæ Tyrannidis &c.

Caussas istas occasione locorum Taciti posuimus: quibus adde bellum externum, quo sæpe victa Respub. commutatur, conuertitur, ac plane euertitur; luxuriam & alia vitia morum. non potest enim status Reipub. fundari, nisi cum publice disciplina ciuitatis, & priuatim morum probitas obtinet, qua de re eximie disserit Cato apud *Sallust. Cat. 52.*

Ipsum senium & spontaneus interitus Rerumpublic. aut mutatio nulla notabili caussa existens, an recte à quibusdam statuatur, quæsitum obiter, & (accurate loquendo) negatum.

5. Occasiones mutationum Reipub. cohærent caussis. e. g. Tacitus nominat 1. ipsam potentiæ fortunæque magnitudinem. Vnde alibi explicatum παράδοξον politicum: Nunquam maiori in periculo esse Remp. quam cum ad summum est euecta; Difficilius enim retinetur quam comparatur potentia & felicitas ex natura ingenii humani. 2. Otium & securitatem ab omni periculo. confer *Vell. princip. lib.* 2. & *Florum* locis alibi productis. *Liu.* 30. 34. *Tac.* 15. *A.* 1, 3. & per hoc vitiorum, quibus euertuntur & concutiuntur Respub. plura instrumenta & incitamenta, ambitionis præsertim, & certaminum de potentia, & luxuriæ ignauiæque.

6. Judicium de mutationibus eiuscemodi.

Triplex est: 1. *antequam fiunt.* 2. *dum fiunt.* 3. *postquam factæ sunt.*

Antequam fiunt, *diuinatio illa Politica* locum habet, quam in Cicerone laudat *Cornelius Nepos Attic.* 16. & de qua in *charact. Vell. cap.* 2. aliquid diximus. Opus hic multâ Reip. peritiâ, sollertiâ, grauitate, diligentiâ, ne in alterutram partem aberretur; dum ex praua & periculosa Reip. dispositione judicium de futuro colligitur.

Alii prodigiis signisque hic attendunt. quæ nec omnia spernenda, nec curiose obseruanda.

Dum fiunt, ipsa rerum confusio & perturbatio, judicium affectibus variis, & multitudi-

titudine casuum distrahit, redditque hanc rem, quod ad specialia attinet, satis difficilem.

Post euentum, momenta rei in eo vertuntur 1. ne pro confecto habeatur negotium, quod nondum confectum est; siue ne absoluta credatur mutatio, cuius cardo adhuc vertitur. 2. ne quis decipiatur vocabulis & figuris politicis, quibus prioris status imago nouæ formæ imponitur. Sicut Augustus nomine Principis sub imperium plenissime monarchicum accepit Remp. Sunt & aliæ artes, quibus noui status species varie figuratur.

7. Officium boni ciuis circa mutationes eiuscemodi.

1. Prima hic regula est, mutationibus & conuersionibus caussam non præbere.

2. Dum accidunt, qua licet, dehortari, & quatenus sine vi & turbis fieri potest, obsistere.

3. Si nulla obsistendi spes aut facultas, dare operam, vt quam minimo sonitu orbis ille in Rep. conuertatur, vt loquitur *Cicero ad Attic. 2. ep. 9.*

4. Si jam facta est mutatio, quiescere & meminisse temporum, quibus natus sis. *Stare* enim *omnes debemus, tanquam in orbe aliquo Reip. qui cum versatur, eam deligere partem, ad quam nos illius vtilitas salusq́; conuerterit,* inquit rursus *Cicero orat. pro Planc.* 38.

5. Malis artibus, quas portendunt mutationes, gaudere, etiam bono fine, iis misceri,

aut in occasionem priuatam vti, ab officio ciuis longe alienum est. *Nam vi quidem regere patriam, aut parentes, quanquam & possis & delicta corrigas, tamen importunum est. Sallust. Jugurth.* 3.

6. Constantia bonæ mentis, modestia, pietate hic opus, vt Dei in talibus operibus tum justitiam reuereamur, tum correctionem patiamur, tum clementiam, præsertim cum in nouum statum jam conuersa Resp. & ex interitu seruata est, adoremus.

7. Illud enim inciuilis & turbulentæ fuerit contumaciæ, semper obtrectare præsentem statum, & vincula eius, jam publica & ciuili religione astricta, assiduis molitionibus tentare. quæ sæpe nouis & maioribus malis caussam præbent. Sed de hac re alibi actum est.

8. Singulariter commendabilis est occupatio eorum, qui historiis & exemplis mutationum apud plerasque in terris gentes & ætates ob oculos positis, velut in theatro Prouidentiæ diuinæ, contemplationibus in admirationem DEI cultumque, & profutura ciuili vitæ consilia, rapientibus indulgent. Dixeris hanc speculationem vere practicam, & scholam minime otiosam.

De naturalibus conuersionibus per consensum vltro factis, & ἀλλοιώσεσι Rerump. videndi supra laudati auctores & *Bodin. de Republ. IV*, 1.

DISSER-

DISSERTATIO XX.

De Historia Politica Rerumpub. & Regnorum.

Ad loc. Tacit. 2. *A.* 60.

VBi Germanicus in peregrinatione Ægyptiaca Thebarum Ægyptiarum notitiam ex antiquis monumentis repetit.

I.

In quibus consistat Historia Politica Rerump. & Regnorum.

Historiam Politicam Regnorum & Rerump. vocamus accuratam (in quantum haberi potest) descriptionem vniuscuiusque Reip. cuius altera pars est *materialis*, vt sic dicam; altera *formalis*: *illa* opes publicas & breuiarium; *hæc* jura imperii & gubernationis formam statumque; & quasi quandam Politicam particula rem, huic aut illi Reip. propriam, complectitur.

Exemplum sit nobis Resp. Romana. hæc qualis fuerit tempore Augusti & Tiberii, partim *breuiaria* declarant (argumentum eorum & specimen habes 1.A.11.) partim descriptio Politica Taciti, qui in Principatu Tiberiano hanc particularem Politicam se in animo habuisse profitetur 4.A.33,3.

Exemplum præscriptum instar *Breuiarij* est: quo opes Thebanæ continentur. De sta-

tu ipſo regiminis, præter alias cauſſas, & monumentorum defectum, vel propterea hic non requirendum erat, quia regnorum veterum Regumque gubernatio ſatis nota.

II.
Quo loco & vſu in Politico ſtudio ſit hæc cognitio.

Hoc proprium prudentiæ in gerenda Rep. occupatæ i.e. negotioſæ, non otioſæ, inſtrumentum eſt. Hanc notitiam *Cicero* in artibus Senatoriis, ad Remp. gerendam ſc. ſpectantibus, ponit. hanc prudentiſſimus quiſque Politicorum, vt ſingularem & propriam ſcholam Principum, commendant. De hac Poloni intellexerunt, cum Henricum III. è Gallia accitum, libere, ſed vere monerent, modum rationemque gubernandi non diſcurſibus è Gallia allatis, ſed ingenio & moribus Polonorum, metiendum eſſe.

III.
Vnde & quomodo comparanda ſit hæc cognitio.

1. Prima *Experientiæ* via & virtus eſt. Qua ii præſertim ſunt compotes, qui in vnaquaque Repub. ſunt verſati diligenter, & ad interiora admiſſi, ingenium ſtudiumque attulerunt, quale hic requiritur. Et hi ſunt ſuæ Reipub. periti. ab his diſce, qui voles; aut eorum exemplo, in tua Rep. ſi ad eam gerendam vocaris, magiſtro vtere.

2. *Experientiæ* pars eſt *Peregrinatio*, ſi inſtituatur eo more, qui in Germanico commendatur

datur loco præſcripto. Hic olim finis peregrinantium. Egregia hæc ratio, ſi ingenium cordatum adſit peregrinanti. nam de cetero, nihilo meliores, nihilo prudentiores factos, maximos etiam peregrinatores, hiſtoria teſtatur. conſidera exemplum *Ponceti* apud *Thuan.* 57. Melior *Langueti* experientia.

3. *Monumenta publica.* Antiquiſſima *columnæ* erant, de quibus h.l. Tacitus. Iis res opeſque ſuas deſcribebant antiquiſſimi mortalium. Apud *Joſeph. antiq. Jud. I.3.* columnæ Sethi memorantur. *Lactantius l.* 1. *de Falſa relig. c.*11. ex Euhemero *columnam auream* fuiſſe refert in templo Jouis Triphylii, in qua Jupiter geſta ſua perſcripſerat, vt monumenta eſſent poſteris rerum ſuarum. &c.

Succeſſerunt *commentarij publici* cuiuſque Reip. quorum cura certis hominibus permiſſa: hæc ſcilicet rudimenta & ſpecimina *Archiui*, cuius vſus in Rebuſp. antiquiſſimus. Ex his hauſta maximam & pragmaticam habent auctoritatem.

Cum ciuilis ſapientia litteris coli cœpit, peritiſſimus quiſque philoſophorum hiſtorias de Rebuſp. conſcripſit. *Ariſtotelis*, *Theophraſti*, *Xenophontis*, *Heraclidis Pontici*, *Nicolai Damaſceni*, aliorumque curas in deſcribendis politiis, paſſim laudari videas. Adeundus eſt etiam *Diogenes Laërtius & Photius*, vt exhibeant titulos eiuſmodi operum.

Ex junioribus etiam huic inſtituto bonam contulerunt operam *Joh. Boterus in Politica Imperiorum, Regnorum, Rerump. Philippus Hono-*

rius in Thesauro, Caspar Ens in relationibus, & quos singularum Rerump. Scriptores edidere *Elzeuirij*.

4. *Acta publica & controuersiæ ad statum pertinentes; quales in comitiis aut dissensione ordinum agitantur*, plurimum hanc notitiam instruunt. Itemque

Legum & consuetudinum historia.

5. *Geographi*, qui leges gentium & mores præsertim annotant. Vnde *Aristoteles* 1. *Rhet.* lectionem Geographorum ad τὴν νομοθετικήν, ad legum ferendarum peritiam, valde conducere affirmat. E veteribus valde diligens in hoc genere *Strabo*, cuius editionem, post *Casauboni* curas, à *Luca Holstenio* nunc expectamus. Eius vt in aliis, ita hic secutus est diligentiam *Merulæ*.

IV.

Quomodo illustranda & alenda hæc cognitio.

Nulla re magis illustratur hoc studium, quam comparatione eorum, quæ in Rebusp. vel summatim vel sigillatim sunt similia aut dissimilia, sicut h. l. Tacitus Theb. Ægypt. vires opesque cum Parthis & Romanis confert. Sicut enim in singulis hominibus comparatio vitarum per est vtilis, quod *Plutarchus* satis & judicauit & demonstrauit: ita Resp. non melius quam ex comparatione intelliguntur.

Illa comparatio hoc simul præstabit, vt ex plurium Rerump. institutis e. g. in vno argumen-

mento, de comitiis, de magiſtratibus, de ærario &c. perfecta demum cognitio acquiratur, quid in philoſophiam politicam huius loci cadat aut competat.

Huc pertinet etiam Examen Politicum. E.g. cum ſciueris hiſtoriam Reip. eius ſtatum, leges, vires, mores; judicio practico opus eſt, vt ad rationes politicas omnia exigantur. In paucis enim deſcriptionibus, quæ extant, reperitur illa pars prudentiæ.

V.

Difficultas huius rei.

Reddunt hunc laborem arduum & difficilem 1. *Diuerſa Scriptorum Judicia.* non enim de eadem Rep. eiuſque ſtatu eadem omnes judicant: vel ignorantia Politicæ interioris, vel negligentia inueſtigationis, vel credulitate eorum, quæ audiuerunt, aut quocunque modo aliunde acceperunt. 2. *Occultatio plurimarum rerum, ad ſtatum opeſq; Reip. pertinentium*: vbique ferme, ob varias rationes, recepta. Quo præſertim fit, vt illi, qui veram & accuratam ſuæ Reip. notitiam habent, deſcriptionibus eiuſcemodi abſtineant; ne faciant, quod publice ingratum poſſit eſſe. 3. *Mutatio perpetua variarum rerum.* In imperiis ſemper aliquid immutatur, quæ ratio magnos viros mouet, vt ſæpe parum credant conſultum eſſe, publicari deſcriptiones Rerump. ne homines, talibus rerum vicibus & formis judicandis impares, dum ad vnum omnia tempus exigunt, erroribus implicentur, nec ſibi

nec Reip. profuturis. Illi certe vehementer errant, qui descriptiones statuum & imperiorum, ex descripta semel formula, & libris, quales supra nominauimus, semper repeti debere statuunt.

VI.
Institutum nostrum.

Regna & Resp. antiquas à primordio rerum, non quidem historia Politicâ explicabimus, sed designatione & repetitione tamen historica non inutili sub conspectu ponemus: indicatis præsertim præcipuis auctoribus scriptoribusque.

Ex illis autem Regnis & Rebusp. quæ hodieque obtinent, nonnulla diligentius & politice considerabimus.

De Regnis,
Assyrio, Medico, Persico.
Ad loc. Tac. 5. *H.* 8, 3.

Regnum Assyrium.

Ante diluuium fuisse dynastias quasdam & dominationes coniectura non absurdâ aliqui collegerunt, sed Historia nihil habet, quod ante Regnum Assyriorum ponat. nam quod in *Chronico Eusebij* ex *Africano* & *Manethone* Arabum & Ægyptiorum regna collocantur, fabulosæ vetustati tribuendum est.

Initium Imperii Assyriorum in annum à Diluuio præterpropter 153. coniicit *Petauius*, quem vide *in Doctrina temporum lib.* IX. *c.* 13. & 14. Durationem tribuit cum *Justino* (cuius cal-

calculum verissimum esse etiam Cl. Salmasius pronuntiauerat) annorum 1300. *Reges* 37.

Reges plerique ita numerantur.

1. *Belus*, qui in Sacris Nembroth (*Iosepho* Nabrodes) nepos Chami, Babylonis conditor, *Gen.*10,10.

2. Ninus, Niniues conditor, qui in Sacris Assur, *Gen.*10,11. huius gesta *Diodorus lib.*2. scribit, vt & insequentium.

3. Semiramis mulier
4. Ninyas
5. Arius
6. Aralius
7. Xerxes
8. Armamithres
9. Belochus
10. Balæus
11. Sethos
12. Mamythus
13. Ascharius
14. Sphæros
15. Amenophis
16. Sparthæus
17. Ascatades
18. Amyntes
19. Belochus
20. Balatores
21. Lamprides
22. Sosares
23. Lampares
24. Panyas
25. Sosarmus

26. Mi-

26. Mithræus
27. Teutamus
28. Teutæus
29. Thinæus
30. Dercylas
31. Eupales
32. Laosthenes
33. Pirithiades
34. Ophracteus
35. Ephacheres
36. Acracames
37. Thonos Concoleros, qui & Sardanapalus.

Ex *Eusebio* ita *Petauius*. Aliter, & quidem numero 35. ponit *Reineccius in Syntagmate de familiis Monarcharum Chaldæorum & Assyriorum*; historiamque ipsorum repetit.

Assyriorum hoc regnum continuatum existimat Reineccius à Phulbelocho, quem Arbácis adiutorem & postea ipsius beneficio Assyriæ regem facit Reineccius. Sed *Petauius Doctrina Temp. IX,35.* satis ostendit, hanc coniecturam temporibus non congruere, & Phulbelochum longe iuniorem esse; existimatque Assyriorum imperium in Sardanapalo plane corruisse, magnoque post interuallo, Medis per ignauiam suæ fortunæ illudentibus, defecisse Assyrios & Babylonios; atque ita Assyriorum studio excitatum esse vetus imperium, Niniuenque instauratam, quam Arbaces solo æquauerat. Quis primus conditor fuerit, incertum esse; vt &, quinam & quot ante eos regnauerint, quos S. S. memorat.

morat; ii ſunt Phul, 4.*Reg*.15,19. Teglath Phalaſar,ib.℣.29. Salmanaſar,*cap*.17,3. Sennacherib,eius filius,*Tob*.1,18. 4.*Reg*.18,13. Aſarhaddon huius filius, *cap*.19,37. Coniicit deinde: paulo ante primam Olympiadem illos iniiſſe imperium, & ad annos LXX. præterpropter tenuiſſe, nimirum vſque ad Ezechiam, & vltra 15. eius annum: hinc à Medis ſuperatos videri.

Idem ſtatuit poſtea factum circa regnum Babylonicum: nimirum paulo poſt Babylonios, qui hactenus vel Medis vel Aſſyriis paruiſſent, Nabonaſſaro duce, libertatem & regnum peperiſſe, quorum obſcura initia demum ſub Nabopolaſſaro & Nabuchodonoſore in immenſum prouecta ſunt. Ponit ibi *Canonem mathematicum* Babyloniorum Regum, & fuſe diſputat hac de re *Doctr. Temp*.IX. *cap*.52.*vſq; ad* 62.

Aliter ſtatuunt *Reineccius ſine prima monarchia* & alii. Series vulgata hæc eſt:

1. Merodachus Baladan
2. Benmerodachus
3. Nabuchodonoſor primus
4. Nabuchodonoſor II. ſiue Magnus
5. Euilmerodachus
6. Regaſſor
7. Labaſſardachus
8. Baltaſſar

De quibus in Sacris.

Sunt autem res Imperii Aſſyrii, Chaldaici & Babylonii, in alta nocte. *Scriptura* pauca habet: in profanis *Diodorus* paulo plura explanat, *cæteri* ſparſim & obiter attingunt.

Regni

Regni formam obtinuiſſe,& quidem cum pleniſſima poteſtate imperaſſe Reges, nemo dubitare poteſt, qui, quantum hiſtoriæ ſupereſt, conſiderat. & quia ab initio Nimrodus, poſtea ceteri quoque armis belloque regimen quæſiuerunt auxeruntque, hinc quoque liberior poteſtas regum,quos gladius fecerat Dominos, intelligitur. Colligas etiam aliquid ex ingentibus titulis & nominibus dominantibus Regum.

Diſpoſitio qualis in adminiſtrando regno fuerit, è Perſico regno deinceps collegeris. nam ex Aſſyriis, Chaldaicis, Babyloniiſque moribus pleraque repetita, & augendo ornandoque imperio adhibita, nullo modo dubitandum eſt.

Præſtantia & celebritas Aſſyrii regni per notas quaſdam deſignari poteſt. 1. *Hominum robur vigorq;* ab initio Gigantibus comparatur: vnde vel Nimrodum ipſum fuiſſe Gigantem, vel Gigantes habuiſſe cœptorum ſocios, occaſione ſacri textus, conſenſu creditur. 2.*Dan.2. & 7. capp.* comparatur hoc imperium *auro*, itemque *Leoni alis aquilæ prædito*. quæ manifeſtam habent ſignificationem *opum viriumque, & ſucceſſus efficaciæq;*. 3. *Opulentia* ex admirandis ſtructuris ædificiiſque, quibus nihil ſimile poſteriora moliri ſæcula potuerunt: tum ex apparatuum magnificentia ſatis intelligitur. 4. *Vires & multitudo hominum incredibilis.* Memorat enim *Diodorus ex Cteſia lib.2.* Ninum vna expeditione in Bactrianos eduxiſſe decies ſepties centena pedi-

tum

tum, & ducenta ac decem equitum, decemque curruum falcatorum millia, cum paulo minus ſexcentis. 5. *Rerum geſtarum amplitudo* eo vſque exceſſit, vt è ſummis Imperiis, quæ vulgo numerantur, hoc primum ponatur. 6. *Studiorum* quoque & doctrinarum profectu effloruit. Mathematicæ præſertim ſcientiæ cultæ ſunt: Sicut teſtantur, quæ *Diodorus* de Chaldæis (profeſſionis id nomen intelligit) tum de accuratiſſimis ædificiis annotat. Igitur ego quidem firmiter perſuaſus ſum, mathemata ad maius faſtigium vſque in hunc diem non eſſe perducta, ſi ſummatim loquendum ſit, ſed hanc propriam illius ævi gloriam fuiſſe. Practica, quæ vocant, ſtudia, quin tum excelluerint etiam, ſoli dubitare poſſunt, qui res Aſſyriorum non introſpiciunt. Sed, quia profeſſionis litterariæ, neque tum neque aliàs apud alios, id nomen fuit, operibus, non vocabulis, æſtimandam eam laudem meminerimus. 7. *Periit* hoc regnum, dum amiſit, quæ Deus eximia dederat. i. e. *Luxu* (dum prodegit aurum in ſuperbiam & voluptates) & *ignauia*: dum Leonis generoſa magnanimitas, & alarum aquilæ velocitas vigorque, adeoque Præcipua tum auctoritatis, tum firmitatis præſidia extincta ſunt. 8. Partem interitus exiſtimo *abolitionem memoriæ* in plerisque rebus huius imperii.

(Dictum hac occaſione de fatali rerum humanarum fragilitate, ex deſtinatione Dei.)

Medorum

Medorum Regnum.

De Medorum origine (quæ ad Mædai filium Japhet à plerisque refertur) & nationibus Medicis satis diligenter & copiose disputat *Reineccius in secunda Monarchia*: seriemque Regum, & cetera adductis vndecunque auctorum locis pertractat. *Herodotus* (*lib.*1.) quatuor regibus annos 150. tribuit: Deioci 53. Phraorti 22. Cyaxari 40. Astyagi 35. *Justinus lib.*1. *cap.*6. 350. annos Medis assignat: *Eusebius* 259. & Reges octo. *Petauius Doctrin. Temp. IX*, 34. ex *Diodoro* & *Ctesia* Medis Reges nouem, annos 317. attribuit, hoc modo:

1. Arbaces 28.
2. Mandauces 50.
3. Sosarmus 30.
4. Artycas 50.
5. Arbianes qui & Candiceas 22.
6. Arsæes qui & Deioces 40.
7. Artynes, qui & Phraortes 22.
8. Astibaras, qui & Cyaxares 40.
9. Apandas, qui & Astyages.

Ex Epocha igitur Cyri colligit, Arbacem Medorum regni primordia jecisse centum annis ante primam Olympiadem, post diluuium annis 1452.

A Nino subiugati olim Medi Assyriis sine vlla rebellione seruiuere vsque ad Sardanapalum. An autem Arbace duce liberati, deinceps sub libera forma vixerint, quod *Herodotus lib.*1. refert; an sub Regibus, quod ceteri volunt, ambigitur. *Reineccius* ita conci-

liat,

liat, vt putet reges ante Deiocem (qui & Arsaces) astrictiori formula imperandi vsos, plenum jus regium non habuisse; quod Deioces demum inuexerit stabiliueritque. Sed *Herodoti* narratio (*lib.*1.) valde est explanate & per circumstantias, quas vocant, tradita: vt quodammodo verisimile sit Præfectos & Satrapas aut regulos ante ciuitatibus Medicis *αὐτονομίᾳ* suâ vtentibus præfuisse; donec sub vnius potestatem regiam Deioces omnia reduceret. Postea filius eius Phraotes finitimos & ceteram quoque Asiam perdomuit.

Facit huc, quod *Strabo* ait XI. *Geogr.* Medis montanis in vsu fuisse, regnum fortissimo deferre. Electio sc. regulorum notatur.

Sicut autem Assyriorum regnum vi Leonis cœpit, i. e. bello armisque constitutum est: ita Deioces sapientia, astuque & meritis, vt eligeretur & vltro vocaretur ad regale solium, meruit. ferme ad formam Heroici regni, cui talem ortum *Aristoteles*, *Polybius*, aliique tribuunt. Sicut item illud Luxus & Ignauia perdidit: ita hoc *sæuitia* & *rigor*. Quod de Astyage satis ostendere vel Justinus potest 1, 4, 5. & 6. Populus oneribus & laboribus atterebatur; Rex crudelibus suppliciis in suos grassabatur &c. Amiserant jam ante imperium Scythisque victoribus parebant: sed recuperarunt.

Instituta & consuetudines Regni Medici, quatenus vel ad jus Regium, vel ad mores ciuiles spectant, *Herodotus* præsertim exponit.

Deioces enim Rex electus, jubet sibi 1. *de-*

mum Regno dignam, οἰκία ſcilicet μεγάλα τε καὶ ἰσχυρὰ, ædificia magna & firma, vel ornamentum regni vel arcem extrui. Simulque vrbem adiungi ſplendore & magnitudine præcipuam, Ecbatana. Vide prolixe deſcripta illa ædificia ap. Herodotum.

2. Satellites & cuſtodes corporis, quos vellet, Medis approbantibus, delegit.

3. Maieſtatem Regiam auxit, vetitis ingredi ad regem, qui aliquid negotii volebant perferre, per internuncios omnia agebantur, occultata Regis perſona. Sed nec ridere aut expuere cuiquam coram Rege licebat.

4. Iuſtitiam ſeuere adminiſtrauit, miſſaſque ad ſe internuntiorum opera lites ſcriptas, deciſas remiſit.

5. Exploratores etiam κατασκόπους ἢ κατηκόους per vniuerſum imperium diſpoſuit: à quibus edoctus de iniuſtis actionibus hominum, ſontes accitos, pro modo delicti, puniuit.

6. Militaris rei, præſertim in Tacticis & armatura, conditor præcipuus Cyaxares, Deiocis nepos, *Herodoto* memoratur.

7. Mores ceteri ex Perſarum inſtitutis intelliguntur. Pertinet huc illud *Strabonis XI. γεωγρ.* Perſica ſtola, & ſagittandi reique equeſtris ſtudium, Regumque cultus, ornatus, & diuini honores regibus haberi ſoliti, à Medis ad Perſas traducta ſunt.

Regnum

Regnum Perſarum.

De Perſiæ Chorographia, populis, prouinciis, earumque origine &c. fuſe egit *Reineccius Synt.*

De Chronologia diſputant eruditi, præſertim aduerſus *Scaligerum Petauius Doctr. Temp.* X, 12. *& ſeqq. Petauius* initium Cyri (hic enim extincto Medorum imperio ad Perſas rerum ſummam detulit) ponit A.M. 3425. poſt diluuium 1769. ab Aſſyriorum & Beli primordiis 1617. à Medorum initio 318. Olympiadis 55. ann. prim. ab V.C. 195. regnante Romæ Seruio Tullio, anno eius circiter 20. ante N.C. 559.

Alterum initium Cyri, ſiue regni Babylonici, facit annum regni 21. abſolutum, & 22. inchoatum: Mundi 3446. V.C. 216. Olymp. 60. ann. Tert.

Cap. 29. huius libri laterculum Regum Perſiorum ita ponit.

1. Cyrus 30. ann.
2. Cambyſes 7. m. 5.
3. Smerdis Magus m. 7.
4. Darius Hyſtaſpis filius 36.
5. Xerxes 20.
6. Artaxerxes Longimanus 40.
7. Xerxes II. m. 2.
8. Sogdianus m. 7. d. 15.
9. Darius Nothus 16.
10. Artaxerxes Mnemon 40.
11. Artaxerxes Ochus 26.
12. Arſes 4.

13. Darius Arsami filius 6.

Colliguntur anni 229. m. 9.

Auctores præcipui rerum Cyri, vnde pendent ceteræ, sunt *Herodotus, Ctesias, Berosus.* ex his alii sumserunt.

Quod ad leges & instituta attinet, *Xenophon* è Græcis; è Latinis *Curtius* præsertim posteritati consuluerunt. Adde *libellum de Institutis Persicis*, quem ex variis collectum Scriptoribus *H. Stephanus* subiunxit *Herodoto* suo.

Neque opus est à nobis multa colligi: cum id abunde præstiterit *Barnabas Brissonius* in erudito tractatu *de Regio Persarum Principatu.*

Vbi, inter alia, etiam demonstratur, infinitam & liberam fuisse Regum Persicorum potestatem.

Igitur in hoc regno magna pars legum & institutorum pertinebat ad amplificandam Maiestatem regiam: ad splendorem & pompam palatii: ad apparatum & instrumentum aulæ: ad artificia & inuenta obsequii.

Certe in nullo imperio Regnoque Potestatis Regiæ Maiestas sollennius instructiusque vel ante vel post culta est. Quanquam enim occulta hinc mutuarentur multi, Splendor tamen & Veneratio Regii nominis proprie penes Persas fuit.

In virtutibus Persarum ad Remp. spectantibus elucent: Educatio liberorum & disciplina accuratissima: Studium rei militaris: candoris & veritatis cura; adeoque fides.

Vitia: Arrogantia & elatio, nimiaque virium confidentia; Crudelitas, ob quam Vrso puta-

putatur comparari Regnum Perſ. *Dan.* 7, 5. Luxuria & mollities, quæ præſertim ad extremum virtutem militarem extinxit; Conſilii veri inopia, omnibus ad adulationem conuerſis. Sed de his alii abunde.

Regnum Ægyptium.

In Scripturis Terra Mitſraim vocatur Ægyptus. vnde origo eius ad Mitzraim filium Cham refertur: cum præſertim etiam Pſ. 105. terra Cham dicatur Ægyptus. Putatur autem Oſiris antiquiſſimus gentilium intelligi Mitſraim. Ante eum ap. Diodorum collocatur Saturnus, & Jupiter Ammon, i. e. vt nonnulli interpretantur, Noë, vniuerſi adeoque etiam Ægypti Rex; & Cham ſiue Ham. vide *G. I. Voſſ. Theol. gentil.* 1, 27.

Epocha huius regni fabuloſe non ante diluuium modo, ſed ſi Diodori, Africani, & aliorum ſequendus calculus eſſet, ante principium mundi conditi collocatur. Quam rem pro fabulis plerique ſpernunt. vide *Reinec. in Regn. Ægypt.* & *Petau. Doctr. Temp.* IX, 15. Sed *Voſſius de Lunaribus annis* accipit & conciliationem tentat. *Theol. Gent.* 1, 28. *Petauius* loco dicto & in *Chronologia* idem initium Regni Aſſyrii (de quo ſupra) & Ægyptii ponit. Anni durationis varie traduntur ab Oſiride ad Pſammetichen Regem. propoſuit ſchemata quædam eius ſucceſſionis *Petauius D. T.* X, 17. Hiſtoriæ & regni ſeriem vide ap. *Reineccium*.

E Veteribus *Diodorus lib.* I. & *Herodotus* in *Euterpe* præcipui ſunt.

Regio imperio gubernata est Ægyptus inter antiquissima & pulcherrima mundi regna.

Persarum dominatus eam comprehendit, anno Cambysis 5. Hinc, licet rebellassent, reciderunt sub Persarum imperium: donec Alexander, Persicæ potentiæ victor destructorque, Ægyptum quoque cepit ordinauitque ex vsu suo. Post obitum Alexandri, à Ptolomæo, qui se regem Ægypti appellauit, insequentes inde Reges Ptolomæi (ita enim vocabantur, vt olim Pharaones) ad Romana tempora imperarunt. victa à Cæsare, & ab Augusto in prouinciæ formam redacta, sub Cæsarum deinceps imperio fuit vsque ad Mahometica tempora.

Situ opportuna, & fecunda, multisque rebus raris nobilis regio, de qua re *Geographi veteres & recentes.*

Legibus & institutis publicis valde celebratur. Legibus certe suis diuturnitatem sui status solebant attribuere. Leges autem erant, quibus etiam Reges obediebant. Fuitque salubriter temperata Regum disciplina, quam vide apud *Diodorum.* Videtur tamen, vt in Monarchiis solet, subinde auctior potestas Regum facta. Ægyptus diuisa erat in tres partes: quarum vna Sacerdotibus, altera Regi, tertia militibus tributa. Agricolarum, Pastorum, Artificum diuisa munia, & hinc veluti ex hereditario studio magna peritia,& noua semper inuenta. Judicia seuere & prudenter ordinata. Leges præclaræ: quarum specimina *Diodorus* ponit valde luculenta.

Studia

Studia & artes, præsertim Mathematicæ Arithm. Geom. Astrologiæ, Architecturæ (hinc illæ Pyramides & cetera) Historiarum cognitio, quæ præsertim Regibus commendabatur. His omnibus Sacerdotes præerant.

Iidem Religionis studium, multa superstitione & ineptis inuentis, specie religionis multiplicatis, curabant. Hinc animalium cultus.

Medicina quoque percelebris fuit.

Igitur studiorum & artium caussa eo peregrinationes susceperunt Græci. Certe, quidquid fere est artium, ab Ægyptiis ad Græcos peruenisse, passim ostendunt eruditi.

Opes vel ex loco Taciti 2. A. 60. colligas. adde præsertim *Diodorum*.

Genti quædam ingenii mobilitas & leuitas tribuitur. Atque hinc tot institutis inuentisque Regum & LLatorum opus fuisse autumant, vt in officio contineretur.

Regnum Argiuorum.

Quod merito sequitur. Sunt enim Argiui Ægyptii, sed Græcis permixti.

Initium huius regni ab Inachi Imperio *Petauius* ponit (*lib.IX. Doctr. Temp.* 18.) in annum mundi 2126. post Diluuium 471. Durationem ann. 675. Schematismum regum talem habet:

1. Inachus 50.
2. Phoroneus 60.
3. Apis 35.
4. Argus 70.
5. Criasus 54.

6. Phorbas 35.
7. Triopas 46.
8. Crotopus 21.
9. Sthenelus 11.

Gelanor successit; quo pulso deinceps Inachidis Danaidæ successerunt:

10. Danaus 50.
11. Lynceus 41.
12. Abbas 23.
13. Prætus 17.
14. Acrisius 31.

Hinc regnum à Perseo Mycenas translatum, cum Argis regnatum esset, sicut præcessit.

Mycenorum regnum tenuit annos 210. Ab Inacho ad illius finem ponit Petauius 756. annos: Reges ita ordinat:

1. Perseus 57.
2. Sthenelus 8.
3. Euristheus 43.
4. Atreus & Thyestes 5.
5. Agamemnon 17.
6. Ægisthus 7.
7. Orestes 70.
8. Tisamenus
&
Penthilus 3.

Adde *Reineccium* in *regno Argiuorum & Mycenæo*: qui & familias eorum qui regnarunt digerit. Mycenæorum regum ingentia fuerunt in vtramque partem facinora, quæ pœnæ omnes Græcorum scenas repleuerunt: sicut Tragici Græci, & Latini sub nomine

Sene-

Seneca amplius explanant. Adde etiam, quæ de his habet *Vossius in Theol. Gentil.*

Lydorum Regnum.

Hoc quoque inter vetustissima est; vnde primum eius Regem Masne Halicarnasseus Jouis & Terræ filium facit. *Josephus* Lydos à Lud filio Sem conditos refert. *Herodotus* à Lydo Atyis filio nomen deducit. Qui ante Heraclidas imperarint Lydis, incertum est. Heraclidarum primus Argon ab Herodoto refertur. è quo hunc schematismum proponit *Petauius de Doctr. Temp. X, 5.*

Heraclidæ

Annis 505. ab Argone ad Candaulem.

Mermnadæ:

Gyges 38.
Ardys 49.
Sadyattes 12.
Alyattes 57.
Crœsus 14.

Colliguntur anni à Gyge 170. ab Argone 675.

Plura vide apud *Reinesccium de Regno Lydorum.*

Mores & instituta gentis non adeo explanate traduntur. *Herodotus* tamen *lib.*1. ait, eos vsos legibus, Græcorum fere similibus. Idem *Inuentores nummi aurei & argentei* prædicat: itemque *cauponarum & rei institoriæ.* Illud turpe, quod omnes Lydorum filiæ corpore quæstum faciebant ad dotem colligendam.

Prima mutatio accidit ſtultitia Candaulis, qua factum eſt, vt ab Heraclidis ad aliam familiam transferretur. Auctor eius tyrannidis Gyges, cui Plato, & *Cicero* aliique mirabilem annulum tribuunt, quo vſus fuerit in ſtupranda regina & tollendo rege. per quem annulum alii alia intelligunt, & ſymbolice potius, quam hiſtorice interpretantur. Aliter rem narrat *Herodotus*.

Euerſum eſt Regnum in Crœſo. Inter cauſſas euerſionis *Herodot. (lib.*1.) ſcelus Gygis ponit aitque Crœſum huius tritaui ſui crimen luiſſe. Ceteræ cauſſæ ex Hiſtoria colliguntur: 1. nimia opum & virium confidentia. (huc pertinet colloquium Solonis cum Crœſo de vera beatitudine.) 2. Æmulatio fatalis cum Cyro Perſici regni conditore. Infauſta eſt æmulatio & ἀντιστρατηγία omnis, cum quis ſe illis opponit, quibus fato deſtinantur magna imperia, ſiue quos Deus ſummis imperiis condendis adhibet. 3. Superſtitio, de qua multa Herodotus. 4. Belli ſemel ſuſcepti negligentior adminiſtratio. (Fuit alias hic Crœſus inter præcipua exempla humanæ felicitatis & infelicitatis: pacis quoque artibus, & candore amicitiaque inſignis: quod apparet partim ex conſiliis Cyro victori datis ap. *Herodot.* partim ex amore Græcarum ciuitatum, de quo *Juſtinus* 1, 7, 10.

Cum rebellaſſent, Crœſi conſilio, Cyrus eos ademtis armis cauponas & ludicras artes exercere juſſit. *Juſtin.* 1, 7, 12. vide plenius id conſilium ap. *Herodot.* 1. *pag.*72.

Reſp.

Resp. Hebræorum.

Huius quæ sunt χρονολογούμενα, & historica, abunde pertractata sunt partim Scripturis S. & earum interpretibus, itemque *Josepho*: partim à *Reineccio, & Saliano in annalib. Ecclesiast. Scaligero de Emendat. Temp. Petauio in Doctr. Temp. libb.* IX, X, XI, XII.

Formam aliqui à conditoribus Hebræis & Abrahamo gentis Principe paternis imperiis definiunt: inde sub Judicibus Aristocratice gubernatam esse: hinc Regibus paruisse, quorum tempora *Dynastiæ* exceperint.

Alii *Aristocratiam* & *Regnum* agnoscunt.

Nonnulli nomen *Aristocratiæ* facilius tolerant quam veram descriptionem: existimantque, per omne illud tempus, quod Regnum præcessit, Theocraticum regimen fuisse, ita, vt jura maiestatis nemini essent permissa, sed in solidum reseruata Deo, cuius arbitrio dispensarentur, peculiari quodam modo. Quæ sententia si recte accipiatur, forte nihil habet incommodi.

Scripsere de hoc Argumento, i.e. de Rep. Hebræorum, *Carolus Sigonius, Bonauentura Cornelius Bertramus* & *Petrus Cunæus*. addendum est *Jus Regium Hebræorum Schickardi*: & *Seldeni* scripta ad disciplinam & Leges Hebr. facientia. Annotauimus etiam aliqua nuper ad V. *Hist. Tac.*

De hac Rep. vere licet dicere, quod de Rom. *Liuius* hyperbolice extulit: *Non fuit in terris Resp. sanctior & bonis exemplis ditior.* Leges

ad

ad Religionem, ad publica instituta, ad priuatos mores, ab ipso Deo sanctissime sapientissimeque accommodabantur. De qua re alibi. Exempla vtriusque fortunæ, & fati per omnem circulum reuoluti illustrissima.

Hinc sicut pleraque ad Ethnicos sunt translata, quamuis plerumque infelici aut impia imitatione: ita de Rerump. fatis non aliunde rectius judicium & disciplina peti potest.

Hinc omnia imperii & obsequii siue munia siue mysteria repetenda.

Et optabile sane esset, pleniorem aliquam & perfectiorem Politicam ex huius præsertim gentis ac Reip. historia & institutis concinnari. Qui labor nec parui temporis, nec modici laboris, nec ingenii hebetioris fuerit.

Huic operi præscribendum antiquum illud: *Exeste profani.*

Reperti enim sunt, qui pessime interpretarentur τὰ πολιτικὰ Judæorum; sicut ex *Campanellæ operibus,* & *Machiauello,* aliisque licet animaduertere. Quam temerarie nonnulli Jus illud regium Hebræorum, quod sibi fingunt ex 1. *Sam.* 8. interpretantur? De quo alibi.

Horribile exemplum euersionis huius Reip. prorsus est singulare; quod hodieque Deus in variis totius orbis locis ob oculos versari vult omni populo. Illa dispersio enim Judæorum miserabilis quotidiana nobis disciplina esse debet. Aliæ gentes resurrexerunt, aut in aliquod corpus ciuile recollectæ sunt; Judæorum reliquiæ dispersæ manent.

Regnum

Regnum & Reſpub. Athenienſium.

Initium huius Regni ponit Petauius A.M. 2426. poſt Diluuium 770. poſt ortum Abrahami 478. ante migrationem ex Ægypto annis fere 28. vide *Petau. Doctr. Temp. IX,21.* Reges & Prætores ita ordinat:

1. Cecrops 50.
2. Cranaus 9.
3. Amphictyon. 10.
4. Erichtonius 50.
5. Pandion 40.
6. Erechteus 50.
7. Cecrops 40.
8. Pandion 25.
9. Ægeus 54.
10. Theſeus 30.
11. Meneſtheus 17.
12. Demophoon 33.
13. Oxynthes 12.
14. Aphidas 1.
15. Thymœtes 36.
16. Melanthus 10.
17. Codrus 21.

Hactenus Reges. ſequuntur Archontes perpetui.

1. Medon 20.
2. Acaſtus 36.
3. Archippus 19.
4. Therſippus 41.
5. Phorbas 31.
6. Megacles 30.

7. Diogne-

7. Diognetus 28.
8. Phereclus 19.
9. Ariphron 20.
10. Thespieus 27.
11. Agamestor 20.
12. Æschylus 23.
13. Alcmæon 2.

Hactenus Archontes perpetui. seq. Archontes decennales:

1. Charops 10.
2. Æsimedes 10.
3. Clidicus 10.
4. Hippomenes 10.
5. Leocrates 10.
6. Apsandrus 10.
7. Eryxias 10.

Collig. anni regum à Cecrope ad Codrum 488. A Cecrope ad Eryxiæ finem 874. Hinc annui Archontes facti. *Vellei.* 1, 8.

Pisistrati tyrannidem *Petauius* ponit in Olymp. LV. ann. primum, V. C. 194. Mundi 3424. finem Pisistratidarum in an. M. 3474. Olymp. 67, 3. V. C. 244. vide *Chronolog.* eius.

Seriem Regiarum familiarum copiosissime exequitur *Reineccius*. Ceterum Athenienses Ægyptia proles sunt.

Politiam è veteribus breuiter & accurate est complexus *Strabo* IX. *pag.* 397. & 398. Reges ibi præfuisse: hinc popularem statum (sub Archontibus sc.) institutum: Interuenisse tyrannidem Pisistratidarum, & Oligarchias CCCC, & alteram XXX virorum: inde resti-

tutam

tutam Democratiam; &, licet Macedonibus aliquandiu parerent, conseruatam: etiam Romanos αὐτονομίαν illis indulsisse: à Mithridate tyrannos impositos, à Romanis deiectos esse, atque sic denuo ad libertatem reditum. Hæc *Strabo* vsque ad sua tempora. In maiorem redacta deinde seruitutem sub insequentibus Imperatoribus, præsertim Orientalibus, multisque casibus defuncta, Mahometici jugi calamitate tandem obruta est.

De Rep. Atheniensium egregia extat dissertatio *Xenophontis*; adde *Keckermanni disput.* & præsertim complura *Meursii* opera, qui sigillatim Res Atheniensium pene omnes illustrauit.

Inuenta, artificia, opificia, disciplinæ, studia, res gestæ, fusissime memorantur in historiis, adeo vt *Sallustius* existimauerit, *aliquanto minores esse quam fama feruntur. Catil.*8.

Auctores plerosque notatos vide ad *Justin.* 2, *6. & seqq. tum capitibus, tum libris.* & adde Oratores ac Panegyristas Græcos, *Demosthenem*, *Isocratem*, *Lysiam*, *Aristidem* aliosque. *Thucydides* ex *Historicis* seorsum commendatus. it. *Corn. Nepos.*

Regnum & Respub. Spartanorum.

Initium *Petauius* ponit in ann. M. 2882. ante primam Olymp. 326. Durationem 883. ad mortem Cleomenis, Lacedæmone ab Antigono Macedoniæ Rege occupata. *Doctrin. Temp.IX,*31. Idem ex *Pausania* primam succes-

sionem

ſionem ſiue primam Dynaſtiam ponit à Lelege ad Tiſamenum, ſub quo Heraclidæ occuparunt Peloponneſum: Deinde ſequuntur duæ Regum familiæ Euryſthenidarum ſiue Agidarum, ab Euryſthene ad Cleomenem ſiue Ageſipolidem; & Proclidarum ſiue Eurypontidarum, à Procle ad Epicilidam. Adde *Reineccium*.

Antiquiſſimi Spartæ Reges haud dubie maiorem habuerunt poteſtatem, ſed legibus Lycurgi nomen Regium manſit, poteſtate ſublata, inſtitutoque illo regimine, quod aliqui ex 3. formis mixtum ſtatuunt. vide *Grot. Batau. antiq. cap.5.* vbi Remp. Laced. Batauicæ, & Reges Comitibus Batauis comparat. Sed accurate loquendo vel prorſus fuit Democratica, ex inſtituto Lycurgi, vel Ariſtocratice temperata. huc ſpectat auctoritas Senatus XXVIII. virorum. vid. *Juſtinus* 3, 2. *&* 3. vbi præcipui auctores notantur. *Ariſtot.* 2. *Polit.*4. 3.*polit.* 1. *&* 10. *Xenophontis* extat peculiaris *libellus de Rep. Laced.* E recentioribus *Nicolaus Cragius* eruditum edidit opuſculum de *hac Rep.* adde *Keckermanni diſp. polit.* Inſtituta huius Reip. examinat toto *capite lib.* 2. *polit. Ariſtoteles.* Lex ſucceſſionis ap. Spart. (de qua etiam *Nep. in Ageſ.*) legi Salicæ Francorum comparari ſolet. Studio rerum militarium & duritia vitæ inter Græcos præcellebant.

Regnum Macedonicum.

Huius regni initium auctore Carano Heracli-

raclida *Petauius* ponit in annum M. 3170. Imperante ap. Israëlitas Jeroboamo: A.C.N. 814. Durationem facit 646. cum Perse victo à Roman. concidit imperium, *Doctr. Temp.IX*, 36. idem tamen in Catalogo Regum Maced. colligit 737. à Carano ad Persen.

1. Caranus 28.
2. Cœnus 28.
3. Thurimas 45.
4. Perdiccas 48.
5. Argæus 32.
6. Philippus 35.
7. Europus 43.
8. Alcetas 28.
9. Amyntas 49.
10. Alex. 43.
11. Perdiccas 25.
12. Archelaus 14.
13. Orestes 3.
14. Archelaus 4.
15. Amyntas 1.
16. Pausanias 1.
17. Amyntas 5.
18. Argæus 2.
   Amyntas iterum 12.
19. Alex. 1.
20. Ptolomæus 4.
21. Perdiccas 6.
22. Philippus 24.
23. Alexander M. 12.
24. Aridæus 7.
25. Cassander 19.
26. Philippus Cass. f. 1.

27. Antipater & Alex. } Caff. f. 3.
28. Demetrius Poliorcetes 6.
29. Pyrrhus m. 7.
30. Lyfimachus 6.
31. Arfinoë Lyf. vxor m. 7.
32. Ptolom. Lagi f. Ceraunus 2.
33. Meleager m. 2.
34. Antipater d. 45.
35. Softhenes 2.
36. Antigonus Gonatas 36.
37. Demetrius Antigoni F. 10.
38. Antig. Doson. 12.
39. Phil. Demetrii f. 42.
40. Perfeus 10.

Regium Macedoniæ Imperium temperatum fuit maiore libertatis vmbra, quam apud ceteras gentes, tefte *Curtio*: ex quo etiam pleraque de inftitutis & πολιτείᾳ gentis peti debent. Hinc amor in Reges fingularis: & ex eo Lex: vt ii, qui regi infidiati effent, cum propinquis omnibus necarentur. quæ quin iniufta fit, dubitari nequit. Comparatur cum lege Romana de familia feruorum necanda, cum illata Domino mors effet. ap. *Tac.* 14. *A.*

Aulica inftituta multam fapiunt grauitatem, elegantiam, prudentiam, ficut vel ex folo *Curtio* difcas.

Celebritas nominis Macedonici vfque ad fummum imperium in alias gentes inualuit: cuius conditor Alexander M.

Diffolutum eft Imperium, & Romana virtute

tute subactum iisdem pene de caussis, quibus Persicum concidit. nam cum opibus vitia quoque à Persis ad Maced. translata erant. Ap. *Dan.7,6.* Pardo comparatur, quasi callidissima & rapidissima monarchia, alata etiam, ob eximiam rerum gerendarum velocitatem.

Vide *Justin. 7. & seq. libb.* ibique annotatos præcipuos Scriptores. *Reineccius* copiosissime egit.

Idem, qui cetera regna ad III. Monarchiam pertinentia, diligenter pertractat.

Regnum Ægyptium Lagidarum seu Ptolomæorum.
Regnum Cyrenaicum.
Regnum Syriacum Seleucidarum.
Regnum Bithynicum.
Regnum Ponticum.
Regnum Medicum, Atropatenes. (nam sub Macedonibus primum discrimen iniectum Mediæ maioris & minoris.)
Regnum Pergamense.
Regnum Parthicum Arsacidarum.
Regnum Bactrianum.
Regnum Armeniacum.
Regnum Judaicum, de quo supra.
Regnum Commagenes.
Regnum Numidicum.
Regnum Mauritanicum.

Idem cetera veteris Græciæ regna, *Thebanum, Arcadicum*, aliaque pertractat. Nos properamus ad

Latina Regna.

Illa numerantur Laurens, Lauinienſe, Albanum, Romanum.

Repetitur origo regnorum horum à *Troiano*, de quo peculiari tractatu *Reineccius*. Celebritas Troiani regni ex hac ipſa tam pulchra ſubole: & ex ſcriptorum facundia, qui bellum & excidium Troianum deſcripſerunt, inter quos præcell. *Homerus*, *Dictys Cretenſis*, *Virgilius*. De excidii Epocha fuſe diſputat *Petauius Doctr. Temp. IX*, 29. Ponit an. M. 2800. Ante C.N. 1184. quo ipſo Anno Æneas ſoluit, & proximo anno in Sicilia hiemat, tertio Laurentum appellit, atque Lauinium condit.

Qui ante Æneam in Italia regnarint, varie traditur, ſicut diligenter collegit *Reineccius*. Pertinet huc liber *de origine gentis Romanæ, qui Meſſallæ tribuitur*. *Dionyſ. Halicarnaſſ. &c. Liu. Ouid. faſt. & metamorph.* Succeſſionem Regum qui in Latio regnarunt, *Petauius* hanc ponit:

1. Picus Saturni f. 37.
2. Faunus 44.
3. Latinus 46.
4. Æneas 4.
5. Aſcanius 38.
6. Syluius Poſtumus 30.
7. Æneas Syluius 31.
8. Latinus 51.
9. Alba 39.
10. Capetus 26.
11. Capys 28.

12. Ca-

12. Capetus 13.
13. Tiberinus 8.
14. Agrippa 41.
15. Alladius 19.
16. Auentinus 37.
17. Procus 23.
18. Amulius 18.
19. Numitor 2.

Huius enim anno ſecundo Romulus Vrbem condidit.

Reineccius primam familiam ponit Pici, ſeu Reges Laurentum:

1. Picum Priſcum.
2. Faunum.
3. Daunum.
4. Telepſum Latinum.

Deinde familiam Æneæ, Syluiam, ſiue Reges Lauinienſes & Albanos; eadem ſerie.

Hæc regna obſcurata ſunt magnitudine Romana, cui celebrandæ potius occupata fuit poſteritas. Atque ita in ceteris quoque ſummis imperiis factum videmus. De Romanis autem rebus & imperio gentis incomparabili deinceps aliquid dicetur.

Regnum & Reſpub. Romana.

Rempub. Rom. ordiri ſolent ab Vrbis conditu, quem alii ponunt in Ann. Mundi 3230. ante Chr.N. 754. Olymp.VI. an.3. alii in ſequentem. vide *Petau. Doct. Temp. IX*, 48.

I.

Periodus prima huius Reip. est Regum VII. quorum laterculum per annos 244. digestum vide ap. *Petau.* Regni forma ab initio liberior, inde per leges *Seruij Tullij* temperatior fuit, sicut vel ex *Tac.3.A.26.* Qua de re alibi. adde *H. Grot. I.B.* 1,3,20.

II.

Secunda Periodus est Reip. liberæ, ex Aristocratia & Democratia mixtæ, ita vt modo hæc, modo illa pars præualeret, sicut ad 1. *A. Tac.1.* disputauimus. Videtur quidem *Grotius I.B.I.3,19. mere popularem statum* vocare. Sed mox §. insequenti mixturam concedit: A primis consulibus i.e. ab anno M.3473. A. C.N. 509.Olymp.LXVII,4.V.C.245.vsque ad annos Julianos (qui incipiunt ab A.M.3939. A. C.N.45. Olymp. CLXXXIII, 4.) V.C.709. sunt anni 464. Ad Triumuiratum Octauii, Antonii, & Lepidi adiice biennium: ad Annos Actiacos, quæ nobilissima epocha est, biennio illi adde 13.annos,ita ab V.C. año 245. i. e. à Rep. libera vsque ad Monarchiam Cæsarum, quæ post prœlium Actiac. inchoatur anno V.C.724. sunt 479.anni. Hæc periodus consulatibus numeratur, quorum Chronologiam etiam per Cæsarum tempora, qua licet, conseruant *Fasti consulares*, & *Cassiodorus*, in quos noti sunt *Caroli Sigonij*, *Onuphrij Panuinij*, *Cuspiniani commentarij.* Seriem consulum vsque ad Justiniani Imp.III. Cos. i.e. A.C. 533. suæ Chronologiæ inseruit *Petauius*: omnes

omnes consules recenset etiam Chronologia *Hieronymi Vecchietti.*

In hanc Periodum conueniunt assidua factionum certamina, ex quibus tandem tumultus & bella ciuilia exorta sunt, quæ libertatem extinxerunt, sicut alias est prolixe declaratum.

A Julio & Augusto (nam de accurato initio noui status alibi disputatum est) Monarchia plenissima & absolutissima incipit, ac deinde per Cæsarum tempora porrigitur: habens tamen sua rursus interualla. Primi Cæsares (quorum exempla multi deinceps secuti sunt) imposuerunt imperio suo speciem aliquam pristini status, variasque temperamenti formas ostentarunt, per adornata simulacra politica :donec Diocletianus & deinceps alii, depositâ specie Principatus, formam regni exteriorem (nam ipsa jura regia ab initio plenissimè habuerant) assumsere. A Julio vsque ad Constantinum M. gentiles fuere Imp. Hic ad Christianam religionem conuersus multum immutauit faciem Rom. imperii, Constantinopoli præsertim tanquam noua & altera Roma ædificata, sedeque imperii ibi constituta, quæ res paulatim imminuit maiestatem Romæ veteris, donec interuenientibus Gothicis inuasionibus in Augustulo denique Imperium occidentale extinctum est Anno Chr. 475. Nam deinceps annis pæne 300. vacauit Imper. occid. vsque ad Caroli M. tempora. Licet enim

aliqui nomen Imper. conarentur recipere, fluxa tamen & improſpera conata fuerunt.

In oriente, ſæculo VII. nondum adulto, Mahometica ſecta, Saracenorum humeris prouecta, Imperatorum Orientalium vim ſubinde labefactauit, & denique ſæculo XV. medio, imperium Roman. in oriente plane extinxit.

Interim Carolus Magnus in occidente Italia recuperata, Romanorum Imperator factus, Imperium ad Germanos tranſtulit ſæculo IX. incipiente. De qua translatione extant libri *Arniſæi, Flacij, Fr. Junij,* qui aduerſus Bellarminum de eadem re ſcribentem commentati ſunt. Extant & aliqua in *Politicis Imperialibus Goldaſti,* & apud *Scriptores Juris publici.*

Et hi quidem Germanici Impp. quin vere fuerint Monarchæ, dubium non eſt. Oppugnari autem monarchica Cæſarum poteſtas omniaque maieſtatis jura cœperunt ſæculo XI. partim à Pontifice Romano (auctor litis & tyrannidis affectatæ Hildebrandus ſiue Gregorius VII.) de qua re ſemper deinde vſque in hunc diem diſceptatum; ſcripta huc facientia in magnum opus collegit *Goldaſtus,* cui titulum fecit *Monarchia Rom. Imperij*: partim à Principibus aſtricta eſt liberior antea Cæſarum poteſtas. Non errant enim qui putant, Henrici IV. Imp. tempore initium Regiæ Legis, ſiue Cæſareæ Capitulationis, cœpiſſe, qua modus poneretur poteſtati Cæſarum. At ſub Carolo IV. tribus fere ab hinc ſæculis

poteſtá-

potestate Electorum aucta, præscripta est formula Regiminis Germanici, quæ nomina quidem illustria summi fastigii Cæsaribus reliquit; de cetero autem jura imperii pleraque cum Ordinibus in solidum communicauit. Ex hac formula deinceps Capitulationes Cæsareæ, tanquam antitypus ex typo, prodierunt. Illa ergo Aurea Bulla quin insecutis temporibus fundamentum esse debeat disputationis totius de Imperatorum potestate, dubitari nequit. Est enim Pragmatica sanctio, & Lex totius Imperii, non ab initio tantum communi consensu prolata, sed postea semper pro tali habita vsuque confirmata. Accedunt omnes inde Capitulationes Cæsareæ. Hinc Constitutiones & Recessus Imperii quatenus in illis aliquid de jure Imperii sancitur, aut Maiestas sub tali formula, qualis A.B. congruit, exercetur.

Cœpit autem controuersia de potestate Imperatoris gliscere denuo, superiore sæculo tempore Caroli V. & Reformationis religiosæ; & agitatur in hunc diem. Pertinet huc singulari elogio historia *Sleidani*, & monumenta rerum German. in *Freherianis* tomis, itemque in *Politicis Imperialib. Goldasti part.*12. *&* 13. addantur *Limnæus, Reinkingius, Lampadius, Carpzov. de L. Regia Germanorum*, & alii Scriptores Juris publici.

Inter quos dissidia nata; quibusdam de vocabulis contendentibus; quibusdam Cæsari blandientibus, aut etiam nimis rigide obtrectantibus. (*Hortlederi dissertatio de L. Regia.*)

Contentiosa disputatio inter JC. *Vulteii* defensores & *Gothofred. Antonium*. *Reinkingius* misere aduersus *Bodinum* disputat *lib. I. class. 2, cap. 2.* vt & *Witzdorffius* aduersus *Limnaeum*, qui peculiari tractatu respondit. Communis sententia *Reinkingio*. aduersatur. *Lampadius* moderatissime & eruditissime in hac quaestione versatur. Modus disputandi in hac quaestione; Syllogismi principalis Maior ex Politicis desumenda (quam torquent aliqui & macerant, dum solidam Politices cognitionem non sunt assecuti.) Minor siue assumtio ex aurea Bulla, Capitulatione Caesarea, ceterisque Imperii constitutionibus & pragmaticis sanctionibus, exercitioque siue praxi jurium maiestatis desumenda est.


Concurrunt in hanc quaestionem materia de juribus maiestatis, & simulacris imperii: de juramentis Regum, de temperatura, & mixtura statuum &c.

Sed de his aliisque alibi. Est enim haec ex illis quaestionibus, quae reuerentius & prudentius tractantur, ostendendo auctoritates, & rationum fontes; quam interponendo sententiam.

JOH.

JOH. HENRICI BOECLERI

LIBELLVS MEMORIALIS ETHICVS.



Q. F. F. Q. S.

LIBELLVS MEMORIALIS ETHICVS.

QUæ præmitti ſolent, peti poſſunt ex *Ger. Jo. Voſſ. libello de Philoſophia cap.* 18.

Addamus huc pauca. *Philoſophiam practicam ſiue Actiuam* Ariſtoteles plerumque *Politices* nomine abſoluit; vt *Ethica* ciuilis doctrinæ pars communior & generalior; *Oeconomica* & *Politica*, ſingulariter ſic dicta, ſpeciales partes intelligantur. Idem in omni philoſophia practica *ſcopus, felicitas ciuilis*, non alia in Ethicis, alia in Politicis, ſed eadem ſpectatur: quæ quid ſit, & quomodo ad eam peruenire oporteat, in *Ethicis* vniuerſe exponitur; in *Politicis*, per ſingulas ciuitatis partes, idem oſtenditur; vt in *Oeconomicis*, quantum ad familiam attinet.

Philoſophiam moralem vocant Ethicam: quæ etiam, *Ars vitæ, locus de expetendis & fugiendis, locus de electione, & fuga*, veteribus dicitur. quamquam hæ appellationes non raro totam philoſophiam practicam ſignificant. *Locus de Officiis* eodem pertinet.

Omnia quæ in Ethicis docentur & diſcuntur, petita ſunt, tanquam concluſiones ex *Principiis*, naturâ notis, id eſt, lege naturæ, ſeu

recta

recta ratione. Quo pertinet quæstio de certitudine huius disciplinæ, diligenter tractata *Horneio Ethic. lib.2. cap.2.*

In S. quoque literis, quæ ad omnem philosophiam practicam per modum cohortationis aut characteris tradi possunt, abunde continentur.

In profanis litteris antiquissima Poëtarum fors est. *Pythagoræ, Socratis, Aristotelis* labores in hoc genere.

Stoici volunt in parte parænetica præcellere. neque denegatur ipsis magnificentia sententiarum, & vis cohortandi. de cetero peccant cauillatione vocabulorum, arrogantia & affectatione perfectionis maioris, quam materia capit; erroribus quibusdam. Lapsus inter juniores *Lipsius* in hoc genere.

Studium Ethicum non absoluitur libellis & præceptis: sed obseruatione rerum singularium, in historia præsertim, & fabulis siue dramatibus. Vbi & de illo genere fabularum, quale *Argenis Barclaii* &c.

Quæstio de idoneo auditore Ethicæ, ab Aristotele mota, quo spectet, dictum. Alias enim verissimum illud veterum celeusma: *Philosophandum Juueni & Seni*; ne quid sanitatem mentis remoretur: quam præsertim philosophia practica promittit. *Cic. Tuscul. quæst. lib.3. cap.3. & 4. & 5.* Valeat ergo illud Poëtæ:

—— petite hinc juuenesq; senesq;
Finem animo certum, miserisq; viatica canis.

adde *Horat. lib. 1. ep. 1. & 2.*

PARS

PARS PRIMA
De Felicitate.

Summa autem huius studii philosophandi in eo est, vt felicitatem meditemur. Regula veteris philosophiæ est: *Quæ felicitatem faciunt, meditanda. Quid est enim in vita tantopere quærendum, quam cum omnia in philosophia, tum id, quod his libris quæritur, quid sit finis, quid extremum, quid vltimum, quo sint omnia bene viuendi recteq; faciendi consilia referenda? quid sequatur natura, vt summum ex rebus expetendis? quid fugiat, vt extremum malorum?* Sunt hæc verba *Ciceronis principio eius operis, quo meditatur, quæ felicitatem faciunt.* *lib. 1. de fin. cap. 4.*

Quærimus igitur, quid sit extremum, quid vltimum bonorum. quod omnium philosophorum sententia tale esse debet, vt ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. Iterum *Cicero*. *Bonorum omnium complexio, summum bonum, Finis,* per excellentiam alias dicitur. *1. de fin. 9.*

An sit talis aliqua felicitas in hac vita mortali, prima dubitatio est. Vbi & Ethnici agnouerunt, *Plato* præsertim, absolutam omnibus numeris felicitatem expectari in hac vita non posse, sed post mortalitatem hanc sperandam. vnde jam Christiana disciplina excipit, & veriorem sententiam prosequitur. Intelligi ergo debet felicitas hæc intra hos limites: quantum mortalis vita capit. Sufficit enim talis status, in quo quam optime sit, quantum licet, i. e. in quo bonorum necessariorum quàm plurimum, malorum quorumuis quàm mini- *in Epinomide.*

minimum adsit, ita vt vita suauiter, tranquille, permanenter degatur, in quantum loci, rerum, hominum conditio fert. *Ciceronis* locus insignis est: *Nomen beati longe lateq; patet. Nam vt quaestuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera semper omni damno, altera omnis tempestatis calamitate semper vacet; sed si multo maiore ex parte extat in vtraq; felicitas: sic vita, non solum si vndiq; referta bonis est, sed si multo maiore & grauiore ex parte bona propendent, beata recte dici potest.*

Tusc. quaest. lib. 5. cap. 31.

Viuere itaque *omnes beate volunt: sed ad peruidendum, quod sit, quod beatam vitam efficiat, caligant,* inquit *Seneca.* cuius tota dissertatio legenda est. Multae fuerunt ac diuersae de felicitate assequenda sententiae; non in vulgus tantum, sed etiam inter sapientes; nisi quod horum sententias ad concordiam redigere nonnulli, non frustra forte, contenderunt.

de vita beata cap. 1.

Diuersis velis statum felicitatis eundem intellexerunt veteres Philosophi, quando de *tranquillitate animi, securitate animi, immunitate à pauore, bono pacatoq; animi statu, imperturbato & tranquillo animi statu,* loquuntur.

Quibus autem rebus ad felicitatem istam perueniri possit, siue in quibus rebus posita sit illa felicitas (nam & ita loquuntur) diuortia sententiarum deprehendimus; pro diuerso animorum apud homines habitu, diversisque, quae inde sequuntur, studiis. Vnde *Aristoteles* diuersitatem illam sententiarum ad tria vitae genera retulit: *voluptarium, ciuile, & contemplatiuum.* hoc sensu; vt qui ad volupta-

tem

tem omnia referunt, in primo genere collocentur; in secundo, qui vel ad divitias, vel ad honores omnia referunt; in tertio subsistant, qui in contemplatione rerum sublimium & cognitione sapientiæ præcipuum felicitatis constituunt. Sed hæc ad sententias aberrantes pertinent. Possumus aliter procedere, ut complectamur veram.

Nimirum cum bona omnia *vel* sint animi, *vel* corporis, *vel* fortunæ; aliqui illa, aliqui ista, quidam hæc præcipue sibi sectanda duxerunt. Hinc quibus bona animi placent, *vel* cognitionem (vt in contemplatiuo genere *Aristotelis*) *vel* delectationem, quæ felicitatis comes est, *vel* virtutem pro summo bono amplexi sunt. Qui bona corporis respexerunt, voluptuarii illi sunt, ut Aristippus & Cyrenaici. Bona fortunæ sola vulgo appeti, non potest negari, sed inter philosophos nemo sine ceteris sibi proposuit. Plerique enim omnia illa tria genera bonorum ad felicitatem requisiuerunt; in quibus etiam Aristotelis nomen ponitur. pertinet huc *Martialis* *epigramma.* *lib. 10. epig. 47.*

In judicio porro de felicitate ferendo vulgus vulgariter solet versari; & fere ea quisque admiratur, quæ in alio conspicit, & quibus ipse caret. Quem locum egregie tractat *Horatius.* Sicut ex diverso sapientes regulam sibi ponunt; *nil admirari.* quod Stoicorum est. tranquillum scilicet statum animi ita circumloquuntur. *lib. 1. serm. sat. 1.*

Horat. 1. Epist. 6.

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaq; quæ possit facere, & seruare beatum;

inquit *Horatius.* Sicut alii hanc tranquillitatem animi per otium & secretam priuatamque vitam describunt. Huc enim pertinent illi loci apud Poëtas, *Horatium de laudibus vitæ rusticæ, Epod. carm. 2. Virgilium in 2. Georg.*

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas, &c.

Lips. cent. 1. Epist. miscel. ep. 8.

addendus est *Seneca in Hyppolito* de laudibus vitæ rusticæ.

Aberrantium Sententiarum prima
De voluptate.

Fuisse homines, & adhuc esse, qui ita vivant, ut nihil potius, quàm voluptates appetant, res ipsa loquitur. Sed quod inter Philosophos *Epicurus* eius sententiæ auctor ponitur; id jam olim passim à *Seneca*, qui in epistolis severissimas ejus sententias refert, & hodie à pluribus, novissimè à *Petro Gassendo in philosophia Epicurea,* abunde est refutatum. Cum enim finem in *Indolentia corporis & tranquillitate animi* statuit, nihil aliud quàm ceteri philosophi dicunt, vult, si explicatio eius audiatur. Hoc tamen verum est, eos, qui sectatores se Epicuri haberi voluerunt, siue Epicureos dictos, infamem sententiam de voluptate corporis protulisse.

Infimum porro genus hominum est, & bruti animi, quod hanc sententiam fouet. Voluptas enim pecorum bonum est: Vera autem,

autem, id est, humana felicitas debet esse bonum homini proprium. *Pecora natura prona atq; ventri obedientia finxit. Sed multi mortales dediti ventri atq; somno: indocti inculti q; vitam sicut peregrinantes transiere, quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit.* Quo charactere *Sallustius* hoc genus hominum notat. Poëtæ in sociis Ulyssis exemplum dederunt, de quibus *Horatius*, Ulyssem diuersa secutum laudans, inquit: *Catilin. cap.1. & 2.*

Sirenum voces, & Circes pocula nosti, *Epist. 1, 2.*
Quæ si cum sociis stultus cupidusq; bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors.
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Est præterea voluptas res fragilis, caduca, cito transiens. Felicitas autem constans & mansurum quid intelligitur.

Felicitas bonorum est: voluptas sæpius in malis reperitur; imò malos facit; cum vera felicitas hominem perficiat & consummatum reddat.

Sed non est consilium velut in locum communem congerere, quæ ad vituperandam voluptatem pertinent. Summatim videas licet ex oratione Architæ Tarentini apud *Ciceronem in Catone Majore cap.* 12.

Adeundus etiam *Stobæus sermone* 185.

Schema proverbiale huius sententiæ ab omnibus ponitur Sardanapalus. Vid. *Diodor. Siculus lib.* 2. *Athenæus lib.* 8. *c.* 4. *lib.* 12. *cap.* 12. *Dio Chrysostom. orat.* 4. *de regno, Suidas in voce Sardanapal. Cic.* 2. *de fin. c.* 32. *Tuscul. quæst. lib.* 5. *cap.* 35.

Aberrantium Sententiarum secunda

De Diuitiis.

Magna est turba hunc errorem errantium & diuitias vnice sectantium.

Horat. lib. 2. sermon. sat. 3.

——— *omnis enim res,*
Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulcris
Diuitiis parent, quas qui constraxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam, & rex
Et quicquid volet.

Ita scilicet *corrupti mores deprauatiq; sunt admiratione diuitiarum.* Cic. 2. *de offic.* 20. Adde *Stobæi serm.* 234.

1. polit. 6. 2. de fin. 13.

Diuitiæ autem vel naturales sunt; vel artificiales, apud *Aristotelem.* De utrisque *Cicero*: *Ipsa natura diuitias, quibus contenta sit, & parabiles & terminatas habet. inanium autem cupiditatum nec modus ullus, nec finis inueniri potest.*

In neutris autem felicitas collocari potest. quamuis interim, comparandi caussa, & ut ab insano amore habendi homines deterreant, Philosophi sæpe beatum dicunt, qui naturalibus diuitiis contentus paruo viuere gaudet. quo sensu etiam Poëta:

Horat. lib. 1. Epistol. 10.

——— *licet sub paupere tecto*
Reges, & regum, vitâ præcurrere amicos.

Addenda est *Satyra 6. lib. 2. serm.* Et Anacharsidis Epistola apud *Ciceronem Tuscul.* 5. 32.

Nihil aliud interim sunt naturales diuitiæ, quam instrumentum vitæ agendæ comparatum, non autem finis hominis, multo minus

nus artificiales, quæ primo ad naturales referuntur, deinde vlterius.

Vtræque corpori plus inseruiunt, quàm animo.

In summis diuitiis miseria locum habet, quæ felicitatem excludit. Quod in fabulis Midas significat

—— —— *diuesq; miserq;.*

Sæpe non sine malis artibus parantur diuitiæ. *Ouid. metam. lib.11 fab.3.*

Nec raro euanescunt cito, vt fiat, quod Poëta dixit:

Irus & est subito, qui modo Crœsus erat.

Diuitiæ etiam corrumpunt animos non modo singulorum, sed plurimum toti reipublicæ nocent, cum nimium amantur. quam rem tum alias sæpe, tum *duabus rationibus de rep. ordinanda* ostendit *Sallustius.*

Licet tamen & bene vti divitiis: neque sapiens, id est, felicitatis studiosus eas abiiciet, si obuenerint. De qua re memorabilis est dissertatio *Seneca de vita beata cap.*21.22.23. Sunt enim Diuitiæ ex earum rerum genere, quibus bene & male licet vti. vid. *Stobæi serm.*229. & 231. sed & reliqua, quæ de diuitiis dici possunt, magna cura congessit *serm.* 228. 230. 231. 232. 292. 237.

Aberrantium Sententiarum tertia De Honoribus.

Hujus quoque rei nimia cupiditate laborant humanæ mentes: vitio, quod primum innascitur, vltimum exuitur.

Honoris vocabulo comprehendi solet: Nobilitas; Dignitas ac ciuilis potentia; Fama & gloria hominis.

Sed in his rebus quî posset consistere felicitas, cum partim alienæ sint; partim non in potestate hominis; inprimis autem caducæ, fragiles, subjectæ fortunæ; neque tam propter se, quàm propter opinionem virtutis expetantur?

Nobilitate nimium fidentes & gloriantes passim derident Satyrici, *Iuuenalis* inprimis, & Philosophi, inter quos *Seneca* sæpissimè eos exagitat. Vide in vtramque partem apud *Stobæum serm.* 217. 218. 220. & lege insignem *Hieronymi Osorij commentarium de Nobilitate.*

Pericula & miserias magnarum dignitatum *Seneca* passim exequitur. Quo maiora dignitatis fastigia; eo plus periculi. Quem locum etiam Politici tractant. vid. *Lips. polit. lib.* 2. *cap.* 15. & *lib.* 4. *cap.* 6.

Utriusque, & potentiæ & famæ siue gloriæ, nominis immensa cupido in Alexandro, corrupit omnem ejus magnitudinem. Vid. graue judicium *Curtij* 4, 7, 29. *&* 30. Ipse Alexander fassus est morbum animi sui *lib.* 9. *cap.* 6. *in oratione.* Commendari hic debent egregia opera *Jacobi Typotij de Fama,* & *Hieronymi Osorij de gloria.*

Sententiarum aberrantium quarta De contemplatiua vita.

Aristoteles hic exemplum posuit de contemplatio-

platione Idea bonorum, in qua *Plato* felicitatem quæsiuerit. Sed cum sententia de Ideis Platonicis parum sit ad liquidum deducta, ponatur potius eorum opinio, qui omnibus aliis negotiis abducti immori studiis optant; neque aliud expetendum magis credunt, quàm scientiam rerum sublimium & eximiarum. Quos arguit Cicero, cum dicit: *Sapientiæ studio à rebus gerendis abduci, contra officium est. virtutis enim laus omnis in actione consistit.* 1. *offic.* 6. c. 21. 26. 45. &c.

Quare & Stoici hic à laudato tantopere otio sapientis quædam tempora excipiunt; de qua re ex professo *Seneca in fragm. de otio sapientis*: & Epicurus, licet neget, *Sapientem ad Remp. accessurum, aut Principatum gesturum*, addit tamen exceptionem, quam viderat necessariam, *nisi quid interuenerit*, id est, nisi idonea caussa eum huc vocauerit. Non ingeret se, sed neque subducet omnino.

Cautiones tamen quædam hic adhibendæ; ut recte judicetur de raro hoc genere hominum.

Sententia de felicitate vera.

Vera denique sententia de Felicitate est, quod ea *in perpetua actione virtutis* consistat. Licet enim alii aliter efferrent Philosophi, idem tamen senserunt. Stoicis, *secundum naturam viuere*, nihil aliud est, quàm constanter & uno tenore facere, quæ virtus dictat. Soli scilicet virtuti conueniunt illa, quibus summum bonum describi solet: quæ diligenter

attendit *Lipsius lib.* 1. *polit. c.* 1. vbi non aliter de virtute agit.

Acad. quæst. 1. 6. *Omnis illa antiqua philosophia*, inquit *Cicero*, *sensit, in una virtute esse positam beatam vitam: nec tamen beatissimam, nisi adiungerentur & corporis & alia bona, ad virtutis usum idonea.*

Felix igitur est, *qui virtutis perfectæ perfecto munere functus est*, ut sententiam Aristotelis iterum effert *Cicero*. *Tuscul.* 1. 48.

Comparatur autem hæc felicitas primum quidem auspicio divino, quod & *Aristoteles* agnovit; deinde industria humana, & crebro agendo, atque adeo consuetudine, cujus maxima vis est: estque bonum venerabile potius, quam laudabile.

Vita perfecta, de qua Philosophus loquitur, peperit illam quæstionem de sententiæ Solonis veritate; secundum quem scilicet

Ovid. metamorph. 3. *fab.* 2.

——— ——— vltima semper
Expectanda dies homini est: diciq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

describente historiam *Herodoto libro* 1. & repetente *Cicerone Tuscul.* 1. *cap.* 47. Sicut autem Solon ad retundendam insolentiam, & ostendendam rerum humanarum fragilitatem, recte ita dixit: ita dubitandum non est, quin etiam viuus possit beatus dici, sicut Aristoteles copiose ostendit.

IN SECVNDA PARTE Philosophiæ moralis.

Agere solent de homine, ut est capax hujus felicitatis: explicantque partes animi & facultates;

tates: tractant de intellectu, voluntate, libero arbitrio, affectibus. Quæ quia in *Physicis* & *Anima* copiosius executus erat Philosophus, in philosophia morali paucis attingit: neque vltra quam opus est.

Ostendit ergo sic: quod pars alia animæ sit *ratione prædita*; alia *rationis expers*. *Rationis expers* subdividi potest, ut alia *sit omnino rationis expers*, quæ dicitur anima vegetans, à qua proficiscitur nutritio & augmentatio, homini non cum brutis modo sed etiam cum plantis communis: *alia non quidem habens rationem*, cum qua sæpe pugnat, *sed idonea tamen rationi parere*, atque adeo quodammodo de ratione participans, quæ dicitur appetitus sensuum. Sequestrata ergo parte prorsus rationis experte, cui nihil hic loci, remanent pars rationalis per essentiam; in qua sunt *Virtutes dianoëticæ* sive intellectivæ; & pars rationalis per participationem, in qua sunt *virtutes morales*. Hæc summa totius tractationis Aristotelicæ, quam *Horneius* veluti commentario diffudit *Ethic. lib. 2. toto.* *lib. 1. Eth. c. 13.*

Cicero ita repetit: *Est enim animus in partes tributus duas: quarum altera est rationis particeps, altera expers. Cum igitur præcipitur, ut nobismet ipsis imperemus*, hoc præcipitur, ut ratio coërceat *temeritatem*. adde *totum, & seq. caput*. *Tuscul. q. 2. 21.*

TERTIA PARS
De virtutibus.

Ante omnia hic inquirendum: quid Virtus sit; quam varie descripserunt. *Cicero*: *Vir-*

2. de invent. 53. *tus est animi habitus, naturæ modo, rationi consentaneus.* Alibi: *Virtus est nihil aliud quàm in se*
1. de ll. 8. *perfecta, & ad summum perducta natura.* Rursus: *est enim virtus perfecta ratio.* Alibi: *Virtus est affectio animi constans conueniensq́, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis.* Ex
1. de ll. 16.
4. Tuscul. 14.
ea proficiscuntur honestæ voluntates, sententiæ, actiones, omnisq́ recta ratio, quamquam ipsa virtus breuissime recta ratio dici potest. Alibi: *Omnis*
in Brut. cap. 40. *virtus, ut vetus Academia dicit, est mediocritas.*

Atque hæc est sententia *Aristotelica*, quæ virtutem definit *habitum cum electione, consistentem in mediocritate, ad nos relata, ratione definitum, vt vir prudens definiuerit.* Quanquam
2. Eth. 6. enim virtus ob præstantiam summum aliquid sit, medium tamen aliquid ex conditione naturæ recte dicitur. *Horatius* expressit illo celebri carmine:

lib. 1. serm. sat. 1.
> *Est modus in rebus; sunt certi deniq́ fines,*
> *Quos ultra citraq́ nequit consistere rectum.*

Et alibi exemplis ostendit, quod

lib. 1. ep. 18. *Virtus est medium vitiorum, & utrinq́ reductum.*

Medium est virtus, inter duo extrema, siue vitia: quorum ab uno longius, quàm ab alio abest.

Illa extrema, vitia sunt. Est enim *virtutis*
4. Tuscul. 15. *contraria vitiositas*, inquit *Cicero*. *Sic enim malo, quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν appellant. Nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est: vitiositas, omnium.*

Impugnata eſt hæc *Ariſtotelis* ſententia & olim & hodie. Videatur *Grotius in prolegom. ad Jus belli & Pacis.* Sed non leuia ſunt, quæ pro *Ariſtotele* dici poſſunt.

De principiis humanarum actionum.

Explicata virtutis natura *Ariſtoteles* agit de principiis humanarum actionum: ponitque quatuor; *Spontaneum, Electionem, Conſultationem, Voluntatem*. Quia enim à virtute profectum non cenſetur, quod vel forte, vel non ſponte, vel ab inuitis, & ſine electione fit: opus eſt, paulò accuratius iſta intelligere. Sicut & in malis actionibus plurimum differunt, quæ deliberato conſilio, & quæ per imprudentiam fiunt.

SPONTANEUM ſolet duobus modis tractari: explicatione rei ipſius, ſiue naturæ ſpontanei; & declaratione oppoſiti, id eſt, inuiti.

Spontaneum eſt quod à ſcientibus fit, accedente appetitus ſenſitiui inclinatione; etiam rationalis i. e. voluntatis; ſed de illa ſeorſum poſtea agetur.

Scientia, quæ eſt principium actionum humanarum, *conſcientia* proprie vocatur, quæ præcipiendo & ſuadendo, vetando & diſſuadendo actionibus humanis interuenit, eſtque vel *recta*, vel *probabilis*, vel *erronea*. Addunt alii, *dubiam*, & *ſcrupuloſam*: quatenus hæſitatio etiam interdum dicitur judicium intellectus.

De

De conſcientia egerunt abunde *Theologi, Scholaſtici* & *Philoſophi.* Paucis *Horneius lib.3. eth. c.4.*

Lipſius lib.1. c.5. præclare oſtendit; in omni vita ciuili conſcientiæ dictamen vtramque paginam facere. Addatur *Stobæi ſerm.* 24.

Sed *Spontanei* natura amplius intelligitur ex oppoſito; nempe ex Inuito.

Inuitum eſt duplex: *per violentiam*, & *per ignorantiam.*

Inuitum per violentiam eſt, cuius cauſſa eſt plane externa, cum ſubiectum, quod videtur agere, nihil confert ad actionem proprie loquendo. Viderunt non antiqua tantum ſæcula in perſecutionibus Chriſtianorum illam ſæuitiam, qua diducto per vim ore idolothyta inſulciebant, eaque poſtea inſtrumentis quibuſdam per gulam detrudebant tortores: ſed hoc ipſo ſæculo in Sileſia à ſacrificulis manu militari armatis Aug. Conf. hominibus hoſtiæ ad eundem modum obtruſæ ſunt, ut viderentur religionem mutaſſe.

Eſt autem *violentum* aliud *reuera tale*, quod jam deſcripſimus, aliud *apparet tale, nec eſt.*

Hinc diſputatio de *actionibus mixtis*, quas aliqui vocant, quæ vera æſtimatione ſunt ſpontaneæ & voluntariæ. quod vere Ariſtoteles judicat. Vſitatiſſimum exemplum eſt de mercibus, in tempeſtate, ſeruandæ nauis cauſſa eiectis. *Curtius* ita effert: *Gubernator, vbi naufragium timet, jactura, quicquid ſervari poteſt, redimit.* In bello partem prouinciarum cedit victori, qui metuit, ne totum regnum

5.6.3.

amit-

amittat. Non libenter quidem huc descenditur, sed quia tamen ad vitandum maius malum hoc eligitur, spontanea est actio, non inuita. malum enim, quod obtutu maioris mali eligitur, exuit naturam mali morali æstimatione, & incipit naturam boni habere. Talis est deliberatio: *Libertas an pax placeat*, ap. *Tacitum* 4. *H.*67. *& Grotium I.B.* 2,24,6.

Pertinent huc sententiæ vere philosophicæ apud *M. Senecam Rhetorem*: *Non est vis, vbi aliquid expediendæ rei caussa patiendum est, sed ratio.* Et: *Non est admonere vim, aliquid cum certa conditione promittere, si qua vis est, a te tibi adbibita est.* *lib. IV. controu.* 26.

Maximus huius philosophiæ usus est, ubi *de vi actio* est. ibi enim quæritur: *An in re vis sit.* vide exemplum nobile apud *M. Senecam*, ubi etiam *vis iniuriosa* à *salutari* distinguitur. Tum etiam, quando agitur de *vi metuq; gestis*: itemque *de damno dato*, ubi multum valet, τὸ ἑκόντα ἢ ἄκοντα, i. e. *volentem aut inuitum fecisse*, ut notat *Libanius declamat.* 27. *lib. IV. controu.* 28.

Diximus de Inuito per violentiam vel vero, vel apparente.

Aliud est *inuitum per ignorantiam*: *quod fit ob ignorantiam, ita tamen, vt eum, qui fecit, illius postea pæniteat*, describente *Aristotele*. 3. *Eth.* 1.

Hîc ergo de ignorantia fuse agunt *Theologi, Scholastici & Morales*, subtiliterque partiuntur, 1. *quod ab ignorante quidem fit, sed non ob ignorantiam*; 2. *quod ob ignorantiam sit pænitentiâ consequente factum*; 3. *quod ob ignorantiam sit pænitentia non consequente factum.* Aliam item dicunt

dicunt ignorantiam *vincibilem*, aliam *inuincibilem*.

Maximum habet uſum hæc philoſophia, ubi de æſtimatione delictorum agitur: quæ *Ariſtoteli* ſunt trium generum; *plena iniuria, infortunium, & media culpa.* Bene explicata hæc vide à *Grotio I.B.* 3,11. 4. *&* 2, 21. 5. Add. *M. Senec. Excerpt. Controu.* 3, 6. *Liban. loc. commun. contra homicid.*

Juriſconſultorum diſtinctio eſt, in *ignorantiam juris & facti*. Ubi philoſophicæ iſtæ diſtinctiones iterum tamen locum habent.

Ipſa autem nomina rem indicant. Eſt enim *ignorantia juris*, cum quis ignorat jus ſuum, ſiue finem ſuæ actionis; ſive, quid in actione ſit honeſtum, juſtum, utile, aut his contrarium.

Ignorantia facti eſt, cum ignoratur, quid contigerit: ſiue quando circumſtantiæ ignorantur, in quibus cum præcipua actionis vis conſiſtat, agens tamen prouidere non potuit. Illa *uniuerſalis*, hæc *particularis* dicitur.

Illa (ignorantia juris) cum plerumque ſit affectata, actionem non reddit inuitam, nec excuſat agentem, quod in jure naturali manifeſtum eſt. Videatur tamen limitatio *Grotij I.B.* 2,20,43. Nec in jure ciuili, quod omnes ſcire debent, res ſe aliter habet: niſi quod ignorantia aliqua ſine culpa interdum eſſe poteſt (*Grot. I.B.* 2,23,13.) neque peræque ſemper nocet; quamquam *prodeſſe* vix dici poſſit, ſi accurate velimus loqui.

Hæc (ignorantia facti) actionem reddit inui-

inuitam & excusat, si caret dolo, non est culpa nostra acquisita, habet conjunctam pœnitentiam.

Quomodo jura ciuilia de utraque ignorantia juris & facti decernant, aurea est dissertatio *Cujacij obseruationum lib.5. cap.39.*

Ex principiis humanarum actionum secundum dicitur *ELECTIO* sive *Proæresis*, nempe earum rerum, quæ in nostra potestate sunt, ex consultatione profecta appetitio.

Unde conjungendum videmus Tertium, *CONSULTATIONEM*, qua intellectus agit, ut electione, voluntas. Deliberatur autem itidem de rebus, quæ possunt aliter atque aliter euenire; magisque de mediis quàm de finibus.

Quartum principium actionum humanarum est *VOLUNTAS* siue *ipse actus volendi.* nam potentia volendi ad superiorem tractationem pertinet. Voluntas autem est finium.

Velle autem dicitur non tantum, *qui ipse quid facit*, sed etiam, *qui approbat, jubet, consentit, laudat, participat, non impedit, receptat facientem.* In Scholis versus sunt de voluntaria actione:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Egregie hanc philosophiam explicat *Grotius* *I.B.* 2,17. *usq; ad* 12. in materia *damni dati.* & 2.21.1. *& seqq.* in materia *de pœnarum communicatione.*

Ex his ergo apparet, quæ magis, quæ minus

nus voluntaria sint. Maxime voluntaria sunt, quæ homo facit, nullo errore seductus, nulla animi perturbatione impulsus (quanquam & ista voluntaria esse constat) quod sæpius sibi proposuit, & diu animo volutauit, quod sæpius repetiit, magisque sibi in ea re placuit. Minus voluntaria esse, quæ diuerso modo se habent, per se intelligitur.

Disputari hic contra Platonem solet, qui statuerit (in *Protagora* & alibi) neminem volentem malum esse. quamquam alii commodius explicare nituntur.

De connexione, & distributione seu numero virtutum.

Virtutes inter se connexas esse atque cohærentes, omnis fere Veterum philosophia decernit. alii tamen aliter efferunt. Quidam nullam virtutem sine prudentia dicunt esse, adeoque cum ea aduenire omnes pronuntiant: alii in iustitia omnes virtutes inesse dicunt: alii in pietate. quæ sententia posterior *Eusebio* placuit. Est *Ciceronis* locus celebris de hac connexione *lib. 2. de natura Deorum cap. 61. Hæc contuens animus, accedit ad cognitionem deorum, ex qua oritur pietas: cui coniuncta iustitia est, reliquæq; virtutes, è quibus vita beata existit.* Cui consentit *Hierocles*, *quod omnium virtutum dux sit pietas.*

Præparat. Euangel. lib. 8. cap. 8.

In aurea Pythagoreorum carmina.

Ad diuisionem virtutis quod attinet, prætermissis iis, qui vnius virtutis diuersa tantum nomina statuebant, plerique *quatuor virtutes* (principes scilicet, quibus aliæ essent

sub-

subiectæ aut inclusæ) numerarunt: *Prudentiam, Fortitudinem, Iustitiam, Temperantiam. Platonem* ita sensisse non ex *Diogene* tantum *Laërtio* constat, sed & ex *libris de republica. lib. 4. & 6.* Neque *Stoici* aliter: Imo ipse *Aristoteles* hunc numerum laudat *lib.7. Politicor. cap. 1. Cicero in officiis* retinuit quasi communem Philosophorum sententiam *lib. 1. cap. 5.* & sæpius. Sed & *2. de inuentione 53.* Scriptor *ad Herenn. lib.3. cap.2. Liber Sap.8.v.7.* Neque *Thomas* & alii *Scholastici* omiserunt hanc sententiam variis explicationibus adornare.

Aristoteles tamen, quamquam non repudiaret hanc sententiam, non institit presse; sed neque numerum virtutum definivit, sed hoc tantum dixit: singulis explicatis, numerum planum fore. Statimque incepit de Fortitudine agere.

Quoniam autem in illa distinctione Aristotelis, qua virtutes alias morales, alias intellectuales siue dianoëticas fecit; multum boni inest: non erit absurdum, ejus tractationem sequi, & inter morales virtutes primam ponere Fortitudinem.

De Fortitudine.

Fortitudinem *Cicero* describit, quod sit *considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Ubi addit: *partes ejus sunt: magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Aristoteli* est *mediocritas inter ignauiam* (ita enim Latini vocant illam timiditatem) *& audaciam constituta: qua versatur circa ardua* (aggressu scilicet perpessuque) *& terribilia* i.e. in quibus metus *2. de inuent. 54.*

Kk &

& fiducia locum habet, *in quantum ea non exsuperant humanam constantiam; inprimis circa mortem bellicam.*

Quo autem minus voluntarium aliquid est in hac virtute, eo minus fortitudini deputatur. Unde ii, qui præmii & honoris caussa, aut metu ignominiæ fortiter se gerunt; aut sola assuetudine periculorum pericula contemnunt; aut affectu aliquo concitati nihil metuunt; aut fiducia successuum priorum elati ferociunt; aut periculi magnitudinem non intelligunt, fortes accurate loquendo non habentur ab Aristotele.

Non tamen sola mors huc pertinet, quanquam eam præcipue Aristoteles nominet; sed dolor, ignominia, orbitas, paupertas, carcer, exsilium, & similia, quæ aut futura metum, aut præsentia molestiam, eamque non levem creant, viro forti superanda obiiciuntur.

Sed quæ in bello gesta sunt, splendidiora videntur, magisque in oculos incurrunt.
1.de off. 18. Unde Cicero: *In laudibus, quæ magno animo & fortiter, excellenterq; gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus. Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Leuctris*, &c.

Inprimis autem honestas proposita esse viro forti debet. Unde nec justitia nec prudentia vacare potest vera fortitudo. Non justitia: *Ea* enim *animi elatio quæ cernitur in periculis & laboribus, si justitia vacat, pugnatq; non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est.* inquit Cic. Adde quæ sequuntur 1. *offic.* 19.

Non

Non prudentia abesse debet; quia temeritas esset, non fortitudo, cui non subest ratio. Videatur *Seneca epist.85*.

Est tamen modus hic notandus. Verissimum enim est illud *Liuij*; *nulla virtute superari humanarum virium modum*. *lib.4. cap. 52.*

Hinc de *Celtis* veteribus Aristoteles quæstionem mouet, qui nec terræmotum, nec similia formidabant: & de iis dubitatur, qui spectra non metuunt, quod de *Democrito Abderita Lucianus in Philopseude* memorat. Et de Athenodoro *Plinius Epistol. lib.7. ep.27.* Est tamen hic non omnis fortitudini locus denegandus. Neque constantia animi meretur commendari in Bruto, cui malus genius apparuerit apud *Plutarchum in vita*. Solet hic & illa quæstio agitari, de αὐτοχειρία, siue de homicidio in se. Qui ethnicorum hoc probabant, certis tantum casibus suam sententiam accommodabant, sicut videre est ex *Quintiliani declam.* 4. & falsa hypothesi nitebantur: quasi homo esset membrorum & vitæ suæ dominus. Alias nota est lex: *Homicida in se insepultus abjiciatur.* Apud *M.Senec. in Excerpt. controv. lib.* 8. *controv.*4. Adde *Grotium* I.B. 2.19.5.

Inter exempla Heroicæ fortitudinis Alexander apud *Curtium* suam virtutem his notis signat: *liberatione gentium servitute oppressarum* (3, 10, 5. add. 6,3,17.) quo nomine Hercules ab antiquis laudatur apud *Grotium*, I.B.2,20. 40. depulsione iniuriæ à ciuibus & sociis (4.1. 13.) honestate damnorum (*quot cicatrices, tot-*

idem *corporis decora* (4,14.6.) pacis proposito (6,3,5.) gloriâ mortis (3, 8, 21.) immortalitate gloriæ (*lib.9. cap.6.n.18. &c.*) Quamquam si accuratius examinanda ista sunt, sæpe temeritas mixta videbitur virtuti, confessione ipsius Historici: *cum esset præsto vbiq; fortuna, temeritas quoq; in gloriam cesserat.* 3,6,18. In qua tamen quæstione, sicut non repudianda est quædam exceptio de singularitate Heroicorum exemplorum: ita multa sine controuersia audacter facta Alexandri possunt memorari.

Hannibal quoque inter exempla Heroicæ fortitudinis affertur: quem *Liuius* ita describit: *Plurimum audaciæ* (sic in bonam partem) *ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula.* Sed exempla quidem passim ex historia repetenda, & *Valerio Maximo*, ubi *totum caput de fortitudine.*

lib.21. cap. 4.

Sententiæ memorabiles de fortitudine, ab audacia distinguenda, occurrunt apud *Curtium lib.5. cap.9. n.6. & 7. Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Virtus nihil inexpertum omittit. Itaq; vltimum omnium mors est, ad quam non pigre ire, satis est.* Et *lib.9. c.6. n.14. nihil indignius est, quàm consumi fortitudinem, vbi non possit ostendi.*

Extrema fortitudinis, siue vitia ei opposita, sunt, Audacia & Ignavia.

Audacia nihil metuit; ignauia nimis metuit.

Audacia grauiter describitur apud *Curtium lib. 4. c.14. n. 13.18.19.* Adde *Lips. 5. polit. c.15.* &

& nota: quod interdum sit audacia, quæ non videtur esse, vt supra patuit exemplo Alexandri; interdum videatur audacia quæ non est. Huc pertinet illud *Taciti* exemplum 1.A.38. *præsidium ab audacia mutuantis.* & Alexandri apud *Curt.*10.2.30. Nota amplius: temerariorum diuersa esse genera, dum quidam præmiis periculorum in audaciam ruunt: quidam *non tam præmiis periculorum, quàm ipsis periculis læti* deprehenduntur, ut est apud *Tac.2. Hist.*86.

Ignauos describit *Curtius*, qui *pluris qualemcunq; vitam honesta morte æstimant.* 5,8,6. Add. *Sallust. Catilin. c.*58.

Videndus *Stobæus serm.* 101. *&* 168, *&* 169. Et notandum, quod *Aristoteles* non sine causa huic virtuti primorem locum assignauit: quia in tutela virtutis bellicæ omnia cetera latent, sicut *Cicero* præclare ostendit in *oratione pro Murena.*

Reuera enim in *opere Ethico*, quod vix patiuntur vulgo sibi persuaderi, omnia ad rempublicam Aristoteles retulit: adeoque eum ordinem seruauit virtutum, quem respublica postulat. Unde etiam

Fortitudinem consequitur Temperantia.

Quam cum fortitudine eo, quo diximus, nexu jungit *Philosophus* 7. *Polit.* 15.

Quo vocabulo latius uti solet *Cicero*, sicut ex *lib.*1. *off.* constat. Nos cum Aristotele ita hic sentiemus, ut *continentiam* tamen, quam

ipſe ſemiuirtutem exiſtimat, in partem huius virtutis ſerio vocemus. Poteſt & *verecundia* huc acciri, optimo jure.

Temperantiam verſari circa voluptates, quæ guſtu & tactu, ſed inprimis tactu (qui & in cibo potuque vel ex eius voto ſpectatur, qui collum gruis optabat) percipiuntur.

Temperantia conſtat ex prætermittendis voluptatibus corporis, inquit *Cicero de Natura Deor. lib. 3. c. 15.* Et *5. de Fin. 23. Temperantia in prætermittendis voluptatibus cernitur.* Plenius *2. de invent. 54. Temperantia eſt rationis in libidinem atq; in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Ejus partes ſunt: continentia, clementia, modeſtia.* Sed de clementia quidem & modeſtia alia eſt tractatio. *Continentiam* autem huc vocauimus, quam *Cicero* ibi deſcribit: *Continentia eſt, per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur.* Quanquam hæc deſcriptio latius patere videtur. nos enim continentiam ex uſu Latine loquentium in materia huius virtutis (Temperantiæ) ut deſignata eſt, accipimus. Adhuc plenius in *partitionibus orator. c. 22. Quæ verò moderandis cupiditatibus regendiſq; animi motibus laudatur, eius eſt munus in agendo: cui temperantia nomen eſt. Temperantia autem in ſuas itidem res, & in communes, diſtributa eſt, duobuſq; modis in rebus commodis diſcernitur: & ea, quæ abſunt, non expetendo: & ab iis, quæ in poteſtate ſunt, abſtinendo.* Quæ omnia philoſophiæ Ariſtotelicæ probe conſonant.

Virtutem hanc cum verecundia conjungit
idem

idem *Cicero*, quando adoleſcentibus eam commendat. *Maxime autem hæc ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaq; in labore, patientiaq; & animi & corporis; ut eorum & in bellicis & ciuilibus officiis vigeat induſtria. Atq; etiam cum relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caueant intemperantiam, meminerint verecundiæ.* 1. offic. 34.

Ubi notandum ex tribus remediis adverſus intemperantiam, quæ & præſidia ſiue auxilia temperantiæ poſſunt vocari, unum hic laudari; nempe *occupationem liberalem & induſtriam*: alterum eſt, *exquiſita ſobrietas*; tertium, *ipſa reſiſtendi & vincendi aſſuetudo*.

Diſtribui vulgo ſolet hæc virtus his partibus; *Abſtinentia cibi*; *ſobrietate potus* (quantum ad guſtum) tum *caſtitate*, & *pudicitia*, quantum ad tactum. Sed *ſobrietas* omnino etiam *abſtinentiam* complectitur: quæ vox *vel* late uſurpatur, ſicut ipſa *temperantia*; vel anguſtius de eo qui alienis abſtinet, nec auarus eſt, aut ex alieno ditari cupit. In priori genere loquendi notus eſt locus *Horatij*: *abſtinuit venere & vino*; In poſteriore, inprimis titulus *Valerij Maximi lib. 4. c. 3. de abſtinentia & continentia. Tacitus* cum *integritate* coniungit *in Agricola cap. 9. Pudicitia* quoque non ſemper à caſtitate diſtinguitur. Pars pudicitiæ, ſeorſum acceptæ, eſt verecundia; ſiue apud nonnullos, idem cum pudicitia. Cernitur autem non in omni modo actione, ſed in geſtu, in vultu, in verbis; in quibus pudorem remouerunt & *Cynici* veteres, & hodierni petulantiæ ac laſciuiæ magiſtri. Meliore uten-

dum eſt doctore *Cicerone*, cuius grauiſſima eſt doctrina *lib.*1. *offic. cap.*35. De rubore vide diſputationem *Senecæ ep.*11.

ep.88. Idem *Seneca* Temperantiæ officia ita deſignat: *Temperantia voluptatibus imperat: alias odit, atq; abigit; alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupitorum; non quantum velis, ſed quantum debeas, ſumere.*

Temperantiæ dignitas & vtilitas inde etiam illuſtratur, quando voluptatum turpitudo & noxa oſtenditur, de qua re ſupra.

Conſeruatrix autem eſt Temperantia bonæ valetudinis, ingenii & prudentiæ; & in ciuitate boni ordinis, diſciplinæ, publicæ honeſtatis, fortitudinis &c.

Sicut *Intemperantia* publice priuatimque noxia eſt. *Animo per libidines corrupto nihil honeſtum ineſt*, inquit *Tacitus*. hinc Principes contemtibiles fiunt, quod oſtendit *Lipſius* 4. *Polit. c.*12. hinc ciuitas tota corruptioni obnoxia ad interitum tendit, ſicut *Salluſtius* paſſim inculcat. Romæ cenſura aduerſus libidines, & gulæ vitia inſtituta, de qua *Lipſ.*4. *Polit.*11. Hoc loco quidam etiam aduerſus magiſtros artis coquinariæ, varia gulæ incitamenta excogitantes, declamant.

1. Annal. 27. (margin)

Atque hoc vnum eſt vitium, quod temperantiæ opponitur. Alterum autem, cui nomen non inuenit, ſed finxit *Ariſtoteles*, ita deſcribitur à *Cicerone in partitionibus*: quod ſit *immanitas quædam in aſpernandis omnibus etiam neceſſa-*

necessariis & honestis voluptatibus. Sed vix occurrit. Unde Aristoteli controuersia mota.

Alexandri temperantiam, antequam degenerasset, describit *Curtius*: *modus immodicarum voluptatum; veneris intra naturale desiderium vsus, nec vlla nisi ex permisso voluptas.* Et alibi *in voluptatibus permissis quoq; & vsitatis temperantiam* laudat. Sed jamjam, ut ibidem describitur, ad intemperantiam desciuerat. Vide amplius id notantem *Historicum lib.*8. *cap.*4. *n.*24. 25. Non inter postremas exitii caussas Alexandro intemperantia fuit. *lib.*10. *cap.* 5. *lib.*5. *cap.* 7.

In sacris Heroica castitas Josephi celebratur, quam commendat amplius *Philo de vita Josephi.* Sed non est consilium locos communes scribere, quod ab aliis factum. *Stobæi* huc pertinent *sermones* 37. & 84. *de Temperantia*, 38. *de intemperantia*; 87, *de gula*; 74. *luxuria*; 122. *de verecundia*; *add.* 124. & 125.

De Liberalitate.

Summa philosophiæ Aristotelicæ est: *Liberalitatem esse virtutem, quæ modo & ratione utatur in dandis accipiendisq; pecuniis, præcipue tamen dandis; nec pecuniis tantum, sed quorumcunq; pretium numo metiri homines solent: dando scilicet, quibus, quantum, quomodo, oportet: non de alieno, sed de suo: honestatis causa.*

Beneficentia etiam vocatur hæc virtus: *cujus ratio*, secundum *Ciceronem*, *est duplex: nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia.* Quæ duæ rationes in sequentibus etiam comparantur notabiliter. 2. *offic.* 15.

Tractauit de hac virtute concisius sed notabiliter *Cicero Idem 1. offic.* 14. ubi præsertim etiam *tres cautiones* ponit. 1. *Ne obsit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, & ceteris.* 2. *Ne benignitas maior sit, quàm facultas.* 3. *Ut beneficium non sine delectu tribuatur.* Qua occasione elegantissima instituitur disputatio de ordine & discrimine eorum, quibus bene faciendum est.

Longe autem copiosius, & ad exemplar accuratæ philosophiæ tractauit hoc argumentum *Seneca* integro opere VII. *librorum de Beneficiis.*

Atque huius loci est etiam nobilissima quæstio, de grato animo, siue, ut vulgo loquuntur, de gratitudine. Ubi primo occurrit *grati animi laudatio.* 2. *Ingrati reprehensio.* 3. *De pœna ingratorum.* Et, *an sit aliqua actio aduersus ingratum?* Cuius disputationis duæ sunt partes: 1. *an legibus prodita sit aliqua actio aduersus ingratos?* Quod omnino negandum non est. Apud Macedonas enim erat actio aduersus ingratos. Et apud *M. Senec. Controu. IV.* 24. haud dubie ex lege quæ extabat: *Ingrati actio.* Addendus est *Quintilianus declam.* 335. 2. *An debeat* prodi actio aduersus ingratum, de qua re *Seneca* 3. *de benef.* 6. 7. *&c.* & *Grotius I. B.* 2, 20, 20.

Sicut autem *Cicero* hanc virtutem fecit partem iustitiæ (dum ratiocinatores bonos vult esse beneficiorum, ubi, quando, quomodo collocari debeant; siue quantum sit cuique tribuendum) ita *humanitas* & *elegantia* rem

totam

totam gubernant; omniumque beneficiorum non condimentum modo, ſed complementum ſunt.

Alexandri M. liberalitas laudata *Curtio* 10, 5, 28.

Vitia Liberalitati oppoſita, ſunt *Prodigentia* & *Auaritia*.

Prodigentia ſeu profuſio modum excedit in largiendo. *Perdere hic ſciet, donare neſciet*, eſt apud *Tacitum*. Sunt autem prodigi alii 1. *vanitate ingenij* ad oſtentationem procliuis. 2. alii *calliditate*. Quo etiam pertinent largitiones ineſcandis hominibus, quibus ambitioſi utuntur, ut ad honores & potentiam perueniant. Priuatim ſibi nocet prodigus: publice, ciuitati. Nam ſi *ambitione exhauriunt ærarium Principes, per ſcelera ſupplere ſtudent*, ſicut in mala cauſſa bene pronunciauit Tiberius apud *Tacitum*. Dubiæ æſtimationis factum vide apud *Curt*. 8, 12, 16. & 17.

1. H. 30.

2. A. 38.

Auaritiam & auaros, qui nec dant, quibus aut quomodo debent, & accipiunt, unde & quantum non debent accipere, multis nominibus Græcis notauit *Ariſtoteles, parcos* vocans, *tenaces, illiberales, ſordidos, turpis lucri cupidos, paruas impenſas magni æſtimare ſolitos, deceptores, depilatores*. Priuatim quam ſordida & ærumnoſa ſit auaritia, *Plautus* deſcripſit *in Aulularia*, ſub perſona *Euclionis*: publice noxam eius inſigni declaratione oſtendit *Salluſtius* paſſim, tum in *orationibus de rep. ord*.

De

De Magnificentia.

Magnificentiam tribus fere modis apud Veteres dici, comperimus. *Primo* enim amplitudinem notat: hinc *res amplæ atq; magnificæ* sæpe junguntur. *Deinde* idem notat, quod *magnitudo animi*: unde à *Cicerone* describitur: quod sit *rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione agitatio atq; administratio.* Facit ibi quidem partem Fortitudinis; sed eo sensu, quo Veteres sub fortitudine, magnanimitatem comprehendunt. *Tertia* significatio ad Virtutem hanc Aristotelis pertinet: qua Magnificentia est, quæ sumtibus magnis & in magna re collocandis decorum seruat.

1. de invent. c. 54.

Hic reprehendunt Aristotelem nonnulli, quod ex una virtute duas fecerit, liberalitatem scilicet & magnificentiam. sed ipse discrimen assignat: 1. quod liberalitas in mediocribus fere impensis; magnificentia in magnis, unde & nomen habet, spectetur. 2. quod liberalitas quodam̃odo etiam in accipiendo; magnificentia tantum in faciendis sumtibus versetur. 3. Quia omnis magnificus, liberalis; sed non inuicem omnis liberalis magnificus dici possit. 4. Quia liberalis in alios tantùm; magnificus in se quoque & suos dici possit.

Scientiam ergo Magnifici eo fine terminat *Philosophus*, ut opera sint sumtibus digna; & sumptus operibus respondeat. Opera intellige necessaria, vtilia, diuturna, inprimis publica

blica (quamquam priuata non excludantur) non ostentationis aut ambitionis gratia facta, sed honestatis amore & reipublicæ, veræque gloriæ. Unde viris, dignitate, potentia, opibus, pollentibus conuenit hæc virtus: id est, magnorum hominum est, non humilium.

Magnificentiæ illustria monumenta Historia Romana in Cæsaribus memorat. *Urbs ipsa* Roma *magnifico ornatu,* Augusti opus apud *Tacitum* 1. *A.* 9. *Suetonius* imprimis diligenter memorat in uniuscuiusque Principis vita opera publica. Quod & alii fecerunt postea. Constantini M. magnificentia in templis, & ornatu templorum: apud Scriptores historiæ Ecclesiasticæ. Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia huius generis sunt.

Alia ad deliniendam plebem tantum pertinent, ut spectacula, ludi, viscerationes, congiaria, donatiua, de quibus grauissima est tractatio *Ciceronis* 2. *offic. cap.*16. *& seqq.*

Facilis autem lapsus à recta ratione sumtuum in luxum. Apud *Tacitum* legas: *Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabebantur.* in luxum sc. 3. *A.* 55.

Est enim *luxus* vitium, quo sumptus in res indignas aut viles proiiciuntur; inanis voluptatis aut ineptæ ostentationis gratia. Sicut in histriones, gladiatores, aurigandi artifices, hodie in venationes, comessationes &c. plenæ sunt historiæ Principum, non luxu modo, sed portentoso luxu.

In

In republica, quantum noceat, omnis æui exempla docent. Vide nobilem consultationem de luxu coërcendo in *Taciti 3. A. 52. usq. ad 56.* Quanquam id politicæ potius considerationis est.

Alterum vitium, quod Magnificentiæ opponitur, est, cum in res magnas sumtus nec abunde nec decore impenditur, aut lucrum ex rebus inhonestis aut indecoris captatur, ut; vectigal urinarium, chrysargyron, &c.

Pertinent huc sermones *Stobæi, de liberalitate: de prodigalitate 73. & 74. de parcis & illiberalibus 78. & 79. de auaritia 53, 54, 55. & 230.*

De Magnanimitate.

Hæc virtus, nunquam fere nisi obscurius aut confusius tractari solita, incomparabiliter ab *Aristotele* describitur. Ceteri partem fortitudinis faciunt: sed Aristoteles in omni virtute magno animo locum relinquit.

Quoniam autem propositæ erant virtutes, circa *pecuniam* recte versantes; Magnanimitati & Modestiæ deinceps id officium tribuit *Philosophus*, ut *Honores* moderentur. Ad præcipuum scilicet respexit. Nam magni animi officia latius patent; inprimisque etiam despicientiam rerum externarum complectuntur. Unde *Stoici*, quando locum hunc tractant, suum illud, *nihil admirari*, tantopere extollunt.

Unde *Magnanimus* cum reuera magnis rebus dignus sit, non est detrectator sui, sed se magnis

magnis dignum credit: in quibus honoris præcipua æstimatio est. Circa honorem ergo & probra inprimis cerni creditur animi magnitudo. Quanquam in omnium reliquarum virtutum materia præstare studet, qui magno animo est.

Honores scilicet eximios, ut præmium virtutis, à bonis bene delatos amat: spernit minutos, aut undecunque, aut quacunque ex caussa delatos: longeque differt ab inanis gloriæ captatoribus. Solus enim magnanimus intelligit naturam & iter veræ gloriæ: à quo plurimi aberrant. Magnanimo *is demum videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem.* Verbis *Ciceronis ex orat. pro Sex. Rosc. Amer. c.30.*

Ignominiam autem, qua multi franguntur, non æstimat opinione hominum, sed, quam non meruit, spernit.

Sicut autem honorificum non credit laudari, nisi à laudato: ita calumniis parum mouetur. [Huius loci sunt quæstiones de *panegyricis.*]

In *periculis* adeundis rationem dignitatis suæ habet: & cum Alexandro M. dicit apud *Curtium: tandem par animo meo periculum video.* 8,14,14.

In *temperantiâ*, permissis quoque & honestis voluptatibus abstinent, quotiens dignitatis & magnarum rerum cura ei grauiora suadet.

In *liberalitate*, beneficium longe lubentius

in alium confert, quàm ipse ab alio accipit: remunerari gaudet alios abunde; ut sibi potius debeant, quàm ipse aliis: ægre prensat aut rogat: opes honestate non lucro meti:ur.

In *iustitia*, nihil tanti æstimat, ob quod velit ab ea discedere.

In *mansuetudine*, pulcerrimum victoriæ genus existimat, seipsum vicisse, iniurias contemnere, earum memoriam non retinere, neque vindictæ cupidum esse.

Circa *veritatis studium*, Catonis mos ei pro regula est, qui, apud *Sallustium, esse, quàm videri bonus malebat*. Liberi oris, & qui Ulysseas astutias cum Achille Homerico odio habeat. *Honestius putat offendere, quam odisse*, cum Agricola *Taciti*.

Catil. 54.

cap. 22.

In *vrbanitate*, cum Pompeio *verecundi oris* est: neque suæ grauitatis dememinit.

In *reliqua vita*, inprimis vtramque fortunam ferre nouit:

Horat. Carm. lib. 2. od. 10.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus.

creditque sibi præcipi, quod sequitur:

add. Cic. 1. offic. 26.

Rebus angustis animosus atq;
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Magnanima fuit Sysigambis cum dixit: *& præteritæ fortunæ fastigium capio, & præsentis jugum pati possum.* Adde Pori magnanimitatem apud *Curtium* 8, 14, 43.

Curt. 5. 12. 25.

Inter magnos magnum se præbet; reliquis

quis humanum & æquum; ne quem contemnere videatur.

De se non multum, nec sæpe loquitur; ne vel detrectator sui, vel laudator videatur. Sed nec de aliis multus illi sermo: quos nec laudare temere, nec vituperare sustinet. Minime autem omnia statim admiratur, aut adulatur.

Cautio illum & cunctatio in actionibus gubernant: magisque ei, exemplo *Suetonij Paulini, cauta consilia cum ratione, quàm prospera ex casu placent*, apud *Tacitum 2.Hist.25,3.*

Incessus ei & sermo grauis. vid. *Lips.2. Polit.15.*

Omne decus huius virtutis ita in animo est, vt externa illa non mereantur æstimationem, nisi consilio animi interiore gubernentur. Si autem de vlla virtute dici potest, quod nulli perfecta contingat, de hac vtique dici potest, virtutum rarissimâ.

Vitium, quod excedit, est *elatio siue inflatus animus*, de quo *Cicero 1.offic.15. Fortis animus & magnus in homine non perfecto feruentior plerumque est.* Et: *Sed illud odiosum est, quod in hac elatione & magnitudine animi facillime pertinacia & nimia cupiditas Principatus innascitur.* & quæ sequuntur. Fastus *Alexandri* in affectata diuinitate huc pertinet. & quæ de *superbia regia* dicuntur. vid. *Lips.4.polit.6.* *1.offic.19.*

Vitium, quod deficit, est *pusillus abiectusque animus*. de quo exaudiendum est illud *Taciti 4.A.38. contemtu famæ contemni virtutes.*

Videndum tamen, ne *modestia Heroica* (quam ad magnitudinem animi merito retuleris)

leris)

leris) speciem huius vitii occupet. Theologis Humilitas dicitur.

De Modestia.

Antiqui latius hac voce vsi sunt, sicut vel ex *Cicerone* constat. Hic autem notat eam virtutem, quæ circa modicos honores versatur; & à Magnanimitate differt, vt liberalitas à Magnificentia.

Quanquam autem Aristoteles eo fine metiatur has virtutes, quod,qui magna meretur, aut parua, ex se mereri putet, sibique de se credat, tamen potius inde æstimanda sunt, quod *modestus* quidem, vtcumque magna meritus, de se magnifice tamen non sentiat, neque omnem honorem quem meretur exigat, sed humanæ imbecillitatis memor, non fidat opinione sua de meritis suis; neque ambiat honorem,etiam meritum, quin potius meruisse honorem reputet; magnanimus autem potius patrare magna concupiscat,quàm mereri se magna judicet. Pertinetque huc locus
4, 1, 18. *Curtianus: vos quidem macti virtute estote, qui primi intellexistis, quanto maius esset, regnum fastidire, quam accipere.* dum Hephæstio scilicet miratur *magnitudinem animi spernentis, quod alij per ignes ferrumq; peterent.*

Est autem Modestia publice priuatimque
15. A. 2. & decora & vtilis: vereque apud *Tacitum* dicitur: *modestiæ fama neq; summis mortalium spernenda est, & à diis æstimatur.* Estque præcipue in animo: sed spectatur in toto corporis habitu,in oratione, gestuque, pro conditione ætatis, personæ &c.

Vtra-

Vtraque autem virtus tum recte intelligetur; si, quæ de Honore & Gloriâ philosophia tradit, recte cognita fuerint.

Vitium oppositum est, *Ambitio*, honoris affectatrix, supra quam decet & fas est: priuatim odiosa, publice noxia. Sicut præsertim *Sallustius* in caussis corruptæ reip. hanc ponit *Catil.* 10. *& seq.* & *Seneca* passim persequitur ambitiosos.

Alterum vitium, quod in honorum contemtu cernitur, vel ad dissolutos homines pertinet, teste Cicerone, vel ambitionis genus est, quotiens simulatur honorum contemtus. Vera quoque modestia aliquando iniquam æstimationem subit, vt in illo *Horatij*:

—— plerumq́, modestus *lib. 1. ep. 18.*
Occupat obscuri speciem.

De Mansuetudine.

Ira, familiare hominibus malum, moderamine opus habet. Vnde quæ virtus ei moderatur *Mansuetudo* dicitur, seu *lenitas*; in Principibus *clementia*; in Scholis Theologicis *misericordia*. Quæ nec Philosophis antiqnis ignota vox fuit: male repudiata à Stoicis, quos etiam *Grotius* arguit *I. B.* 2, 20, 21. Explicationem tamen eruditam promittunt nonnulli; ad conciliandos cum Peripateticis Stoicos.

Ipse Aristoteles non segniter hic impugnatur, cum definit *mansuetudinem, quæ ob quas res, & aduersum quos, quemadmodum, quo tempore, & quamdiu decet, irascitur.* vt enim ira est affectus

animi, negari nequit, quin optabilius sit, plane eliminare iram, nec virtuti bene congruentem, & minime necessariam. neque enim vel ad propulsandam iniuriam, neque ad punienda delicta ira opus est. imo, quo longius abest ira, eo melius ista omnia conficiuntur. Sed nimirum, quia nec odisse malos, nec irasci improbis, non possunt viri boni, si communem moris humani habitum spectamus, concedendum Aristoteli est, vt populariter in tali argumento loquatur. Quæ etiam defensio ἀοργησίαν eius, seu vacuum ab omni ira animum, tueri quodammodo potest.

Vitium huic virtuti oppositum, iracundiam, diligenter, & ita exequitur Philosophus, vt iracundorum diuersa faciat genera, eaque Græcis vocabulis apte exprimat. 1. *eorum, qui ad iram proni & irritabiles sunt.* 2. *eorum, qui præcipites prorsus in iram feruntur, quos cerebrosos videmus dici.* 3. *eorum, qui amari sunt & retinentes irarum.* 4. *eorum, qui implacabiliter ad vltionem spectant, quos sæuos vocamus.* Postremum genus omnium deterrimum: inde gradus vitiositatis retro numeraueris.

Alteri vitio, in defectu, vt idoneum nomen, ita fere exempla desunt. Si per iram hunc locum describimus. Sin descriptio mutatur, omnino à Philosophi sententia discieditur.

Præclare de hoc toto argumento tractauit *Seneca*, *opere de ira*; & *de clementia*; cuius fragmenta habemus.

Mise-

Misericordiæ Alexandri nobile exemplum ponit *Curtius* 4,10,20. *& seqq.* & 5,5,8.

Iram eius sæpe notat Historicus 3, 12, 19. 4,4,17. 4,6,29. 8,1,43. &c. 10,1,39.

Memorabilis distinctio occurrit apud *Suetonium in Claudio c.*38. *Iræ atq; iracundiæ conscius sibi, vtrumq; excusauit edicto, distinxitq; : pollicitus, alteram quidem breuem & innoxiam, alteram non iniustam fore.* Adde *Ciceronis* explicationem *Tuscul.* 4,12.

Ciceronis præceptio insignis est 1. *offic.* 25. Et adde disputationem de irâ, *Tuscul.* 4,19. *vsq; ad* 30.

De Humanitate.

Sequuntur virtutes, quæ ab Aristotele dicuntur *Homiletica*, i. e. ad conuictionem & consuetudinem cottidianam vitæ pertinentes. Quorum vna id spectat, vt sincere & citra simulationem omnia gerantur: duæ, jucundam & gratam reddere consuetudinem hominum inter se & familiarem vsum, student.

In posterioribus his vna est *Humanitas*, quæ à modo conuiuendi, *Facilitas*; à parte, *Affabilitas*; à persona & officio, *Ciuilitas ac Popularitas*; ab elegantia & arte, *Comitas* dicitur.

Quam *Aristoteles* hoc fine terminat, vt neminem offendere velit vir humanus, sed potius placere omnibus & obsequi, in quantum honestatis ratio, & eorum, cum quibus versamur, vtilitas postulat. Neque enim vir vere humanus probabit ea, quæ honeste probari non possunt: aut verebitur amice admonere homines de iis, quæ indecora aut

noxia videt futura iis, cum quibus agit. Inprimis autem, mores, ingenia, conditionem & fortunam hominum probe diiudicabit, ne plus minusue faciat aut dicat. Nec præsentis tantum, sed futuri quoque temporis rationes probe subductas habebit.

Humanitatis elegantissima specimina in Alexandro proposuit *Curtius* 3,6,12.&c. 5,2,18. *usq; ad fin. cap.* 6,5,3. *&c.*

Vitium, quod excedit, in eo est, si quis in omnibus placere alteri studet: idque vel suopte ingenio fecerit, vt *Micio in Adelphis Terentij* ejus rei imaginem præbet; vel lucri studio; quales sunt adulatores, vt *Gnato in Eunucho, Phormio in fabula cognomine* apud Terentium. *Character* talis hominis superest in *Theophrasto*. Pertinet huc aureus libellus *Plutarchi, de discrimine adulatoris & amici.*

Crebrum in aula malum: vnde *adulatio* ap. *Curt.* 8,5,6. dicitur *perpetuum malum regum, quorum opes sæpius assentatio, quam hostis euertit.*

Regnant illic artificia adulandi sub specie obsequiorum. Videatur Cleonis oratio apud *Curt.*8,5,10. *&c.*

Ex altera parte morositas, difficultas, contumacia est, quando quis omnibus aduersari studet, neque curat, an & quem offendat. Talis *Demea Terentianus in Adelphis*. In aula Clitus hoc nomine peccauit apud *Curtium* 8,1,29. *&c.*

De

De Veritate.

In conſuetudine vitæ multum quoque laudatur *Veritas* ſiue *candor*, cum quis vt in vita, ita in oratione veritati ſtudet, nihil fingens in gratiam aliorum, aut lucri cauſſa; ſemper ſibi conſtans, ſua præſertim minime exaggerans.

De Epaminonda *Corn. Nepos*: *adeò veritatis diligens, vt ne ioco quidem mentiretur.* De Attico: *Mendacium neq; dicebat, neq; pati poterat.* & quæ ſequuntur. c. 8. c. 15.

Repugnat enim huic virtuti mendacium, de quo multæ magnæque ſunt diſputationes Theologorum & Philoſophorum. Non parum etiam in hac re ſudavit *Grotius l.B.* 3,1.

Diuiditur autem mendacium in duas vitii ſpecies: *Arrogantiam*, & *Diſſimulationem.*

Arrogantia, ſiue oſtentatio, jactantia eſt, qua quis maiora, quàm ſunt, videri vult ſua: ſicut in *Eunucho Terentij*, Thraſo, *Plauti*, *Miles glorioſus* oſtendit.

Diſſimulatio eſt, qua quis occultat & extenuat ea quæ adſunt, vel vt gloriam inde conſequatur (huc pertinent Artes Acciſmi) vel vt fallat homines. Supereſt *character talis hominis Ethicus* apud Theophraſtum.

De Vrbanitate.

Quia in vita curarum & remiſſionum tempora diſtincta ſunt, etiam laxamentis aliquam virtutem tribuit *Ariſtoteles*, quam vocauit *Vrbanitatem*, quæ dicendis & audiendis jocis ho-

nestis, ac liberalibus modum & rationem præfiniret.

1. offic. 29. *Cicero* summatim præclare designat: *Neq; ita generati à natura sumus, vt ad ludum & jocum facti esse videamur: sed ad seueritatem potius, & quædam studia grauiora atq; maiora. Ludo autem & joco illi quidem licet: sed sicut somno, & quietibus ceteris, tum cum grauibus seriisq; satisfecerimus. Ipsumq; genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet.* addenda sunt, quæ sequuntur.

Est ergo scientia quædam jocandi; neque in obuio posita huius argumenti notitia. Adeatur *Ciceronis* egregia tractatio de ridiculo 2. *de oratore* 59. *& seq. Quintil. Instit. Orat.* 6,3. *Dan. Heinsius in dissertat. Terentio præmissa.*

Excedunt modum *Scurræ*, risum captantes inepte & inhoneste; immodiceque in cachinnos effusi, totique ludicri.

Sicut ex altera parte homines *rustici & insiceti* vocantur, qui nec jocari ipsi vllo modo,

Tib. 21. nec jocantes ferre possunt. De Tiberio *Suetonius*: *Augustum palam nec dissimulanter morum eius diritatem adeo improbasse, vt nonnunquam remissiores hilarioresq; sermones superueniente eo abrumperet.*

De Justitia.

Justitiam esse aliquam generalem, aliquam specialem, plerique veterum agnouerunt; quamuis non eodem modo explicarent. Aristoteles Justitiam uniuersalem idem cum vir-

tute

tute perfecta & plene ſumta ſtatuit: niſi quod ad alterum referri juſtitiam dicat, cum virtus, vt eſt in homine aut viro bono, conſiderari poſſit.

Juſtitia autem particularis eſt huius loci. de qua licet *Ariſtoteles toto libro 5. Ethicorum* egerit, definitionem tamen nullam attulit. Valde probatur etiam Philoſophis Juriſconſultorum definitio: *quod ſit conſtans & perpetua voluntas ſuum cuiq; tribuendi.* vt & habitus & actio volendi intelligatur. *L.10. ff. de juſt. & jur.* Ex Ariſtotele talem concinnant deſcriptionem, quod *Juſtitia ſit virtus, quâ, tam in rerum diſtributione, quam commutatione & contractibus, omnibuſq; rebus, in quibus iniuria cuiquam fieri poteſt, homo ita ſe gerit, vt nec de externis bonis, pecunia, honoribus, aliis, plus ſibi vindicet & minus alteri relinquat; nec de malis, oneribus & pœnis minus ſibi, & alteri plus, quam par eſt.*

Medii ratio hic alia eſt, quàm in ceteris virtutibus. Vtrumque enim extremorum (*plus* ſcilicet *& minus*) eſt in vna eademque actione. Eſtque hic non tantum medium rationis, ſed etiam rei. Vnum igitur nomen opponitur *iniuſtitia.*

Eſt autem duplex *Juſtitia*: *diſtributiua* & *commutatiua*; quarum *hæc* reddit id, quod eſt ſimpliciter debitum; *illa*, quod eſt quodammodo debitum. vid. *Grot. l.B.* 1, 1, 8.

Juſtitia diſtributiua, quæ præmiis oneribuſque diſtribuendis æqualitatem obſeruat, habita ratione & perſonarum & rerum.

Vnde hic proportio Geometrica obtinet.

Non enim omnes accipiunt idem ſimpliciter, ſed idem proportione, ſeu ſecundum quid. *Maximo* enim *cuiq; plurimum debetur. Cic.* I. *offic.*15. Et in oneroſis, validiori plus oneris imponendum eſt. Ad hanc ergo juſtitiæ ſpeciem pertinent ea tantum, quæ debentur cuique de communibus bonis, aut imponuntur vt publicum & commune onus. cetera ad commutativam pertinent.

Illud nihil intereſt, vtrum æſtimatio fiat ſimpliciter, vt in optima reip. forma; an ex hypotheſi & ratione ſtatus. Vnde fit, vt non eodem modo hæc fiant in Ariſtocratia, & Oligarchia, &c.

Apparet hinc, beneficia, ſtipendia, & ſimilia, non eſſe huius juſtitiæ, ſed commutatiuæ, tanquam genus compenſationis & mercedis. *Meritum* enim in juſtitia diſtributiua nihil eſt aliud, quàm dignitas, ſiue perſona, & locus, quem inter ciues obtinet. Sicut in commutatiuâ meritum in re ſpectatur, cui præmium aut pœna conuenit. Quare cum in commutatiuà juſtitia tantum quis accipiat, quantum meretur : in diſtributiua non attenditur, quid quiſque ipſe impenderit, ſed quid in comparatione alterius accipiat.

Juſtitia commutatiua eſt, quæ in commutatione rerum & contractibus eam ſeruat æqualitatem, vt quiſque ſuum conſequatur. Pertinent enim huc res omnes, in quas juris aliquid eſt alicui, alio quam publico nomine.

Commutationes autem & contractus late hic ſumuntur, vt non tantum veros contra-

ctus

ctus & quasi contractus, sed omnes obligationes comprehendant, tam quæ ex delictis, quàm quæ ex quasi delictis originem trahunt.

Commutationes diuidit Philosophus in *voluntarias* & *inuoluntarias*: quarum *illæ* sunt, vbi vtrinque est animus commutandi aut contrahendi; *hæ*, vbi commutatio fit vna parte inuita, vt in furto.

Inuoluntariæ commutationes ex mente Thomæ hæ sunt:

Læditur aliquis vel in
- Re, idque vel
  - Occulte, vt furto.
  - Manifesto, ut rapina.
- Persona, vel
  - Ipsa in se, vel ratione
    - Incolumitatis, vel
      - Occulte, vt in cæde dolo facta, venificio, percussione fraudulenta.
      - Manifesto, vt in cæde violenta, verberibus, carcere, mutilatione.
    - Dignitatis, vel
      - Occulte, vt falso testimonio, detractione.
      - Manifesto, falsa accusatione, conuitio.
  - In persona coniuncta, vt adulterio, seductione liberorum, serui, &c.

Com-

Commutationes voluntariæ ſunt, quando

Obligat quis
- Rei ſuæ vel
  - Dominium, vendendo, deponendo, oppignerando.
  - Vſum, idque vel
    - Gratis, vel in
      - Rebus quæ fructificant, vt eſt vſusfructus.
      - Ceteris quæ reſtituuntur, vel
        - Eædem numero, vt commodata.
        - Eædem ſpecie, vt in mutuo.
    - Pretio, vbi locatio, conductio.
- Seipſum pro alio ad ſatisfaciendum, vt eſt fidejuſſio.

Porro illa extrema, inter quæ verſatur juſtitia commutatiua, *plus & minus*, etiam *damni & lucri* nomine ab Ariſtotele vocantur, latius ſcilicet acceptis vocabulis: vt *lucrum* ſit plus boni & minus mali; *damnum* plus mali & minus boni.

Seruat autem juſtitia commutatiua *proportionem Arithmeticam*, ſi audimus *Ariſtotelem*: [illegible]a æqualitas ex rerum ipſarum conditione æſtimatur. Contra ſentit *Grotius I.B*, 1, 1, 8.

Gliſcit hæc quæſtio in argumento de pœnis: in quibus cum etiam videatur ratio haberi

beri perſonarum, e. g. nobilium & ignobilium, liberorum & ſeruorum, igitur proportio Geometrica à nonnullis hic ſtatuitur, ab aliis ad juſtitiam diſtributiuam pœnæ referuntur. quod eodem ſcilicet redit.

Sed veterum ſententia tutior eſt, adſtructa etiam *Arniſæo polit.* 1, 8. dum modo natura vtriuſque juſtitiæ, diſtributiuæ & commutatiuæ, recte explicetur. Pœnæ enim non ſunt aliquid quod diſtribui poſſit. 1. quia nihil diſtribuitur, niſi quod commune eſt. 2. Quicquid diſtribuitur, id confertur aut imponitur toti, quia pars ciuitatis eſt. At nemo punitur, quia ciuis eſt. 3. In diſtributione omnibus portio cedit: in pœnis nunquam. 4. Si Geometrica proportio in pœnis valeret, tum nobilis ſeuerius, ſeruus mitius puniendus eſſet, quia maiori maius, minori minus conuenit ſecundum illam in diſtributione præmiorum & onerum. 5. In diſtributione etiam juſta fieri poteſt, vt aliquis minus conſequatur, quam meritus eſt. Sed pœnæ pro merito irrogantur. 6. Manet proportio Arithmetica, etiam cum nobiles mitius puniri dicuntur (in criminibus ex imbecillitate humana profectis) quàm alii: vel enim minus peccauerunt, vbi idem quod alii peccaſſe videntur; vel pœna quæ mitior videtur, illis æque grauis eſt. Perſona enim hic per accidens ſpectatur.

Alias, ſepoſitâ hypotheſi, de qua ſupra, etiam *Grotius* ſtatuit, pœnas pertinere ad juſtitiam commutatiuam, quam ipſe expletricem vocat. *I.B.* 2, 20, 2.

Quan-

Quanquam autem plerumque justitia commutatiua versetur inter partes reip. tamen potest interdum etiam inter rempublicam & partem eius esse, vt cum ciuitas emit à ciue aliquid, aut stipendia paciscitur singulis.

Pythagorei statuerunt *talionem* idem esse quod jus, quos refutat *Aristoteles*. Sed distinguenda est *Talio simpliciter accepta*, qua simpliciter quis idem patitur, quod fecit; & *proportionalis*, qua patitur, quod ei respondet, quod fecit. Prior neque in distributiua, neque in commutatiua locum habet: posterior in commutatiua adhiberi potest. Vide exemplum & fundamentum huius distinctionis apud *Gellium* 20, 1.

Hinc de æstimatione rerum quæstio: & de instrumento permutationum, *numo*, de cuius inuentione *Aristoteles lib.*1. *polit.*6. *vbi Interpretes videndi.* Addatur *dissertatio* egregia *Jacobi Lampadij*, subiuncta *libello de constitutione Imperij Germanici.*

De justitia *Cicero in officiis* multa eximia habet: quod *in justitia sit virtutis splendor maximus*: quod *per eam societas hominum inter ipsos, & vitæ quasi communitas contineatur*; quod *munera eius duo sint: primum, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria; deinde vt communibus vtatur pro communibus, priuatis vt suis.* Postea: *Atq; iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisq; negotiis implicantur, justitia ad rem gerendam necessaria est. Cuius tanta vis est* &c. Examinat memorabiles quæstiones in justitia commutatiua *lib.*3. *off.*12.13. *& seqq.*

1, 7. *ibid.* 2, 11.

De

De justitia Principis in præmiis & pœnis Politici præcipiunt.

Huc pertinet etiam tractatio de *Æquitate*, qua juris rigor temperatur, aut jus scriptum, vbi propter generalitatem deficit, corrigitur, suppletur. *Æquum & bonum* sæpe vocant. Vide omnino laudem Sulpitii apud *Ciceronem Philipp. 9. c. 5.*

Absque æquitate sæpe habeat locum illud: *Summum jus, summa iniuria.* Laudandus *Grotius*, qui primus jus belli vere temperauit æquitate.

Est autem hic locus profundus, sicut ostendere conati sumus in *Calculo Mineruæ*.

Neque aduersari putanda est æquitas justitiæ: sed potius congruere.

De Virtutibus Dianoëticis siue intellectualibus.

Quoniam virtus omnis est in mediocritate, illa autem definitur prudentiâ (prudentis enim viri judicium hîc optauit Aristoteles) itaque post virtutes morales etiam de *Prudentia* agendum fuit. Cuius natura vt melius intelligeretur, Philosophus etiam de ceteris *habitibus mentis* agit. *lib. 6. Eth.*

Tales habitus siue virtutes dianoëticas posuit quinque: *Scientiam, Sapientiam, Intelligentiam siue Intellectum, Artem, Prudentiam.* De prioribus suffecerit pauca attigisse; de vltima enim potissimum hic soliciti esse debemus.

Scientia est ille habitus mentis, quo demonstramus aliquid ex necessariis principiis, idque

idque ope ſyllogiſmi Apodictici ſiue Demonſtratiui. Hæc cum locum habeat in rebus neceſſariis & æternis, continet Phyſicam, Metaphyſicam, & Matheſin.

At *Intellectus* ſiue *Mens* (Philoſophus enim, cum non haberet idoneum nomen, Intellectus commune vocabulum huc accommodauit) eſt habitus, quo ipſa principia cognoſcimus. Quæ ſunt vel *Theoretica*, vel *Practica*: eaque naturâ nota.

Sapientia & principia & concluſiones complectitur: altiſſimoque & architectonico loco à Philoſopho collocatur.

Atque hi tres habitus circa res neceſſarias & æternas verſantur. Reliqui duo circa *res contingentes*.

Res porro contingentes *aliæ* effici dicuntur, vt à ſutore calceus, à Logico Syllogiſmus; *aliæ* agi, quæ pertinent ad vitam recte agendam, ſiue quæ rationem honeſti & inhoneſti habent, in quibus verſatur *Prudentia*, ſicut in prioribus *Ars*.

De Prudentia.

Hæc eſt virtus, quæ bona à malis, vtilia à noxiis diſcernit, expetenda ac fugienda præſcribit, vitamque totam moderatur. Verſatur maxime circa ſingularia; ſed tamen etiam in generali quadam vitæ ratione ita inſtituenda cernitur, ut ſpecialiter actiones omnes ſibi conſonent, & ad finem beatæ vitæ communi quodam ductu proficiant.

Munera siue actus prudentiæ (quidam partes vocant) sunt 1. *Bene consultare.* quando media inquiruntur, & coniiciuntur, & discutiuntur ad finem conducentia; è quibus expensis eligi possit, quid optimum factu. 2. *Intelligere & judicium ferre atque adeo decernere,* præmissa consultatione, quid opus sit. 3. *In mitiorem partem aut tractabiliorem judicium inclinare.* Alii addunt *executionem*, quæ rectius ad alias virtutes refertur. Ad consultationem pertinet *sollertia & sagacitas*: ad judicium *docilitas & memoria* facit: ad decernendum, *prouidentia, circumspectio, cautio.* Alii *judicium de præsentibus, diuinationem de futuris, memoriam de præteritis,* Prudentiæ partes faciunt. *Cicero* 2. *de inuent.* 53.

Prudentiam alii faciunt *priuatam*, qua quis sibi, & *communem*, qua & aliis consulit. Priuatæ regulas & munera faciunt: 1. deligere vitæ genus. 2. in eo vitæ genere omnes actiones ad virtutis normam ex præscripto rationis componere. quo pertinet illud, nihil temere aggredi. 3. Res expendere. 4. modum agendi in promtu habere. 5. tempus & occasionem captare. 6. instare negotio. 7. à virtutis recto tramite non discedere. *Cic.* 1. *offic.* 32. *&c.*

De *prudentia Oeconomica* peculiaris est tractatio, quæ tamen ad Politicam doctrinam reuocari potest.

Prudentia militaris itidem ad Politicam.

Legislatoria Prudentia, & *Judiciaria,* & *Deli-*

berativa, licet hic possent tractari, tamen in Politicis istud fiet.

Prudentiæ opposita sunt ex vna parte *calliditas & versutia,* ex altera parte *stultitia & imprudentia.*

Egit post hæc Aristoteles de *Heroica virtute & continentia.* sed quia *Virtus Heroica* nihil aliud est, quam virtus vnaquæque in summo fastigio; sicut *feritas* est vitium immane & belluinum; & continentia ad temperantiam supra relata fuit, nihil opus est addere.

De Amicitia.

Amicitia non est quidem virtus, sed virtuti similis; quanquam à nonnullis ad justitiam refertur. Ad vitam certe agendam inprimis necessaria.

Est triplex; vel *honesta,* vel *vtilis,* vel *jucunda.* E quibus sola prior vera amicitia est.

Constat amicitia vera æqualitate, quam si non invenit, facit.

Remouere autem se studet amicitia à morosis & contentiosis; tum à blandis & adulatoriis moribus.

Sed abunde omnia præstitit, quæ huc pertinent, *Cicero in Lælio, siue in Dialogo de amicitia.*

Tota interim hæc de moribus disciplina, vitæ, non scholæ, discenda est, re non verbis exercenda, sicut abunde disputat *Seneca epist.* 106. & 108.

INDEX.

INDEX.

C.

Gallo-

G.

H.

quos

Matri-

T.

tis

FINIS.









